UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicæ De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

urn:nbn:de:hbz:466:1-61677

Visual Library

Th. 4755.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. II
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

QUÆSTIONES CANONICÆ DE DECIMIS,

Quibus universum Jus decimandi, quà Ecclesijs, quà Laicis competens,

Et Immunitas ab ijsdem solvendis, ex Jure cùm communi, tum consuetudinario, tum etiam Bavariæ Statutis, & Concordatis explicatur.

Unàque modus & ratio in Causis Decimarum judicialiter procedendi traditur.

AUCTORE

P. MELCHIORE FRIDERICH

Societatis JESU Sacerdote, & SS. Canonum in Universitate Ingolstadiana Professore.

Accessit geminus Index, unus Quæstionum, alter Rerum & Verborum.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Cæsareo

INGOLSTADII,

Sumptibus Joannis Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Academici.

Typis Francisci Strauss, Aulici Typographi Eystad. Anno 170 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO,

JLLUSTRISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

JOANNI SIGISMUNDO

LIB: BARONI DE ZELLER

Domino ab & in Leiberſtorff, Klainſtetten, Aitterbach, & Herenau, &c. Epiſcopo Bellinenſi, Eccleſiæ Cathedralis Friſingenſis Præpoſito, Archi-Diacono, Suffraganeo, & Canonico Capitulari &c. &c.

Domino, Domino ac Patrono perquàm gratioſo.

REVERENDISSIME,

ILLUSTRISSIME, AC EXCELLENTISSIME DOMINE

DOMINE AC PATRONE PERQUAM GRATIOSE.

PAtere, *Reverendiſſime, Illuſtriſſime, ac Excellentiſſime D. Domine*, ut liber iſte de Decimis tractans ſub felicibus *Tuis* Auſpicijs publicam lucem intueatur. Enim verò hoc ipſum, ut *Tuo* videlicet *Gratioſo Nomini* eundem inſcriberem, dedicarémque, quæ-

quædam humani æquè ac Divini præcepti imperavit neceſſitas. Nam ſi propter exantlatos pro DEI gloria, & Eccleſiæ incremento labores, ſi propter continuam animarum curam Rectoribus Eccleſiaſticis debentur Decimæ, *Tibi* certè non Decimæ ſolùm, ſed omnes totius hujus operis partes Jure meritiſſimo debentur, utpote qui omnes *Tuos* labores, eóſque ferè innumeros pro DEI gloria, Eccleſiæque augmento indefeſſo hactenus animo exantlâſti; cujus Zelus rerum ſuarum tantus eſt, ut jam pridem [liceat Davidico loqui in idiomate] *Te* comediſſet, niſi Divinâ Providentiâ & Bonitate confirmatus ad majores fructus Eccleſiæ militanti ferendos, & Triumphanti inferendos fuiſſes ſervatus. At ipſo laudum *Tuarum* initio ſilentium ſervare, digitúmque ori imponere jubeor: ita enim innata *Tua* modeſtia, ita profunda voluit humilitas, ne vel animo in propria ſui demiſſione merſo moleſtiam, faſtidiúmque inferam, ac genas *Tuas* verè ingenuas ſancto rubore ſuffundam, vel ſanctiſſimæ *Tuæ* encomium omne averſantis petitioni, quam proprijs litteris ad me infimum ſervum datis expreſſeras, reſiſtere ac debitam detrectare videar obedientiam. Ipſemet doctiſſimus, & in SS. Canonibus, Juréque univerſo fundatiſſimus liber ab *Excellentiſſima Tua Dominatione* compoſitus, & actu ſub prelo ſudans ſublimiſſimam *Tuam* Doctrinam, & flagrantiſſimum Honoris Divini, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Bonique Publici ſtudium ac Zelum Orbi literario abunde demonſtrabit. Unicum igitur,

quod

quod demississimè rogo, supereſt, ut decimalem hunc Manipulum in aliqualem Beneficiorum, quæ mihi gratiosè contuleras, præsertim cùm illustrissimum Ingenij *Tui* partum meis curis commisisses, recognitionem accipere, & in locupletissimis Gratiarum *Tuarum* horreis benignè reponere digneris. DEUS *Te, Reverendissime, ac Excellentissime Domine, Domine Patrone Gratiose,* suæ Ecclesiæ, Bono Publico, mihique quàm diutissimè sospitem servet ac incolumem.

Ita vovet ac precatur.

REVERENDISSIMÆ, ILLUSTRISSIMÆ AC EXCELLENTISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Servus infimus

Joannes Andreas de la Haye.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

EGo Guilielmus Stinglhaim Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, potestate ab Adm. R. P. N. Michaële Angelo Tamburino ejusdem Societatis Universæ Præposito Generali acceptâ, concedo Domino Joanni Andreæ de La Haye Bibliopolæ Ingolstadiensi Academico facultatem imprimendi *Quæstiones Canonicas de Decimis*, à P. Melchiore Friderich Societatis nostræ Sacerdote conscriptas, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectas approbatásque: nec non usurpandi Jus Privilegij Cæsarei, ut eo, Auctoréque invito easdem Quæstiones nemo recudere, nemo intra S. R. I. fines, & hæreditarias Sacræ Cæs. Majestatis Provincias importare aut venum exponere audeat. Datam facultatem, quam de una impressione intelligo, manu meâ & consueto Officij Sigillo firmavi, Ingolstadij *25.* Jan. *1709.*

L.S.

GUILIELMUS STINGLHAIM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHUS
Quæstionum Canonicarum de Decimis.

PARS I.

De Origine & Natura Decimarum.

CAPUT I.

De Decimis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid sint Decimæ. fol.1

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Decima. fol.4

CAPUT II.

De Jure, quo Statutæ sunt Decimæ.

QUÆSTIO I.

An sint Statutæ Jure Naturæ. fol.9

QUÆ-

QUÆSTIO II.
Præceptum de Decimis in lege gratiæ sítne Divinum an Ecclesiasticum. f.13
QUÆSTIO III.
An justè fuerint Statutæ Decimæ. f.19

PARS II.

De Causa Efficiente Proxima Decimarum.

CAPUT I.

De Obligatis ad Decimas.

QUÆSTIO I.

Quinam universim teneantur solvere decimas. f.23
QUÆSTIO II.
An Infideles teneantur solvere Decimas. f.25
QUÆSTIO III.
An Hæretici ad dandas Decimas obligentur. f.32
QUÆSTIO IV.
An Clerici teneantur solvere Decimas. f.35
QUÆSTIO V.
An SS. Pontifex, Episcopi, ac Principes teneantur solvere Decimas. f.44
QUÆSTIO VI.
An Religiosi ad dandas Decimas sint obligati. f.49
QUÆSTIO VII.
An Pauperes teneantur dare Decimas. f.51
QUÆSTIO VIII.
Quis ex prædio locato teneatur solvere Decimas, Locator, an Conductor. f.55
QUÆSTIO IX.
An Possessor fundi teneatur ad Decimas ab Antecessore non solutas. f59

CAPUT II.

De Exemptis per Privilegium ab onere Decimarũ.

QUÆSTIO I.

An privilegio eximi quis possit à Decimis. fol.68

QUÆSTIO II.

Privilegium non solvendi Decimas sítne latè an stricte interpretandum. fol.74

QUÆSTIO III.

Privilegium non solvendi Decimas an solùm eximat à Decimis Novalium. fol.77

QUÆSTIO IV.

Privilegium non solvendi Decimas an se extendat ad Novalia. fol.83

QUÆSTIO V.

Privilegium non solvendi Decimas an extendatur ad prædia post ejus concessionem acquirenda. fol.88

QUÆSTIO VI.

Privilegium non solvendi Decimas an extendatur ad prædia conducta & emphyteutica. fol.90

QUÆSTIO VII.

Privilegium non solvendi decimas an prosit colonis conducentibus agros privilegiatorum. fol.94

QUÆSTIO VIII.

Quinã habeant privilegiũ non solvendi decimas. 97

QUÆSTIO IX.

Privilegium non solvendi Decimas quomodo amittatur. fol.105

CAPUT III.

De Exemptis per Consuetudinem.

QUÆSTIO I.
An à decimis eximat consuetudo nõ solvendi. f. 112
QUÆSTIO II.
Qualis consuetudo â solvendi decimis eximat. f. 121
CAPUT IV.
De Exemptis per Præscriptionem.
QUÆSTIO I.
An præscribi Decimis possit. fol. 127
QUÆSTIO II.
Qualis Præscriptio eximat ab onere solvendi decimas. fol. 131
CAPUT V.
De Exemptis per Pacta & Statuta.
QUÆSTIO I.
An Contractu vel Statuto acquiri possit immunitas à solvendis decimis. fol. 137
QUÆSTIO II.
QualiPacto acquiratur immunitas à solvendis decimis. fol. 141
PARS III.
De Subjecto Decimarum.
CAPUT I.
De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus decimæ debentur Jure Communi.
QUÆSTIO I.
An decimæ debeantur SS. Pontifici. fol. 148
QUÆSTIO II.
An Episcopis debeantur decimæ. fol. 150

QUÆSTIO III.
An omnibus Clericis Beneficiatis debeantur decimæ. fol 152
QUÆSTIO IV.
An Religiosis & Clericis non Beneficiatis debeantur decimæ. fol.155
QUÆSTIO V.
An decimæ debeantur Clericis divitibus aut malis. fol.158
QUÆSTIO VI.
Cui Ecclesiæ debeantur decimæ. fol.161
QUÆSTIO VII.
Cui debeantur decimæ Novalium. fol.171
QUÆSTIO VIII.
Cui debeantur decimæ, quando facies fundi mutatur. fol.180

CAPUT II.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus debentur decimæ Jure extraordinario.

QUÆSTIO I.
An Transactione, Compromisso, aut Permutatione, acquiri jus decimandi possit. fol.193
QUÆSTIO II.
An Emptione & Conductione acquiri Clericis jus decimarum possit. fol.195
QUÆSTIO III.
An Privilegio, Unione, aut Investitura, acquiri Clericis jus decimarum possit. fol.196
QUÆSTIO IV.
An Consuetudine & Præscriptione Ecclesijs & Clericis jus decimarum acquiri possit. fol.198

CAPUT III.

De Decimatoribus Laicis.

QUÆSTIO I.

An Laici sint capaces decimarum. fol.209

QUÆSTIO II.

An Privilegio jus decimandi acquiri laicis possit. fol.210

QUÆSTIO III.

An decimæ in feudum Laicis concedi possint. f.212

QUÆSTIO IV.

An Decimæ à Laicis præscribi possint. fol.215

QUÆSTIO V.

An decimæ Laicis vendi & locari possint. fol. 227

QUÆSTIO VI.

An Laici decimas transferre in alios pro arbitrio possint. fol.229

PARS IV.

De Materia & Forma Decimarum.

CAPUT I.

De Materia Decimarum.

QUÆSTIO I.

Quibus ex rebus solvendæ sint decimæ. fol.236

QUÆSTIO II.

An debeantur decimæ ex ijs, quæ titulo lucrativo acquiruntur. fol.240

QUÆSTIO III.

An debeantur decimæ ex illicitè acquisitis. fol.243

QUÆSTIO IV.

An decimæ integrè solvendæ sint. fol.245

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPUT II.

De Forma Decimarum.

QUÆSTIO I.

An ſolvendæ ſint Decimæ, antequam exigantur. fol. 249

QUÆSTIO II.

An Decimator propria auctoritate decimas auferre poſſit. fol. 252

QUÆSTIO III.

Utrùm fructus decimandi ſint in agris, an in horreis. fol. 253

QUÆSTIO IV.

Utrùm decimæ inferendæ ſint in horreum vel cellam decimatoris. fol. 256

QUÆSTIO V.

Quomodo numeratio manipulorum ac menſurarum facienda ſit. fol. 259

QUÆSTIO VI.

An decimæ pecunijs compenſari poſſint. fol. 263

QUÆSTIO VII.

Quando ſolvendæ ſint decimæ. fol. 265

PARS V.

De Proceſſu Judiciali in Cauſa Decimarum.

CAPUT I.

De Judice competente in cauſa decimarum.

QUÆSTIO I.

Quis ſit Judex competens in cauſa decimarum, quando Clericus eſt reus. fol. 268

QUÆ-

QUÆSTIO II.
Quis sit Judex competens in petitorio, quando Ecclesia agit contra Laicum. fol 270
QUÆSTIO III.
Quis sit Judex in possessorio, si reus est Laicus. f. 275
QUÆSTIO IV.
Quis Judex in causa decimarum sit competens, si constat, Laicis competere jus eas colligendi. f. 279
QUÆSTIO V.
Quis sit Judex competens in causa decimarum, juxta Concordata & Statuta Bavariæ. fol. 290

CAPUT II.

De Jure & Actione Decimatorum.

QUÆSTIO I.
Quale jus Decimatori in decimis competat. fol. 302
QUÆSTIO II.
Quæ Actiones competant decimatori. fol. 311

CAPUT III.

De Modo procedendi in Causis Decimarum.

QUÆSTIO I.
An in Causis Decimarum summariè procedendum sit. 317
QUÆSTIO II.
Spoliatus decimis an ante omnia sit restituendus. f. 319
QUÆSTIO III.
An in causa decimarum admittenda sit appellatio. f. 330

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Compensatio in decimis admittenda sit. fol. 334

QUÆSTIO V.

An in concursu Creditorum decimator sit præferendus. fol 336

QUÆSTIO VI.

Quæ probatio in causa decimarum requiratur. fol. 340

QUÆSTIO VII.

Quomodo compellendi sint, qui renuunt solvere decimas. fol. 345

CAPUT. IV.

De Pœnis non solventium Decimas.

QUÆSTIO I.

Quæ pœnæ à DEO infligantur non solventibus decimas. fol. 349

QUÆSTIO II.

Quæ pœnæ Jure Ecclesiastico statutæ sint non solventibus decimas. fol. 351

QUÆ-

QUÆSTIONES CANONICÆ DE DECIMIS.

PARS I.

De Origine & Natura Decimarum.

CAPUT I.

De Decimis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid sint Decimæ.

SUMMARIUM.

1. Decimarum & Tributorum præstandorum universalis ratio.
2. Generica Decimarum divisio.
3. 4. 5. 6. Earum definitio tradita & explicata.
7. Oppositionis solutio.
8. Discrimen inter Decimas & Primitias.

DE Decimis agens S. Augustinus suósque ad eas fide bona ac integrè solvendas cohortans, illud Christi *Math. 22.* sapienter usurpat: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* cùm enim Deus sit supremus Dominus, Deci-

mas sibi *in signum universalis Dominij reddi præcepit*, ut loquitur Innocentius III. C. 26. & C. 33. *h.t.* Et cùm omnia, quæ possidemus, liberali Dei sinu effusa sint, idcirco, quò grati simus misericordissimo Patri, non tantùm vitulos labiorum nostrorum, sed & de rebus, quibus non alit, aliquid sibi offerri voluit. Non tamen, ut idem S. Augustin. *hom. 219. de temp.* ait, novem partes sibi sumpsit, decimâ nobis relictâ, sed *qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam.* Præterea *hæreditas ipsius sumus, & hæreditas nostra est*, ait idem S. Doctor *ser. 35. de verb. Dom. c. 6. quia & colimus eum, & colit nos, quia si colimus eum, ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum.* unde de suo, quem, & fecit, & colit fundo, fructum exigit: quem, *si reddamus*, addit S. Doctor *parat horreum.* Quia verò Principes derivatam â summo rerum Domino potestatem habent, ut Divina Sapientia per Salomonem *Proverb. 8.* & per utrumque Apostolorum Principem. *1. S. Pet. 2. & Rom. 13.* ait, sùntque DEI in terris Vicarij, ut explicat Suar. *de LL. Lib. 3. c. 4. n. 5. & 6.* & Terrestres Dij, uti numinantur *Exod. 22. & 28. & Psal. 81. v. 6.* idcirco ipsi quoque partem bonorum â subditis jure exigunt; partim in signum Dominij alti & potestatis Regiæ; partim quia bona â Deo concessa tuentur, ac defendunt; partim quia sicut Numinis Ministri sacri â Populo per Decimas alendi sunt, ita non minùs ijs, qui Dei Ministri sunt in Regimine profano, debetur â subditis, unde vivant, ut decet Reipublicæ capita ac Duces: cùm non minùs de his, quàm de illis valeat illud Apostoli *Hebr. 13. v. 17. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quibus ex capitibus idem Apostol. *Roman. 13. v. 5.* Tributi Principibus præstandi necessitatem deducit.

Hinc prima & summa divisione Decimæ dividuntur in Ecclesiasticas & profanas, seu sæculares. Profanæ sunt species quædam tributi, de quo Samuel *1. Reg. c. 18. v. 15.* cùm jus, quod sibi novus Israëlitarum Rex usurpaturus esset, describeret, ait: *sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis, & famulis suis.* Meminitque similis Tributi Aristoteles 2. *Oeconom. Strabo lib. 15.* & complura exempla adducit Petr. Gregor. *Syntag. Jur. un. lib. 2. c. 20. n. 2.* & Gonzalez *in C. 7. de Decim. n. 4.* Extant quoque de varijs profanis Decimis *L. inter 2. C. de infirm. pœn. Cœlib. §. 1. in fin. Instit. de pœna temerè litigant. Novel. 112. c. 12.* Hæ olim dicebantur *Dominicæ* & *Indominicatæ*, ut ait Franc. de Roye *Inst. Jur. Can. l. 2. c. 12.* Canon. quoque ab Emphyteutis pendi solitus, olim *decima* dicebatur. Hinc factum esse existimat Zypæus *Not. Jur. Belg. l. 1. tit. de Episc. §. de Decim.* ut prætextu harú

2

liarũ decimarum multæ terræ à decimarum solutione Ecclesijs faciendæ exemptæ fierent. Decimæ Ecclesiasticæ sunt, quæ Ecclesijs & Clero solvuntur. Ad has, non verò ad illas, referri debent, quas Laici quidem percipiunt, sed solùm privilegio Ecclesiæ. Nam licet dicantur sæculares, solam tamen utilitatem, quódque temporale in ipsis est, Laici percipiunt, jure directo semper manente penes Ecclesiam. Unde licet à Laicis etiam in Laicos ordine successionis, vel per contractus transeant, si in feudum perpetuum ijsdem sunt concessæ: si tamen possessor Laicus nihil de ipsis disponat, & hærede careat, redeunt ad Ecclesiam, & ubi ad hanc redierint, in Laicos, saltem in perpetuum, transferri denuò non possunt, nisi auctoritate summi Pontificis, ut infrà dicemus. Unde sequitur, quòd statum primævum & naturam semper retineant, neque penitus desinant esse Ecclesiasticæ; tametsi, quia à Laicis percipiuntur, passim dicantur Laicales, à spirituali titulo avulsæ, sæcularizatæ &c. Pari ratione non sæculares & profanæ, sed Ecclesiasticæ, sunt illæ, quas quandoque Pontifices de bonis Clericorum Principibus concesserunt, vel pro recuperanda Terra sancta, vel pro arcendis Hæreticis aut Saracenis. Quarum concessionum plura exempla affert Petr. Gregor. *loc. cit. an. 3.* & aliqua hisce annis experti sumus. Verùm de Decimis merè profanis non est hìc locus agendi.

Assert. Decimæ sunt decima pars fructuum & lucrorum licitè quæsitorum Ecclesiæ Ministris exsolvenda. Ita reipsa omnes, patétque bonam esse definitionem ex *can. 65. 16. q. 1. c. 14. 26. & 27. h. t.* 3

Dicitur I. *Decima pars*: quia etsi Deus partem majorem, quàm decimam in alimenta suorum Ministrorum exigere potuisset, hanc tamen potiùs, quàm octavam, vel duodecimam, justis de causis, de quibus infrà, modò petit.

Dicitur II. *Fructuum & lucrorum.* Quæ verba hìc strictè sumuntur; fructus nimirum pro eo, quod natura; lucrum pro illo, quod industria parit. Decimæ autem non solùm debentur ex ijs, quæ natura vel sola, vel nostro studio adjuta confert; sed ex illis quoque, quæ solertiâ & manu comparamus. 4

Dicitur III. *licitè quæsitorum*: quæ enim injustè parta sunt, decimationem non patiuntur. Nam si rem injustè partam non facio meam, meum duntaxat est, eam restituere, & Domini, decimas inde solvere. Si meam feci, Ecclesia recusat, ex fœdo quæstu quæstum facere: quod quomodo verum sit infrà *p. 5. c. 1.* fusiùs explicabitur. 5

Dicitur IV. *Ecclesiæ Ministris*, Clericis videlicet, juxta illud, quod dixerat Deus Aaroni *Num. 18. v. 12. omnem medullam olei & vini, ac frumenti, quidquid offerunt Primitiarum Domino, dedi tibi.* Et quod Levitis cit. *c. 18. Num. v. 21. Filijs* 6

autem Levi dedi omnes Decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.

7 Non obstat dictis, quòd decimæ non solis Ecclesiæ Ministris, sed etiam Laicis, & nimiùm multis penduntur. Nam illi solùm in definitione exprimendi erant, quibus jure, & ex sua origine debentur; non quibus per accidens duntaxat ex privilegio, vel qui iniquè eas detinent, uti haud dubiè in nostra Germania multi eas Laici nullo legitimo titulo usurpant, sed partim calamitosis illis temporibus, quibus illa vicinæque Provinciæ varijs Hæresibus inundatæ, bonáque Ecclesiarum direpta fuerunt; partim invalida alienatione per Rectores Ecclesiarum facta, eas occuparunt, rudibus præcipuè aliquot seculis, quibus dissipatio bonorum Ecclesiasticorum frequens erat, uti patet ex pluribus Pontificum constitutionibus, per quas identidem prohibebatur, ac irrita declarabatur. Non enim ullo modo credibile videtur, tot Decimas, quot sunt penes Laicos, legitimè ijsdem ab Ecclesia fuisse concessas: partim, quia de paucis concessionibus (quæ tamen ipsæ ferè solùm ad tempus, & pro aliquo necessitatis casu factæ sunt) exstant testimonia: partim, quia non constat de tot Principum ac Procerum meritis in Ecclesiam, ob quæ sola Decimæ Laicis concedi solent: maximè quòd illi, quorum ardentius erat Religionis studium, ac propterea majus in Ecclesiam meritum, temporalia ferè non exigebant ab eadem, sed sua ipsi largiebantur.

8 Ex dictis infertur discrimen, quod est inter Decimas, & Primitias. Decimæ enim sunt pars Decima fructuum & lucrorum Ministris Ecclesiæ solvenda; Primitiæ verò sunt primi fructus. Hæ immediatè offeruntur Deo, in gratiarum actionem pro frugibus terræ: illæ immediatè solvuntur Ministris Ecclesiæ ad sustentationem tanquam stipendium pro Ministerio, quo serviunt altari, & fideli populo. Et quamvis, ut nunc Clero, ita olim etiam Levitis solutæ fuerint Decimæ: Primitiæ tamen, uti & primogenita, solis Sacerdotibus & Pontifici cedebant.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Decima.

SUMMARIUM.

9. *Decimarum diversitas juxta diversitatem fructuum.*
10. *Quibusdam alia sunt Prædiales, alia Personales, alia Mixtæ.*
11. *Dividuntur adæquatè in Reales & Personales.*
12. *Nulla est necessitas addendi Mixtas.*

13.

13. *Discrimen inter Reales & Personales.*
14. *Reales aliæ sunt Majores, Minores aliæ.*
15. *Minorum acceptio non est ubique eadem.*
16. *Decimæ quædam sunt Ordinariæ, quædam Extraordinariæ.*
17. *Ecclesiasticæ aliæ sunt Spirituales, aliæ Temporales.*
18. 19. 20. *In dubio censentur Ecclesiasticæ & Spirituales.*

9 Cùm variæ sint res, ex quarum fructibus solvitur Decima pars, Decimarum quoque varia discrimina esse necesse est: cùm ipsarum diversitas non tam à personarum, quibus; quàm ex rerum, ex quibus penduntur, varietate nascatur. Fructuum præcipuè, quorum decima pars solvitur, natura hîc spectatur. Fructus autem sunt triplicis generis. Primò Naturales, quos natura producit, nullâ, aut modicâ adjuta hominum industriâ, uti sunt fœtus animalium, lac, lana, poma, sylva cæduæ. Secundò Merè industriales, quos tantùm, aut potissimùm, labor & industria hominis parit, uti sunt quæstus & lucra ex negotiatione, pecuniis ad censum datis, artificio, officio &c. Tertiò Mixti, qui partim ex re, partim ex industria nascuntur, uti sunt frumentum, vinum, butyrum, caseus &c. Mixti fructus à non paucis Juris Consultis Industriales dicuntur: nam Prædiales distinguunt in Naturales & Industriales, ut notat Covarru. *L. 1. var. c. 3. n. 6.* cum Gloss. *in L. Divortio ff. Soluto Matr.* non quòd in prioribus nulla concurrat hominum industria, & in posterioribus nihil operetur natura; sed quia in posterioribus multum natura facit cum modico hominum labore; in his verò multâ industriâ opus est, ut illa adjuvetur. Unde fructus arborum vocant Naturales; segetum Industriales, ac oleum quoque inter industriales ponunt. Bartol. *in L. Ex diversis C. de R. V.* Eadem est ratio de vino, ut indicatur *in L. ejus ff. de legat. 1.* Quo modo etiam lac, lana, & animalium fœtus inter fructus Industriales numerantur à Bartol. *L. c.* & Bald. *in L. ancilla L. de furt.* ac Panor. *in C. Gravis de restit. spoliat.*

10 Cùm ergo fructuum sint tria genera, pariter tria Decimarum genera erunt. Primò Prædiales, quæ de fructibus ex prædio sive è terra provenientibus solvuntur. Secundò Personales, quæ ex lucro, per quamcunque licitam hominis actionem, puta, per negotiationem, artificium acquisito præstantur. Tertiò Mixtæ. Ita eas dividunt Hostiens. *in summa h. t. §. 1.* Sylvest. & Angel. *V. Decima.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 34. q. 3.* Monet. *de Decim. c. 3. n. 9.* Fagundez *lib. 1. c. 2. n. 1.* Rebuffus: *tr. de Decim. c. 3.* Tyndar. *eod. tract. q. 3. n. 29. & 30.* Gonzal. *in C. 7. h. t. n. 4.* Gilcken. *ad Auth. quas actiones, C. de SS. Eccles. à n. 3.* Duaren. *de S. Eccl.*

Miniſtr. Benef. lib. 7. c. 1. Hun. *Encyclop. p. 5. t. 2. c. 1. n. 14.* alijque plurimi. Verùm hoc tertium diviſionis membrum cenſeo redundare, & involvi in primo. Itaque ſit

11 Aſſert. I. Decimæ adæquatè dividuntur in *Reales* & *Perſonales*. Ita Suar. *Tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 9. n. 4.* Auguſt. Barboſ. *de Offic. Paroch. c. 28. §. 3. n. 9.* aliique communiter teſte Navarr. *Conſ. 1. de Decimis num. 8.* præſertim RR. *Reales* dicimus, quæ ſolvuntur ex fructibus, quos natura profert, vel bonitate ferè ſpontanea, & induſtriâ hominum non provocata, vel hâc adjuta. Quales ſunt Decimæ frumenti, vini, olei, olerum, pomorum, leguminum, fœni, lini, cannabis, nec non fœtûs, aliorúmque fructuum, quos proferunt animalia, aut quæ ex his fructibus fiunt, ut lactis, lanæ, ovorum, mellis, butyri, caſei, &c. Hæ plerumque dicuntur *Prædiales*, eò quòd ex ſolo & prædio proveniunt. *Perſonales* ſunt, quæ percipiuntur ex lucris, ſeu commodis, quæ præcipuè, ac immediatè ſuo labori, induſtriæ, arti, ac ingenio, debet perſona; uti ſunt lucra ex artefactis & negotiatione, ſalaria ratione officij aut dignitatis, merces locatæ operæ, ſtipendia militiæ, ſpolia ex hoſtibus, præda ex venatione, aucupio, piſcatu &c.

12 Quòd nulla ſit neceſſitas addendi tertium genus *Mixtarum*, ſed quòd hæ ſub primo Realium, ſeu Prædialium comprehendantur, ſumitur I. ex *L. 28. ff. de uſur.* ubi JCtus: *in pecudum fructu etiam fœtus eſt, ſicut & lac, & pilus, & lana. Itaque agni & hœdi & vituli ſtatim pleno jure ſunt bonæ fidei poſſeſſoris & fructuarij*, ſicut alij fructus fundi bonæ fide poſſeſſi. Cenſendi igitur ſunt tales fructus eſſe verè naturales, non induſtriales. II. Quia *C. 20. h. t.* tantùm fit mentio *Perſonalium*, & *Prædialium*, nullibi *Mixtarum*. III. Quia etſi ad fructus animalium multum conferat induſtria humana, potiſſimùm tamen tribuit benignitas ac ſolertia naturæ. Unde quamvis ad frumentum, vinum, ac legumina plurimum laboris, ac induſtriæ humanæ requiratur, (qua de cauſa â Juris-Conſultis inter fructus induſtriales numerantur, ut diximus) longéque plus, quàm ad poma arborum, & ad fœnum; nihilominus non dicuntur Decimæ Mixtæ, ſed abſolutè ad prædiales referuntur. Ergo ad has pariter referendæ ſunt Decimæ animalium. Aliàs ſi partim prædiales, partim perſonales cenſendæ forent, quia cum natura in his fructibus producendis multùm laborat humana induſtria, pauci forent fructus, & Decimæ prædiales, ſed ſola ferè poma, ac fœnum. IV. Quia ipſi adverſarij extra præſentem controverſiam Decimas mixtas accenſent Prædialibus, & reverâ inter has computandæ ſunt, ut benè notat Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 43. n. 36.* Nam ſicut Decimæ frumenti ſolvendæ ſunt non illi Parochiæ, in qua Dominus fundi habitat; ſed illi, in qua

eſt

est fundus, ita pariter decimus fœtus solvendus est ibi, ubi pascua sunt, & fœtura pecoris, non ubi ejus Dominus. Et sicut non deductis expensis decimæ prædiales solvuntur, ita pariter illæ, quas dicunt Mixtas. Igitur naturam participant Prædialium, non Personalium; cùm hæ solvantur deductis expensis, & ibi, ubi habitat, qui lucrum fecit.

13 Cæterùm accuratè perquirere, quid interſit inter Decimas Reales ac Personales, propter diversas earum proprietates & effectus magnopere necessarium est. Nam I. Reales debentur expensis non deductis. II. Debentur etiam ab Infidelibus, v.g. à Judæis ex prædijs & animalibus, intra fines Catholicæ Parochiæ sitis. III. Majores (de quibus mox agemus) debentur ubique, IV. Debentur Reales illi Parochiæ, intra cujus fines proveniunt fructus. E contrario Personales non debentur, nisi deductis expensis. Nec ab Infidelibus. Nec ubique, sed ferè nullibi locorum. Nec in Parochia, intra cujus fines lucrum provenit, sed ubi habitat is, qui percipit: quas differentias infrà explicabimus.

14 Assert. II. Decimæ Reales aliæ sunt Majores, Minores aliæ. Ita Inoc. III. *in C. 30. h. t.* éstque ista distinctio passim usu recepta, præsertim in nostra Germãia, ubi sæpe Episcopo, Principi, Monasterio &c. Decimæ Majores solvuntur, Minores Parocho vel Vicario. Majores sunt, quæ penduntur ex frumento, vino, oleo &c. Minores ex animalibus, fœno, oleribus, pomis arborum, lino, cañabe, rapis, napis, cepis, milio, variisque leguminibus, ut fabis, pisis, ciceribus, lentibus, lupinis &c.

Quemadmodum verò universim 15
quoad decimas multum possunt consuetudo, & peculiarium locorum statuta, ut infrà dicetur: ita id maximè verum est quo ad fructus, utpote quorum aliqui hîc ad majores, alibi ad minores decimas referuntur. In Statutis Bavaricis *Tit. 28. art. 12.* fructus decimis obnoxij, haud dubiè juxta antiquam consuetudinem, sic distribuuntur: Zu dem kleinen Zehent gehören Kraut/ Rueben/ Flax/ Hanff/ Breun/ und dergleichen geringe Frücht/ auch der Obst/ und Blut-Zehent; aber Arbeis/ Häidelpreun/ Bonnen/ und Linsen/ sollẽ zu dem Getraid/ als zu dem grossen Zehent gerechnet werden/ es wäre dann an einem oder anderem Orth ein anderes/ wie recht ist/ herkommen/ soll es dabey bleiben.

Assert. III. Decimæ aliæ sunt Ordi- 16
nariæ, quæ videlicet statis temporibus, & stabiliter ex fructibus prædiorum, ac lucris personæ solvuntur. Aliæ Extraordinariæ, extra ordinem & in certis quibusdam casibus à SS. Pontifice imponuntur. Tales erant, de quibus agitur *Clement. 2. h. t. & Extravag. un. eod.* Tales item, quas summi Pontifices ex bonis Ecclesiasticis pro subsidio Terræ sanctæ, aut in bellum sacrum contra Saracenos, Franciæ aliisque Regibus frequenter concesserunt, ut dixi

n. 2.

n. 2. & multa huiusmodi concessionum exempla afferunt Petr. Greg. *Syntag. Jur. lib. 2. C. 20. à n. 3.* & Rousel. *lib. 5. Histor. Jurisd. Pontif. c. 2.* Esse penes SS. Pontificem hanc potestatẽ, à Clericis hæc exigendi extra dubium est, & patebit ex dicendis.

17 Assert. IV. Ecclesiasticæ Decimæ aliæ sunt Spirituales, aliæ Temporales. Spirituales sunt, quæ penes Ecclesiam sunt, sícque titulo spirituali connexæ. Temporales, quæ à Sede Pontificia, vel ante Concilium Lateranense Anno 1179. celebratum etiam ab Episcopis in feudum, etiam perpetuum, laicis concedebantur; unde passim Decimæ Sæculares & Laicales nominantur. Sunt istæ nihilominus Ecclesiasticæ: quia, quando Laicis conceduntur decimæ, sola utilitas conceditur, manétque Jus directum semper penes Ecclesiam, & idcirco, ut dixi suprà *n. 2.* si revertantur ad Ecclesiam, redeunt pariter ad primævum statum, & naturam, neque tanquam laicales liberè denuò in laicos alienari in perpetuum possunt; possunt verò ab Ecclesia vindicari, si Laicus eas vacantes sine legitimo hærede reliquerit, aut crimen confiscatione dignum commiserit, ut rectè monet Engl *h. t. §. 2. n. 19.* Hinc aliqui illas, quas dixi Spirituales, vocant omnino spirituales, seu strictè Ecclesiasticas; has verò dicunt laicales aliquo modo, seu minùs strictè Ecclesiasticas. Plurimi alij supponunt, has Decimas temporales esse verè Ecclesiasticas, & non malè allatam modò divisionem omnino omittunt, quia videlicet non est de natura Decimarum, sed merè per accidens, esse penes laicos earum utilitatem.

Notandum hîc porro est, quales 18
in dubio censendæ sint Decimæ. Et primò quidem dubitari potest, an aliqua Decima secundùm suam originem, & jus radicale sit profana, an sacra. v. g. si Princeps ex aliqua re decimas percipiat, & dubitetur, an tributi nomine fuerint impositæ ab antecessoribus, sicque semper & in ipso ortu fuerint profanæ, an verò eidem ab Ecclesia concessæ? Secundò dubitatur frequenter, utrùm Decimæ Ecclesiasticæ manserint spirituales, quales naturâ suâ sunt; an verò à titulo spirituali separatæ laicis sint concessæ?

In secundo casu videtur omninò 19
certum esse, quòd præsumendum sit, non fuisse separatas à titulo suo spirituali, sed esse etiamnum purè Ecclesiasticas, & spirituales. Ita Baldus *lib. 1. cons. 419.* aliíque communissimè, éstque frequenter ita judicatum in Rota Romana, teste Card. de Luca *disc. 6. de Decim. n. 16.* Ratio est: quia talis mutatio & alienatio Decimarum in Laicos est facti, éstque Privilegium; factum autem non præsumitur, sed probari debet, *L. In bello §. Factæ ff. de capt. & postlim. L. 1. C. de Probat. L. asseveratio C. de non num. pecun.* Privilegium quoque non præsumitur. Decius & DD. *in C. Porrò de Privileg.* quia est quid facti. Et

sicut

sicut res, quæ erat, præsumitur adhuc esse, ita præsumitur esse, qualis fuit, *C. 6. & C. 9. de Præsumpt. L. siquis ex argentarÿs. §. an & hæredi ff. de Edendo. L. testium. C. de testib.*

20 In primo quoque casu præsumptio est pro Decima Ecclesiiastica, ut benè tradunt Layman. *lib. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 1. in fin.* Pirrhing *h. t. n. 5.* alijque. Ratio est: quia comunis lex & consuetudo Ecclesiæ semper fuit, ut ex prædijs clero penderentur Decimæ, ergo si ex aliqua re non Ecclesia, sed Princeps laicus, decimas percipit, censendum est, quòd in hunc ab illa fuerint translatæ.

CAPUT II.

De Jure, quo statutæ sunt Decimæ.

QUÆSTIO I.

An sint statutæ Jure Naturæ?

SUMMARIUM.

21. Causa efficiens Decimarum Remota & Proxima.
22.23.24. Videntur deberi Jure Naturæ.
25. Non debentur hoc Jure formaliter sumptæ, & ut sunt hæc pars determinatæ.
26.27.28. Solutio oppositorum.
29.30. Debentur Jure Naturæ, quatenus sunt necessariæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ.
31. Et Jure Divino etiam positivo.

21 EXplicatâ, quantum satis est, naturâ & causis intrinsecis Decimarum, exprimenda nunc est causa efficiens tam Remota, quàm Proxima. Proxima sunt illi, qui eas solvunt. Remota est lex obligans ad solvendas. Hæc utrùm sit Humana tantùm, an verò Divina vel Naturalis, sciri multùm interest: nam si est una ex posterioribus, nec consuetudo contraria, nec præscriptio ipsi prævalebit; uti nec Privilegium. His autem omnibus tolli potest, si dunta-xat humana est. Loquimur autem de Decima parte fructuum, seu de Decimis, ut vocant, formaliter sumptis; non de illa parte seu quota, quæ necessaria præcisè est ad alendos Ecclesiæ Ministros, quam non pauci vocant Decimam materialiter spectatam, vel Decimam sustentationis.

Sunt, quæ suadeant, jure Naturæ deberi. Nam I. in statu Naturæ Abraham de omnibus spolijs, quæ tulerat de quinque Regibus â se devi-

cis, decimas dedit Sacerdoti Melchisedech, *Genes. 4.* & *Hebr. 4. Intuemini, quantus fuerit hic, cui & Decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* II. Jacob *Genes. 28. v. 20. votum vovit dicens, si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via &c. cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* III. apud Gentiles receptissima fuit Decimarum oblatio, ut constat ex Diodoro Siculo *lib. 5.* Plutarcho *Problem. c. 16.* Herodoto *lib. 1.* Plinio *lib. 18. Histor. Nat. c. 2. & lib. 19. c. 14.* Xenophonte *de laud. Agesilai.* Livio *lib. 5. decad. 2.* Valerio Maximo *lib. 1 c. 1.* Sic Athenienses quot annis decimas frugum suarum seponebant Sacrificijs publicis, & eo nodis communibus. Idem *Populus Atheniensis*, ut ait Diod. Sicul. *lib. 11. dicavit Deo decimam partem, quam ex spolijs detraxerat.* Æginatæ ex spolijs Persarum, qui Platzensi prœlio occubuerant, decimam Dijs quibusdam dedicârunt. Reliqui quoque Græci, Carthaginenses, ac Romani, Apollini Herculi, Jovi Feretrio decimam de præda sacraverunt. Cyrus consilio Crœsi ex omnibus hircis decimum quemque Jovi reddidit. Agesilaus duorum annorum spatio centum talenta & amplius Deo apud Delphos in Decimam dedit. Sabæi Deo suo, quem Sabin dicebant, Thuris collecti decimam partem obtulêre. Mercatores aliique lucris inhiantes Herculi decimam voverunt, ut tanto heroe in societatem lucri vocato & rerum suarum satagente, commercia felicius promoverent. Hanc illi portionem Herculeam vocabant. Lucullum Romani moris & juris peritissimum, quòd decimam voviſſet, votúmque persolviſſet, maximis opibus auctum veteres existimâsse, narrat Plutarchus in Lucullo. Plura huiusmodi vota ab antiquis fuisse emissa constat *ex L. 2. ff. de Pollicit.* ubi Ulp: *si decimam quis bonorum vovit, decima non priùs esse in bonis desinit, quàm fuerit separata, & si fortè, qui decimam vovit, decesserit; ante sepostionem, hæres ipsius hæreditario nomine obstrictus est: voti enim obligationem ad hæredem transire constat.*

Hæc autem non nisi naturæ ductu 25
facta sunt; quod enim à plerisque gentibus fit, saltem si arduum est, & cupiditati humanæ adversum, censendum est fieri præcipiente natura. Sicut viciſſim illud, à quo plerique gentes abhorrent, à natura vetitum esse judicamus. Sic ex eo, quòd plerœque gentes etiam Barbaræ abhorrent à connubijs filiorum cum parentibus & novercarum cum privignis, rectè infertur, impedimentum consanguinitatis & affinitatis in primo gradu Lineæ rectæ, esse juris naturalis. Non enim est credibile, gentes tam multas cæteroquí discordes ingenio moribus, & legibus civilibus, in aliqua re contra appetitũ sensitivũ vel facienda, vel omittenda esse concordes, nisi lex quædam omnibus insita

nata

fieri illam jubeat, aut vetet. Cùm igitur in offerendis Deo Decimis plurimæ gentes convenerint, absque aliqua lege positivâ, censendum est, id eas feciſſe Naturâ non ſolùm ſuadente, ſed etiam præcipiente, quia ſuis ſe ſpoliare res eſt ardua, ardua verò abſque præcepto & coactione non obtinentur.

Allatæ rationi accedit alia lumine Naturæ nota: dictat enim juris naturalis ratio, decimas Miniſtris Eccleſiæ ſolvendas eſſe, cùm non Domino ſolùm, in cujus ſorte vocati ſunt, ſed populo quoque laborent, miniſtrando Sacramenta, verbum Dei prædicando, ſacrificia & preces pro ſalute commiſſi Gregis, totiúsque fidelium congregationis, offerendo. Unde in omni Republica cætúque hominum, etiam ſolo naturalis legis lumine imbutorum, magna ſemper, uti ſacrificiorum, ita ſacrificorum cura fuit habita, hiſque alimenta conſtituta tum ex horreis publicis, ut olim ab Ægyptijs *Genes. c. 47.* tum ex ijs, quæ Deo aras offerebantur. Igitur conſiderato jure etiam ſolùm naturali Decimæ clero debentur. Eſſe verò etiam hodie debitas *jure divino & naturali*, tenuerunt, ut ait Covar. *lib. 1. var. c. 17. n. 2.* Gloſſ. Archid. Anchar. ac alij *in C. 1. hoc tit. in 6.* Innocent. *in C. ult. de Paroch.* Joann. And. *in Rubr. de decimis*, Abbas *in C. aliquibus eod.* Sed malè allegantur: ſolùm enim aſſerunt, deberi jure divino, nec de Naturali mentionem faciunt. Aſſerit verò Andr. Hiſpanus *tr. de Decimis. §. 2.* etiam hoc jure eas deberi, nec poſſe illud etiam quoad quotam ab Eccleſia immutari.

Aſſert. 1. Decimæ non debentur 25
jure naturæ. Ita cum S. Thoma *2. 2. q. 87. art. 1. ad. 3.* omnes Th. Th. & Canoniſtæ. Eſtque aſſertio indubia, ut ait Navar. *in Man. c. 21. n. 28.* Ratio eſt. Quia non conſtat de ullo præcepto decimas ſolvendi, ante legem ſcriptam ſeu Moſaicam. Natura enim ſolùm dictat, ut Deum colamus tanquam conditorem & ſupremum rerum omnium Dominum, eidémque ut bonorum omnium fonti grati ſimus: modum verò, quo cultus iſte & gratitudo exhibeatur, non determinavit. Neque erat ratio, cur illi noſtræ erga Deum obligationi potiùs per Decimarum obligationem, quàm via ac ratione alia ſatisfieri vellet; quia ut benè obſervat S. Thomas *loc. cit.* ante tempus veteris legis non erant determinati divini cultus Miniſtri, idcirco neque erat ratio Miniſtris divini cultùs certam aliquam partem determinandi.

Neque difficile eſt, ad ea, quæ in 26
oppoſitum allata ſunt, reſpondere. Quòd Abrahamus Decimas obtulit, ſponte id, ut ferè cætera, & liberali animo fecit. Quòd Jacob Decimas vovit, potiùs probat, non fuiſſe ad eas dandas aliquo præcepto vel Naturali vel Divino poſitivo adſtrictum: ipſe enim modus ſolvendi ex voto oſtendit, fuiſſe ſolùm ex devotione & ultronea promiſſione, ut rectè obſervant Hug. de S. Vict. *lib. 1.*

de Sacrament. c. 4. & 11. & Abulensis *in c. 23. Math. q. 62.* ferè enim illa solùm Deo per votum offerimus, quæ offerre liberum est.

27 Quæ de varijs gentibus, Decimas offe entibus, nec Hebræis nec Christianis, ac idcirco nulla lege positiva ad id obligatis, adducta sunt, solùm probant, conformem esse hanc oblationem dictamini Naturæ; non verò, quòd hæc obliget. Erántque Decimæ à Gentibus oblatæ ferè solùm de præda & spolijs, non verò de fructibus soli, vel lucris ex industria personæ. Non erat autem ratio, cur Natura potiùs de spolijs hostium, quàm de alijs proventibus illas solvi juberet. Neque etiam ex illis Gentibus omnes, aut ferè omnes, Decimas solvebant; sed tantùm aliqui. Non est autem Jure Naturæ præceptum, quod aliqui tantùm faciunt, reliqui sine reprehensione aliorum omittunt. Illi denique oblatores speciali encomio celebrantur tanquam liberales & grati in Deum: quod non fuisset factum, si fuissent obligati, & passim alij idem facitassent.

28 Secundum argumentum probat quidem, ut mox dicemus, quòd Ministris sacris alimenta debeantur; non verò, quòd pars decima omnium fructum.

29 Assertio II. Jure Naturæ ac Divino debetur Ministris Ecclesiæ in laboris impensi justam mercedem ea pars fructuum, quæ ad ipsorum congruam sustentationem necessaria est. Ita cum S. Thoma 2.2.q.87.art.1. *in* C. Th. Th. & Canonistar. communis & certa sententia, cuius contrariam Covar. *lib. 1. var. c. 17. n. 2.* censet esse hæreticam, cùm in Concilio Constantiensi sess. VIII. ex Joannis Wicleffi 45. propositionibus, hæc quoque numero decima octava damnata sit; *Decimæ sunt puræ eleemosinæ, & Parochiani possunt propter peccata Prælatorum suorum liberè auferre eas.* Verùm etsi S. Synodus, ut referunt Barth. Caranza *in summa dicti concilij sess. 8* & Cabassutius in *Notitia Ecclesiastica secul. 15. comment. ad idem concil. n. 1.* plures ex illis 45. articulis Wicleffi pronuntiárit esse notoriè hæreticos: aliquos tamen solùm damnavit, ut *erroneos, scandalosos, blasphemos, bonarum aurium offensivos*, nec expressit, quinam determinatè sint hæretici. Igitur solùm statuit, dari obligationem solvendi decimas; non verò tradidit, tanquam fide divina certum, eas deberi jure naturali vel divino.

Certum nihilominus est, vi legis 30
Naturalis deberi à populo illam, quá diximus, clericis partem. Nam ratio dictat, ijs, qui pro populo laborant, alimenta à populo præstanda. Unde sicut jure Naturæ Regibus debentur tributa, Militibus stipendia, Judicibus alijsque publicis Ministris salaria; ita eadem eodem jure debentur ijs, qui populo in sacris ministrant. Paucis hanc rationem expressit Sapientia Divina *Lucæ 10. v. 7.* dicens Discipulis. *In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos*

illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ. & Paulus 1. *Corinth. 9. v. 7. quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Esse verò hoc debitum Justitiæ S. Augustin. *in Psal.* 146. ex cit. Christi verbis bene sic deducit; *Ne putarent* (Fideles) *aliquid de suo donare, dignus est, inquit, mercede suâ.* Et quidem si Jure Naturæ & ex Justitia debetur stipendium ijs, qui profana ministrant, à fortiori debetur sacra ministrantibus, ut indicat Apostolus *l. c. v.* 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et *ad Rom. 15. v. 27. Debitores sunt eorum:* (Gentiles conversi eorũ, à quibus lumen fidei acceperunt) *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis.*

31 Lege quoque divinâ positivâ, prout hæc distinguitur à Naturali, quam Deus animis nostris, mox dum condit, implantat, deberi alimenta Dei Ministris, desumitur ex cit. Christi & Apostoli verbis: ubi enim attulerat, quæ sunt Juris naturalis, quòd scilicet nemo stipendijs suis militat, & de fructu vineæ edit, qui eam plantat, subdit: *an & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt.* Et *v.* 13. *Nescitis*, inquit, *quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Est ergo, teste Paulo, ordinatio, ac præceptum Domini, ut alantur, qui Evangelium prædicant. Quod repetit. *1. Tim. 5. qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina, dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede suâ.* Ubi Ambrosius, alijque Interpretes, per duplicem honorem intelligunt reverentiam, Ministris Christi debitam, & sustentationem.

QUÆSTIO II.

Præceptum de Decimis in lege Gratiæ sitne Divinum, an solùm Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

32. *Opinio docentium, decimas in lege Gratiæ deberi Jure Divino.*
33. 34. 35. *Rationes hujus doctrinæ.*
36. 37. *Non debentur Jure Divino in Lege Novæ.*
38. 39. *Responsio ad contrarias.*

40. *Debentur Lege Ecclesiasticâ.*
41. *Eáque antiquissimâ & Ecclesiæ coævâ.*
42. *Debentur ex Religione simul & Justitia.*
43. *Non sunt eleemosyna.*

32 HUmanum duntaxat sit præceptum de solvendis decimis, an divinum, plurimùm referre jam dixi *n.* 23. Hoc ultimum dicendum erit, si cum Canonistis sentire velimus: hi enim fere omnes, si RR. excipias, acriter propugnant, divino Jure, etiam in lege nova, solvendas esse: hoc tamẽ discrimine, quòd Hostiens. *in sum. h.t.* Joan. Andr. *in regul. qui prior.* Felin. *in c. causam de præscript.* Henr. *in c. Pervenit. h. t.* Card. *in c.* 1. *eod.* Florian. & alij, Decimas solùm Reales Jure divino deberi autumant, non item Personales. Idem ex RR. tenet Nicol. Lemaistre *de Decim. c.* 2. & 3. ubi defendit, decimas prædiales omnino provenire à Jure divino tam quoad substantiam, quàm quoad quotam. Alij verò, ut Innocent. *in rubr. de Decim. & in C. de Paroch. ult.* Gloss. Francus, Anchar. *in c.* 1. *h. t. in 6.* Archid. *in c. Decimæ.* 19 *q.* 1. *& in C. quicunque* 16. *q.* 7. & Gloss. *ibidem* Anton. de Butrio *in C. Parochianos h.t.* Abbas in *c. aliquibus h. t.* Alexand. *Cons.* 60. *lib.* 4. Tyndar. *tr. de Decim. q.* 2. *n.* 36. & 10. (quos ex Th. Th. secuti sunt Andr. Hispan. *tr. eodem* §. 2. & Albertus Pighius *lib.* 5. *Hierarch. Eccles. c.* 7.) absolutè pronuntiant, præceptum de Decimis esse divinum. Et quidem Innocent. *in c. ult. de Paroch. in fin.* ait, mirum esse, quòd quidam dicunt, non deberi decimas personales, & hoc ipsos dicere, velut insanos & Hæreticos, cùm expressè habeatur contrarium *Num.* 10. & *Deuter.* 12.

Nititur Sententia hæc veterum 33
argumentis, primo aspectu irrefragabilibus, cùm effata SS. PP. Conciliorum ac SS. Pontificum, quæ pro ea afferuntur, videantur esse aperta. Nam I. Juxta S. Hieron. *relat. C. fin.* 16. *q.* 1. decimæ *divini Juris esse noscuntur.* Idem sentire videtur S. Ambrosius *relat. can. nam qui Deo* 16. *q.* 2. Idem S. Augustinus *relat. can. Decimæ* 16. *q.* 1.

II. Probatur auctoritate SS. Ca- 34
nonum. Nam juxta Concil. Mogunt. *relat. can. admonemus* 2. 16. *q.* 2. decimas *ipse Deus dari constituit.* Juxta Concil. Lateran. sub Greg. VII. *relat. can.* 1. 16. *q.* 7. *fideles Domino præcipiente eas offerunt.* Juxta Alexandrum III. *C. Parochianos h.t. Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sunt institutæ.* Juxta Innoc. III. *C. tua* 25. *h.t. Divina Constitutione debentur.* Juxta eundem *C. tua nobis* 26. *eod.* eas *Deus in signum universalis dominij sibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans.* Ibidem ait, *ex mandato divino deberi.* Idem *c. in aliquibus* §. *f. h.t.* ait: *Illæ quippe decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex lege Divina, vel loci consuetudine*

ne approbata. Tandem Concil. Trid. *sess. 25. c. 12. de Reform.* ait, decimarum solutionem esse debitam Deo.

35 III. Abstrahendo ab authoritate, affertur ipsum Dei præceptum. Nam imprimis illud, quod olim Judæis interprete Mose datum est, non fuit revocatum; partim quia de revocatione non constat; partim quia allegatur à PP. & SS. Canonibus, qui proinde supponunt, adhuc extare. II. Fit ejus mentio in novo testamento. Sic Christus dixit, dignum esse operarium mercede sua, & decimas Pharisæorum ex mentha, anetho, & cymino, ad quas lege divna obstringebantur, approbavit, dicens: *hæc oportuit facere, & illa non omittere. Math.* 23. Idem respondit Scribis, & Pharisæis: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,* id est, decimas: nihil enim magis Dei ist, quàm decimæ, ut argumentatur Anast. Germon. *tr. de sacrorum immun. L. 1. c. 19. n. 35.* juxta illud *Levit. 27. v. 30. omnes decimæ terræ, sive de pomis arborum, Domini sunt.* Et *Malach. 3. v. 10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.* Tandem Apost. 1. *Corinth. 9. v. 14.* apertè asserit præceptum divinum, dum ait: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

36 Verùm etsi hæc antiquis Canonistis visa sint manifestè suam opinionem probare, nihilominus constans semper fuit Sententia ferè omnium Theol. cum Hugone de S. Vict. *de Sacram. Lib. 1. c. 4. &* 11. S. Thoma 2. 2. q. 87. *art. 1.* Alensi 3. *p. q. 51. m. 1. 2. &* 3. estque omnium RR. Jurisperitorum cum Navarro *in Man. c. 21. n.* 28. Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 2.* & Guttier. *l. 2. can. qq. c. 21. n. 8.* Ferd. Vasq. *l. 2. contr. c. 89. n. 1.* nullum in Lege Gratiæ de solvendis decimis Divinum præceptum extare.

Assert. 1. Decimæ in lege nova 37
non debentur Jure Divino. Stant pro hanc assertione rationes satis manifestæ. Nam 1. In lege gratiæ non datur lex aliqua Divina, quæ simul Naturalis non sit, nisi de Sacramentis, & rebus credendis. Illa verò, quæ lata fuerat Hebræo Populo de decimis, non erat Naturalis, sed solùm Ceremonialis, vel Judicialis. Non ergò ampliùs viget. Major probatur à S. Thoma *1. 2. q. 108. art. 1. & 2. & Quodlibet. 4. art 13.* Ac quantum attinet ad decimas, inde constat: quia sub lege Evangelica ea solùm ex præcepto divino tenemur servare, quæ ab ejus conditore Christo Apostolis, & per hos Orbi præcepta sût, juxta illud *Math. ult. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Atqui non constat, aliquid mandatum fuisse de decimis. II. Quæ juris sunt divini, consuetudine contraria, vel dispensatione tolli non possunt. *c. litteras. 13. de rest. spol. & cùm tanto de consuet. c. consuetudinem dist. 11.* S. Thom. *1. 2. q. 97. art. 3. ad 1. Gloss. in c. ult. de consuet.* estque constans omnium

Theol.

Theol. Sententia, teste Azor *p. 1. l. 5. c. 17. q. 2.* At certum est, decimas consuetudine mutari, & tolli posse, uti dicetur infrà *n. 261.* Neque satisfacit Adversariorum responsio, consuetudinem, ut excuset à solutione decimarum, debere esse approbatam á SS. Pontifice. Non enim prodest hæc approbatio, si illæ debentur Jure Divino, cùm Pontifex in hoc Jure dispensare non possit, ut probat S. Thomas *quodl. 4. art. 13. quodl. 9. art. 15.* & in *4. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 2.* & supponit ubique, quem sequuntur communiter Th. Th. ac fusè demonstrat Suarez *lib. 9. de LL. c. 6. à n. 7.* hinc ex eo, quòd Pontifex dictam consuetudinem approbat, consequens est, eam non esse contra Jus Divinum. Unde non malè asseruisse videtur Bellarm. *tom. 1. cont. 5. l. 1. c. 25. §. quartus*, opinionem illorum Canonistarum, qui asserunt, decimas non posse lege humana, vel consuetudine mutari, eò quòd sint Juris Divini, esse errorem manifestum.

38 Ad ea, quæ in contrarium primo loco ex SS. PP. secundo ex Concilijs, & SS. Canonibus allata sunt, una valet responsio. I. Dicuntur quandoque aliqua esse constituta Jure Divino, etsi Deus illa non immediatè per se, sed solùm per suam Ecclesiam statuerit. Hinc Canones Ecclesiæ frequenter appellantur *Jus Divinum*, ut *c. 3. dist. 20. c. 30. jurejur. c. 1. de jur. cal. c. 2. de Privil. in 6. ac alibi sæpe.* Eodem fere sensu *l. 1 ff. de R. D.* res sacræ, sanctæ, & religiosæ dicuntur esse Divini Juris, quod repetitur §. 7. *Inst. eod. & l. 23. C. de SS. Eccles.* Ratio est, partim, quia ex Divino Fonte, SS. videl. Litteris, promanârunt Ecclesiastici Canones; partim, quia facti sunt auctoritate, & potestate Ecclesiæ immediatè à Deo concessâ; partim quia agunt de rebus ad Deum Divinúmque cultum pertinentibus. II. Statutæ sunt Decimæ in lege gratiæ *secundùm quandam humanitatem*, ut ait S. Thomas *2. 2. q. 87. a. 1. in c. ut scilicet non minus populus novæ Legis ministris novi Testamenti exhiberet, quàm populus veteris Testamenti exhibebat: cùm tamen populu nova Legis ad majora obligetur, secundùm illud Math. 5. nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum &c. & cùm ministri novi Testamenti sint majoris dignitatis, quàm ministri veteris Testamenti, ut probat Apost. 2. Cor. 2.* Cùm igitur decimas Ecclesia statuerit ad exemplum legis Divinæ, & quidem ob potiorem rationem, dicuntur statutæ *Jure Divino*: sicut solent Patres præceptum Jejunij quadragesimalis *Divinum* dicere, quia ejus exemplum in Domino præcessit, ut habetur *can. 16. 21. & 25. dist. 5. de consecr. c. 8. dist. 76. Concil. Senon. c. 7.* III. Sunt decimæ præceptæ *Jure Divino* potestate, seu in radice, ut loquitur

quitur Suarez *c. 10. n.* 8. quia potestas hanc partem pro ministrorum sacrorum alimentis determinandi non pertinet ad Jurisdictionem secularem, quæ principibus immediatè data est à populo; sed ad Ecclesiasticam, quæ immediatè promanat à Deo. IV. denique debentur decimæ Deo in suis ministris: quâ ratione peculiari modo pertinent ad Jus Divinum. Sunt item decimæ res sacræ, ac religiosæ, jusque eas percipiendi est spirituale, & ad cultum Divinum pertinet, & ideò hac quoque ratione Divinum appellari potest, id est, Jus ipsi Deo comparatum.

39 Ad 3. argum. multò facilior est responsio. Negatur enim, præceptum vetus de decimis solvendis non fuisse revocatum: cùm enim non sit naturale, sed duntaxat judiciale fuerit, ut diximus n. 27. sepultum cum Synagoga morte Christi fuit, ut reliqua judicialia, ac ceremonialia veteris Legis præcepta. Unde speciali revocatione opus non fuit, quia tota illa Lex, teste Apost. *Galat. 3.* solùm *posita est, donec veniret semen*, Abrahæ promissum, Christus, & ut idem ait, *Lex* vetus *pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Quòd verò *operarius*, ut Christus dixit, *dignus est mercede sua*, & quòd Deus, teste Apostolo, *ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*, probat quidem, quòd ministris Evangelij debeantur alimenta, non verò quòd determinatè pars decima fructuum. Ex eo denique quòd Pharisæi, asserente Christo, debuerunt, uti fecerant, pendere decimas, non sequitur, quòd obligati fuerint Lege nova, sed solùm, quòd Mosaica. Nova enim Christi non cœpit obligare ante diem Pentecostes, ut fusè probat Suarez *de Leg. lib. 10. c. 4.*

Assert. II. Decimæ debentur Jure Ecclesiastico. Assertio est de fide, 40
ut benè asserit Suar. *Tom. 1. de Relig. l. 1. n. 2. c 11. n. 3.* & patet ex *tot. tit. de decimis*, tum in antiquis, tum in 6. & Clement. nec non ex *c. decimæ 16. q. 1. c. omnes decimæ 16. q. 7.* varijsque Concilijs, quæ allegat Bellarm. *tom. 1. cont. 5. l. 1. c. 2. 5. n. 20.* ac præcipuè Trident. *sess. 15. c. 12. de reform.*

Quàm antiqua sit hæc lex Eccle- 14
siæ, non satis convenit inter DD. & hîc quoque, ut in multis alijs acutiùs cernere sibi videntur RR. Critici, ac præcipuè Lupus *tom. 4. scholior. in Canones p. 195.* & Bern. van Espen *Jus Eccles. p. 2. tit. 33. c. 1. n. 11.* putántque decimas seculo quinto fuisse *voluntarias*. Sed si quis benè expendat, quæ S. Hieronymus *in c. 3. Malach.* & *epist. 2. ad Nepotian.* ac S. Chrysost. *tom. 4. in ep. ad Ephes.* de decimis tradunt, videbit, hos PP. præceptum supponere, & non, ut illi volunt, piè duntaxat exhortari fideles ad eas solvendas. Et quamvis *sermo 219. de*

tempor. ubi dicitur, decimas ex debito requiri, fortè non sit S. Augustini, uti aliqui contendunt; idem tamē S. Doctor *homil. 48. inter 50.* apertè supponit, præceptas esse decimas. Idem supponit S. Ambrosius *serm. 1. quadr.* dum ait: *Quicunque recognoverit in se, quòd fideliter non dederit decimas suas, modò emendet, quod minus fecit.* Quin Clemens Romanus coævus Apostolis, eorumque alumnus, *L. 2. constit. Apost. c. 25.* ait, decimas *secundum Dei mandatum* tribui. Idem dicit *l. 8. c. 30.* Eadem habet Cyprianus *ep.* 34. & 66. Origenes antiquissimus itidem Doctor, utpote qui vixit seculo secundo, & tertio, *homil. 11. in c. 18. Num.* dicit, præcepta Primitiarum, & Decimarum esse ex his, quæ ad litteram sunt servanda in Lege gratiæ. Deniq; Concilium Mogunt. *relatum c. 6. 16. q. 7.* ait *decimas Deo & sacerdotibus dandas Abraham factis & Jacob promissis insinuat: deinde lex statuit, & omnes sancti Doctores commemorant.* Immeritò igitur de antiquitate huius præcepti dubitatur, benéque asserit Laym. *l. Theol. Mor. tr. 6. c. 1. n. 2.* sine temeritate negari non posse, esse hanc Apostolicam traditionem, seu, Ecclesiam statim ab initio æquissimum, & necessarium judicasse, ut decimæ bonorum etiam Evangelicæ Legis ministris, tanquam vitæ stipendium, à fidelibus tribuerentur.

42 Assert. III. Decimæ debentur Ecclesiæ Ministris ex Religione simul & Justitia. Hæc quoque assertio est communis Th. Th. & Canonist. Ratio patet ex triplici fine, propter quem hæc lex statuta est. Nam Primò Deus eas sibi reservavit in signum universalis dominij. *c. 33. &c. 26. h. t.* Secundò, ut per decimarum præstationem Christiani non minùs se gratos Deo ostendant, quàm legis veteris cultores, ut ait D. Chrysost. *hom. 43. in 1. Corinth.* Cùm igitur Ecclesia ex hoc gemino motivo decimas statuerit, cúmque hoc motivum sit Religionis, consequens est, illas deberi ex obligatione Religionis. Tertiò debentur decimæ ministris Ecclesiæ, tanquam stipendium laboris, & alimenta. *c. si ergo 12. q. 1. c. Novum. 2. h. t.* ergo eas dare pertinet quoque ad Justitiam. Unde Clem. Rom. *l. 2. const. Apost. c. 29. & 38.* eas comparat tributis Principum, quæ ex Justitia debentur: Et *Trident. sess. 25. c. 11. de refor.* præcepit, *ut qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ absolvantur.* Atqui restitutio supponit debitum Justitiæ.

Neque obstat, quòd S. Augustin. *Enchirid. c. 76.* & S. Chrysost. *hom. 14. in Math.* Decimas enumerant inter eleemosinas. Sumunt enim hanc vocem latè pro quacunque pia contributione, tametsi debitâ ex Justitia. Vocit nsuper eleemosinas, quia Clerici inde alere pauperes debent. Pariter non obstat, quòd ex Justitia

vi

vi Juris naturalis, & Divini debeantur Dei Ministris solùm alimenta, non verò determinatè pars decima fructuum. Nam hoc ipso, quòd Ecclesia stipendium & alimenta ipsorum constituit in parte decima, hæc jam debetur ex Justitia: sicut per se quidem, & Jure naturali, Principi, eiúsque Ministris subditi solùm debent, quantum ad decentem eorum statum conservandum, & defendendam Rempublicam requiritur: si tamen Princeps in hunc finem certam semel quantitatem determinaverit, certáque propterea tributa exigat, hæc jam debentur ex Justitia.

QUÆSTIO III.

An justè fuerint statutæ Decimæ?

SUMMARIUM.

44. Error negantium Ecclesiæ jus ad decimas.
45. Fundamentum erroris.
46. Sunt etiam in novo Testamento æquissimè statutæ.
47. 48. 49. Rationes statuendi.
50. Corollaria ex dictis.

44 POstquam allatum est præceptum Ecclesiæ de decimis solvendis, nunc eius æquitas contra hæreticos defendenda est. Wicleffus, ut refert Waldensis *l. 2. de doct. Fidei art. 3. c. 64.* docuit, decimas esse puras eleemosinas, & nullo Jure deberi Sacerdotibus. Quem errorem sequuntur hodie Anabaptistæ, & Trinitarij, teste Bellarm. *tom. 1. contr. 5. l. 1. c. 25.* Erasmus, arrogans ille Ecclesiæ censor, sacra passim arrodere solitus, & ova ponere, quibus Lutherus pullos excluderet, *in anot. ad novum Testam.* ausus est dicere, exactionem decimarum esse tyrannidem. Fraticelli, & Pseudo Apostoli Hæretici simili ferè errore lapsi sunt, cùm dicerent, decimas non esse solvendas Clericis, qui paupertatem Apostolicam non profitentur. Quia aliqui Catholici *DD.* quibus favent Cajet. *in 2. 2. q. 87. art. 1. & 3.* ac Alphons. de Castro *contra Hær. V. Decimæ* ad tuendam dicti præcepti æquitatem, putabant esse necessarium dicere, non eo fine imperari decimas, ut in dominium Cleri transeant, sed ut eius duntaxat dispensationi committantur, ita ut Ministri sacri congruam pro ratione statûs sustentationem inde accipiant, & Ecclesiæ necessitatibus succurrant; quæ verò superfuerint, pauperibus erogent. Hinc inferebant peritissimi Theologi, ut loquitur Alph. de

Castro *l.c.* Sacerdotes aliàs abundantes decimas recipere tanquam earum dispensatores, ut eas videlicet pauperibus distribuant, & qui hoc non faciunt, injustè eas retinere. Idem sentire videntur S. Hieron. & S. Prosper relati *c. 6. & 7. 1. 9. 2.* Innocentius IV. etsi agnosceret æquitatem hujus Præcepti, ait tamen *rubr. de decimis*, nullam posse assignari rationem, cùm *Dei* judicia sint incomprehensibilia.

45 Rationes dubitandi, an Ecclesia justa ratione decimam fructuum, & lucrorum partem pendi sibi voluerit, sunt istæ. Jure Naturæ, & *Divino* solùm illa debentur Ecclesiæ Ministris, quæ sunt necessaria ad decentem eorum sustentationem: at non præcisè necessaria est ad hunc finem decima pars, sed sufficit vel duodecima, vel decima quarta, vel etiam minor. Cur autem Ecclesia plus suis Ministris dari velit, quàm quantum ad dictam sustentationem requiritur, apta ratio excogitari non potest. Neque sufficit exemplum *Dei* Levitis partem decimam tribuentis; tum quia Filij Levi, ut aliqui ajunt, erant ferè decima pars populi Hebræi, vel, ut censet Gabr. Vasqu. *tract. de decim. dub. 1. n. 7.* pars duodecima; tum quia habebant uxores, & liberos; tum quia in distributione terræ non acceperant suam partem. In novo Testamento Sacerdotes neque sunt duodecima pars populi Christiani, ut censet Vasqu. *l. c.* & vix sexagesima, ut opinatur Lessius *l. 2. de Just. c. 39. n. 4.* habentque suas possessiones hæreditarias, uti cæteri; nec habent uxores, & liberos alendos; neque omnibus Sacerdotibus decimæ debentur, sed solùm illis, qui habent beneficia.

Assertio. Decimæ in novo Testamento æquissimâ ratione statutæ sunt. Assertio est de fide, ut benè asserit Suar. *l. c. n. 3.* & demonstrat auctoritas Conciliorum, SS. DD. ac SS. Pontificum, suprà *n. 40. & 41.* allata, seu quod idem est, consensus universalis Ecclesiæ, quæ in moribus æquè ac circa res fide Divinâ credendas errare, præsertim in re tam gravi, non potest. 46 49

Ratione probatur I. Decimas in lege Naturæ dedit Abraham, vovitque Jacobus Patriarcha, instinctu Divino. Easdem instinctu Naturæ solverunt Gentiles, ut diximus *n. 22.* Conforme igitur rationi est, eas etiá modò solvi; præsertim quia major, & æquior stat ratio pro hodierno statu Ecclesiæ, ut mox dicemus; nequeminùs grati Deo esse debent Christiani, quàm fuerint ejus cultores in lege Naturæ, ac Mosaica, ac ipsi etiam falsorum Numinum adoratores. Quam rationem indicant SS. August. & Hieron. suprà citati, & Chrysost. *hom. 43. in 1. Corinth.* 47

II Deus comprobat hanc Ecclesiæ taxationem, dum fertilitatem concedit solventibus, non solventibus sterilitatem immittit, teste B. Augustino *hom. 48. inter 50. Majores*, ubi inquit 48

quit, nostri omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem, quia discedit devotio Dei, successit indictio fisci. Noluimus cum Deo partiri decimas; modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Et *serm.* 219. *Hæc est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris.* Et iterum: *si decimas dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis, & animæ consequêris.*

49 III. Deus Levitis, & Sacerdotibus veteris Testamenti dedit decimas omnium fructuum, lege utique justissimâ. Eàdem igitur, & æquè justa ratione in lege gratiæ Ministris Dei decretæ fuerunt. I. Quia non soli Episcopi, & Parochi alendi sunt à populo, sed etiam multi alij sacrorum Ministri quia Sacrificia pro eodem, & orationes offerunt, aliáque abeunt Divina officia. Horum autem numerus est maximus, ita ut Bellarm. dicat *cit. c.* 25. §. *Primum*, Clerum Christianum fortè majorem esse numero, quàm sexagesimam partem populi Christiani; cùm tamen, ut idem supputat, Levitæ vix fuerint sexagesima pars populi Hebræi. II. Ministri Numinis in veteri lege non simplici decima, ut in Nova, sed triplici gaudebant. Unde illorum multò melior erat conditio, quàm est Ministrorum Novæ legis. III. Sacerdotibus antiquæ legis maximũ compendium erat, tum ex Primitijs, tum ex innumeris Sacrificijs, ac oblationibus panis, fructuum, rerúmque aliarum, quæ sola ad eos alendos sufficere poterant. Hæc autem lucra non habent Sacerdotes legis novæ.

IV. In veteri lege decimæ manebant in familijs, quia transmittebantur ad posteros. Unde fiebant valdè divites. In lege nova non transmittuntur ad posteros. A multis vel nullæ, vel non integræ vi consuetudinis solvuntur. Per privilegia, & infeudationem à Prælatis Ecclesiæ transferuntur in Laicos, qui in multis locis dimidiam earum partem possident, teste experientiâ. V. Ministri Novæ legis multò plus laborant, eorúmque functiones sunt multò graviores, & excellentiores, ut notant Bellarm. ac Lessius. *ll. cc.* VI. Magnâ ipsis opus est eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus. VII. Vetitus ipsis est quæstus ex negotiatione, aliísque artibus, vel cultum divinum impedientibus, vel parùm decentibus statuum clericalem. At Ministris antiquæ legis non erat prohibitum lucrum facere ex mercatura, aliísque rationibus, quibus vulgus id potest. Quod discrimen affert S. Thomas *2. 2. q. 87. art. 2. ad* 1. VIII. Ministri novi testamenti sunt multò digniores, ut fusiùs explicat Suar. *cit. c.* 11. *n.* 8. Hinc pluribus egent ad tuendam suam dignitatem. Videmus enim, ait Lessius *l. c. n.* 10. Sacerdotes ijs in locis, ubi egestate premuntur, con-

temni, & nihil illis abjectius; unde fit, ut ad vilissima laicorum ministeria se abijcere cogantur, eorúmque vultus, ut famuli, observare: quo sicut nihil est indignius, ita nihil ferè est, quod eorum linguas à coercendis populi vitijs magis impediat, & cum Sacerdote sacerdotale officium contemptibile reddat. IX. In lege nova Ecclesiastici debent esse patres pauperum, orphanorum, & viduarum. Igitur non debent solùm habere, quod ipsis sufficiat, sed etiam, quo illis subveniant. Quod si non faciunt, cùm possunt, graviter peccant, uti habetur *can. fin.* 16. *q.* 1. *c. quod autem* 23. *q.* 8. *c. eorum* 12. *q.* 2. *c. clerici* 1. *q.* 2. *c. Pastor. c. Sacerdos* 1. *q.* 2. ac passim alibi, & ex S. Thoma latè probat Franc. Sarmiento *p.* 3. *de Redit. Eccl. c.* 4. *n.* 8. Qua de causa decimæ dicuntur alimenta pauperum. *C. decimæ* 16. *q.* 1. *c. clericos. c. Pastor* 1. *q.* 2. At Ministris antiquæ legis nullum speciale præceptum circa curam pauperum datum est. Accedit, quòd magna pars clericorum (ijs exceptis, qui ad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas assumuntur) non habet patrimonium sufficiens, quo alatur, sed potiùs parentes ac fratres, & sorores indigos, quos alat. X. In antiqua lege unum tantùm erat tabernaculum Fœderis, unum templum, idque à populo, & Regib⁹ omni apparatu instructissimum: in Nova sunt Templa innumerabilia, quæ ex decimis, si pietas Fideliũ id ultrò non præstet, suis ornamentis, & sacra supellectili instrui, & sartatecta conservari debent. Unde Gelasio statuente *epist.* 1. *c.* 27. uti refert, & explicat Concilium Triburiense *can.* 15. & Gregorio M. ac Concilio Tolet. ut refertur *can.* 27. *ac seqq.* 12. *q.* 2. quatuor partes de decimis, & oblationibus Fidelium fieri debebant, quarum una cederet Episcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta restaurationi Ecclesiarum servaretur. XI. Multæ aliæ sunt necessitates, quibus per decimas occurrendum est, & occurritur. Sic ex decimis fundata sunt Hospitialia (& amplissimorum multa redituum, de quibus Card. Pallavicinus *Histor. Concil. Trident. l.* 9. *c.* 9. *n.* 4.) dotata Monasteria, fundata Juventuti pietate & literis instituendæ Seminaria, magna pars Principibus pro defensione Ecclesiæ attributa, multæque Comendæ constitutæ. XII. denique maxima pars decimarum non Parochis, sed Episcopis, obvenit: quos ob dignitatem, quâ præfulgent, congruit proventus habere ampliores.

Ex dictis consequens est I. Decimas omnes, & integras transire in verum jus, & dominium Ecclesiæ: quia hæc habuit jus exigendi, & exigit, tanquam justa stipendia, & necessaria, ad sustentanda onera Ministrorum Ecclesiæ. Unde Fideles ad solvendas tenentur ex justitia; sicut factâ semel determinatione Principis, quâ statuit, quantum singuli ad ipsius statum conservandum, be-

lum

lum gerendum, & pro alijs publicis necessitatibus contribuendum sit, singuli ex Justitia tenentur illam quantitatem dependere. Igitur contra Justitiam peccarent, non tantùm ij, qui nullas solverent decimas; sed illi quoque, qui eam solùm partem, quæ præcisè ad alendum Parochum necessaria est, reliquam verò, quam Parochus in pauperes, & fabricam Ecclesiæ applicare tenetur, ipsimet ad dictos fines applicarent. Consequens est II. Jus decimandi esse spirituale, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 87. a. in c.* docent Theol. ac Canon. omnes: quia Ministris Ecclesiæ decimæ debentur titulo spirituali. Consequens est III. benè agere Clericos, qui decimas ad Laicos devolutas vindicant, nisi Laici justo se titulo tueri possint. IV. sequitur, benè eosdem agere, si non sinant consuetudinem induci, vi cujus postea decimæ aut omninò non, aut non integræ, & non ex omnibus fructibus solvantur. V. sequitur, vanas esse de decimis, & opibus Ecclesiasticis querelas & criminationes Hæreticorum, ac quorundam, plerumque tamen deterioris vitæ, Catholicorum, quibus semper nimium est, quod Clerus possidet. Unde rursus consectarium est, non inutiliter imitatos nos esse S. Thomam, aliósque gravissimos Doctores, disputando de æquitate præcepti, quod Ecclesia de decimis solvendis dedit.

PARS II.

De Causa Efficiente Proxima Decimarum.

CAPUT I.

De

Obligatis ad Decimas.

QUÆSTIO I.

Quinam universim teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

51. Decimæ Personales plerisque in locis sunt abrogatæ.

52. Prædiales debentur ex omnibus fundis alicui Ecclesiæ subjectis.

53. Personales ab omnibus, qui Sacramenta percipiunt.

Ex

51 EXplicatâ causâ decimarum Efficiente Remotâ, quæ est Lex: exponenda nunc est Proxima, quæ sunt fideles, qui eas dant. Etsi enim *Decimæ* sint fructus, hi verò potiùs Naturæ, quàm industriæ humanæ opus sint; antequam tamen decima pars à cumulo fructuum separetur, & pendatur, rationem decimæ non habet. Unde cùm separatio, & pensitatio fiat ab homine, hic potiùs, quàm terra, vel Natura, ejusdem effectrix causa dicendus est. Quæstio autem hîc est non solùm de Realibus decimis, sed etiam de Personalibus. Quamvis enim istas nuspiam ferè Gentium pendi asserant Gudelin. *de Jure Noviss. l. 6. c. 13. dub. 3.* Card. de Luca *discurs. 18. de decim. n. 16.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. tr. 2. c. 91. n. 4.* Valent. *tom. 3. d. 6. q. 5. pun. 3.* Palao *tr. 10. d. un. pun. 6. n. 10.* Azor *p. 1. Inst. Mor. l. 7. c. 24. q. 9.* Laym. *l. 4. Th. Mor. tr. 6. c. 4. n. 1.* Canis. de *decim. c. 7. n. 4.* Wagnereck *in c. 7. h. t. not. 3.* ac passim alij: revera tamen in desuetudinem multis in locis non abierunt. Nam in quibusdam Hispaniæ Regionibus solvuntur ex salarijs famulorum & famularum, teste Navarro *in Man. c. 21. n. 31.* Guttier. *qq. can. c. 21. n. 34.* & Rota Rom. *apud Barbosa de offic. Par. c. 28. §. 2. n. 27.* Venetijs, teste Lessio *l. 2. c. 39. n. 27.* solvuntur in fine vitæ, alibi in fine anni. Sunt quoque hîc Ingolstadij ejúsque vicinia in usu: nam singulis annis ostiatim colliguntur mense Decembri, vulgò der Leut-Pfenning / vel Leib-Pfenning / quòd de persona, seu corpore solvantur. Decimas quoque personales esse existimo illos nummos, die Beicht-Kreutzer / qui multis in locis Parocho penduntur á confitentibus tempore Paschali. De his quoque personalibus Decimis quæstio est, á quibus debeantur. Et quidem primò inquirimus, quinam in genere ad solvendas decimas obligentur: postea descensuri ad quasdam personas in specie, de quibus dubitari potest, an huic tributo sacro sint subjectæ.

Assert. I. Ad decimas prædiales tenentur omnes, qui titulo non spirituali habent fundos alicui Ecclesiæ subjectos: nisi legitimo aliquo titulo sint exempti. Patet ex *can. 65. & 66. 16. q. 1. can. 1. 4. 5. 7. 8. 16. q. 7. cit. q. 87. a. 1. & 4. c. 7. de Pact. c. 4. 6. 8. 21. 22. 26. 30. 32. h. t.* alijsque Juribus propè innumeris. Dixi: *nisi legitimo titulo sint exempti.* Quæ limitatio habetur *c. 24. h. t.* ibi: *respondemus, quòd à dantibus & recipientibus possessiones ad firmam* (seu locatas pro pensione certa, & firma, ut explicat Cuiacius *ad c. 2. de locato*) *de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvendæ: nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes.* Quibus verò modis hæc exemptio acquiratur, dicemus capite seq. 52

Assert. II. *Decimæ* Personales solvendæ sunt ab omnibus, qui ab 53

Eccle-

Ecclesia Sacramenta percipiunt. Hæc quoque assertio certa est, & instar regulæ traditur *c. 21. 23. 28. h. t. can. 66. 16. q. 1. & q. 7. can. 4.* ac sæpe alibi. Ratio cur personales quoque decimæ Ecclesiæ in Lege Nova debeantur, etsi fortè in antiqua non fuerint præceptæ, patet tum ex dictis *n. 46. & seqq.* tum ex eo, quòd fideles debent stipendium ijs, quorum ministerio in spiritu aluntur. Unde cùm multi illorum fundos, ex quibus decimas dare possint, non possideant, consequens est, debere suæ obligationi satisfacere de lucris suæ industriæ. Ex quo tamen non sequitur, solutos ab harum decimarum onere esse, qui solvunt reales, ut patet ex dictis *suprà cit. n. 46.* & ex S. Thoma *q. 87. art. 2. ad 1.* ac latè explicatur à Suarez *c. 11. n. 17. & 18.*

QUÆSTIO II.

An Infideles teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

54. Infideles qui dicantur.
55. 56. 57. Videtur, obligatos esse Infideles ad decimas.
58. Non tenentur ad Personales.
59. Nec Catechumeni, nisi ex Christiano Parente sint nati.
60. Tenentur ad Prædiales ex fundis olim à Christiano possessis.
61. Non verò ex alijs.
62. 63. 64. Corollaria ex dictis.
65. 66. 67. Responsio ad opposita.

54 INfidelium nomine hîc intelligimus illos, qui baptizati non sunt, puta Idololatras, Mahometanos, & Judæos: nam hos tantùm sacra Jura, & Canonistæ dicunt Infideles, reliquos verò à Fide vera devios dicunt Hæreticos.

55 Ad Decimas non prædiales solùm, sed etiam personales, obligari Infideles, tenent Gloss. *in c. quanto de usur. & in c. Decimæ 16. q. 1.* Ancharan. *in c. 16. h. t.* Rebuff. *tr. de Dec. q. 5. n. 11.* Rationes sunt I. Quia decimas, ut dicitur *c. 26. h. t. Deus in signum universalis dominij sibi reddi præcepit.* Cùm ergò Infideles, etsi non sint sub potestate Ecclesiæ, sint tamen sub potestate, & dominio Dei, illúdque æquè ac Christiani, recognoscere teneantur, consequens est, eos saltem ex hoc capite ad dandas decimas teneri. Quæ ratio specialiter locum habet de Judæis; cùm his specialiter datum sit ob dictam causam præceptum Divinum de decimis solvendis.

II. Etsi Infideles non percipiunt Divina in Ecclesia, tenentur tamen fidei Præcones recipere 56

& sequi, &, quod consequens est, eosdem alere juxta dicta *n. 29.* cùm ergò decimæ sint institutæ pro alendis Ministris Numinis, qui fidem promulgant, sequitur, etiam Infideles ad eas obligari: maximè quia Ecclesia, ut observat Suar. *l. 1. c. 16. n. 10.* in mittendis ad conversionem Gentium Prædicatoribus Evangelij magnos sumptus facit, ac hos consequenter ab ipsis gentibus potest exigere, eò quòd ipsi jure etiam naturali ad eos alendos teneantur, à quibus in Spiritu aluntur.

57 III. Saltem Judæi, aliíque Infideles, qui inter Christianos habitant, obligatione solvendi decimas tenentur, quia impediunt, ne Christiani habitent, & sic defraudant Ecclesiam personalibus decimis, quas perceptura esset à fideli ibi habitante. Ita Panorm. *in c. de terris h. t. n. 6.* Unde infert, etsi Judæi per se non obligentur ad decimas personales, teneri tamen ad compensationem ejus, quod Ecclesia perceptura esset à Christianis, qui ibi, ubi nunc sunt Judæi, habitaturi essent. Idem sentire videtur Gloss. *in c. 27. h. t. v. Prætextu.* Et probabile esse censet Schambogen *h. t. n. 22.* Sumitur ex *c. 18. de usur.* ibi: *Hâc eâdem pœnâ Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis, & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo pervenissent: ut sic Ecclesia conserventur indemnes.* At non conservantur indemnes, nisi Judæi solvant decimas etiam personales, quas illæ aliàs à Fidelibus fuissent perceptu-ræ.

Assert. I. Infideles non obligantur ad solvendas decimas personales. Ita docent Gloss. *in c. de terris & c. Decimæ 16. q. 1.* Sotus *l. 9. de Just. q. 4. art. 4.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 24. q. 3.* Suar. *c. 16. n. 2. & 4.* Gab. Vasq. *tr. de Benef. c. 1. dub. ult.* Barbos. *de offic. Par. c. 28. §. 3. n. 3.* Fagundez *in §. Præcept. Eccl. l. 2. c. 1. à n. 4.* Em. Gonzalez *in cit. c. 16. h. t. n. 2.* Hunn. *Enclyclop. p. 2. tit. 2. n. 36.* ubi ait, hoc esse extra controversiam, ac passim alij. Veritas assertionis desumitur I. ex *c. 23. h. t.* ibi: *quia fidelis homo de omnibus, qua licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Non ergo tenetur Infidelis: quid enim exprimitur Fidelis, si sine discrimine tenetur Fidelis, & Infidelis? Et *c. 16. eod.* dicitur, Judæos compellendos esse ad solvendas decimas *de terris, quas colunt.* Non ergo ad personales. Idem habetur *cit. c. Quantò de usuris.* II. Si hac obligatione tenerentur Infideles, tunc vel vi Juris Naturalis, vel Divini positivi, aut Ecclesiastici? Non Naturalis: quia etsi ipsa Natura nos obliget ad colendum Deum, & venerandum supremum Ejus dominium, non tamen obligat ad hunc certum modum per oblatio-

nem

dem Decimarum. Et licet eadem obliget ad alendos Superiores spirituales, & Pastores. Ministri tamen Ecclesiæ non sunt Infidelium Pastores, & Rectores, cùm illi non sint membra Ecclesiæ nec Spiritualia ipsis ministrentur. Unde in ipsis deficit ratio naturalis, quam explicavit Christus, cùm diceret: *dignus est Operarius mercede suâ.* Neque obligantur præcepto Divino: non quidem illo veteri Legis Mosaicæ; quia hoc solis Judæis datum, & per Legem Novam Christi fuit extinctum. Neque Novo: quia nullum in Novo Testamento fuit datum. Hinc malè ait Schambogen *l. c. n. 20.* Judæos adhuc teneri solvere decimas, *cùm adhuc veteri Legi Divinæ subjaceant*: nam extra controversiam falsum est, Judæos etiamnum obligari Lege Mosaica, ut fusè demonstrat Suarez *de Leg. l. 9. c. 10. n. 16.* & Gibalin. *l. 4. Scient. Canon. c. 4. q. 2. à n. 14.* Non denique Jure Ecclesiastico ad decimas obligantur Infideles, cùm duntaxat per Baptismum ingrediamur Ecclesiam, ejúsque jurisdictioni subijciamur, juxta illud Apostoli 1. *Cor. 5. v. 12. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?* Quæ verba ad solvendos à Jurisdictione Ecclesiæ Infideles afferuntur *c. 8. de divort. c. 18. 2. q. 1. & Trident. Sess. 14. c. 2.* De quo latè Card. Lugo *de fide disp. 20. sect. 4.*

59 Ex dictis infero cum Suarez *c. 16. n. 3.* neque Catechumenos, etsi omnia credant, quæ Catholici credimus, ad dandas decimas personales obligari: quia sola fides absque charactere, & solenni fidei professione, quæ fit in susceptione Baptismi, non subijcit quemquam præceptis Ecclesiæ. Sermo autem hìc solùm est de catechumenis, qui sunt filij parentum infidelium, & sponte veniunt ad Ecclesiam: nam filij Christianorum, ut benè observat idem eximius Doctor *l. c.* vi originis subduntur Ecclesiæ propter characterem parentum, & per voluntatem, seu obligationem eorum. Nam si etiam alteruter tantùm ex conjugibus infidelibus convertatur ad fidem, proles etiam ante ejusdem conversionem nata, & nondum doli tum capax, tenetur sequi fidem patris, vel matris conversæ, ita ut ad eam compelli possit, ut patet ex *c. ult. de Convers. Infid. & can. 63.* Concil. Tolet. IV. qui refertur *c. Judæi 10. 28. q. 1.* quia eo ipso, quòd alteruter conjux est fidelis, habet Ecclesia jus ipsum compellendi, ut prolem doli non capacem baptizet, & Christianis dogmatis imbuat, ut traditur *cit can. 10.* Unde si contingat filium parentum fidelium habere dominium aliquod, & fructus ex eo, vel lucra ex sua industria, habebit, etiã antequam baptizetur, obligationem solvendi decimas, quia tanquam baptizatus censetur.

Assert. II. Infideles obligantur 60
ad solvendas decimas prædiales ex fructibus possessionum, quæ sunt

in terris Christianorum, & quæ iam olim erant Christianorum dominio, ac oneri decimarum subjectæ. Non verò tenentur ex illis possessionibus, quæ à Christianis nunquam fuerant detentæ. Prima assertionis pars deciditur *c. 16. h. t. c. 18. de Usur.* nec non *c. 17. de Excess. Prælat.* Quæ decisio, cùm de aliquibus saltem decimis procedat, de illis certè possessionibus intelligi debet, ex quibus antiquitus, antequam ad Infideles pervenirent, Ecclesia decimas collegit. Ratio est, quia decimæ debentur à Fidelibus ex fructibus fundi, súntque post divisionem Parochiarum, ac Diœcesium singulis earum prædia, ex quibus decimas colligant, assignata. Et idcirco onus decimarum est reale, videlicet prædijs annexum. Atqui res transit cum suo onere. Ergo si prædium, habens annexum onus decimarum, transit in infidelem, pariter transit onus annexum. *arg. l. 7. ff. de Publican. & Vectig.*

61 Altera assertionis pars, videl. Infideles non obligari ad decimas ex possessionibus, ex quibus illæ antea non fuerant solutæ, etsi non certa, ut prior, est tamen communissima DD. contra Panorum. in *cit. c. 16.* ubi *n. 5.* cum Oldrado *consil. 91.* tenet, aitque, firmiter se credere, omnes Infideles, ubicunque degant, debere Ecclesiæ decimas prædiales, & ad eas solvendas cogi posse. Quà profectò ratione bellum quibuscunque Infidelibus Christiani Principes inferre licitè possent, exigendo videl. nomine Ecclesiæ, cujus Filij ac Defensores sunt, decimas ipsi debitas, & à recusantibus eas vi & armis extorquendo. Rationem dat: quia Deus universaliter sibi reservavit decimas omnium rerú, & totius orbis *arg. c. 25. h. t.* Et licet eas solùm Levitis dari præceperit; ex quo tamen hodie Sacerdotium translatum est in Christianos, oportet, ut etiam legis translatio fiat. *c. Translato de constit.* Præterea Christus constituit tantùm unum ovile, & unum Pastorem, ita ut nemo ab hoc ovili, seu Ecclesia universali, & ab ejus legibus separare se possit. Hanc tamen opinionem Sotus *cit. art. 4.* ait nulla probabilitate fulciri; Suar. *c. 16. n. 1.* falsam & improbabilem asserit, acri præter morem censurâ. Certè jura sacra obstare videntur: nam *cit. c. Quantò de usur.* dicitur compellendos esse Judæos *ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueverant, antequam ad eos quocunque titulo devenissent*: non ergo de possessionibus, ex quibus Ecclesia non consueverat aliquid percipere, antequam ad Infideles devenissent. Præterea juxta *c. 16. h. t.* compellendi sunt Judæi *ad decimas persolvendas, vel possessiones penitus renuntiandas, ne fortè occasione illâ Ecclesiæ valeant suo jure fraudari.* Igitur ex illis

illis solùm possessionibus Infideles debent decimas, in quibus jus aliquod habet Ecclesia. At qui hæc non habet aliquod jus in prædijs, quæ sunt in dominio Infidelium, & nunquam fuerunt in dominio Fidelium: nam præceptum divinum olim pro Levitis datum non transijt ad Christianos. Quòd verò omnes tenentur se aggregare ovili Christi seu Ecclesiæ, non probat, quòd hæc aliquod jus habeat in terras Infidelium, aut quòd isti peccent contra Justitiam, & jus Ecclesiæ, dum aut terras occupant ejus jurisdictioni antea nunquam subjectas, aut fidem non recipiunt; sed tantùm, quòd contra ipsam fidem, & propriam salutem.

62 Ex dictis consequens est I. quòd Infideles neque ad decimas prædiales obligentur per se, & obligatione personali, ut obligantur Christiani; sed tantùm, quòd obligatione reali, prædijs, quæ possident, annexâ: quæ obligatio respectu huius, & illius personæ est solùm per accidens.

63 II. Sequitur, quòd in terris, quæ ultimis duobus seculis in Africa, Asia, & America, per Europæos occupatæ, & antea nunquam à Christianis fuerant possessæ, Infideles, etsi jurisdictioni Christianorum subjecti, nullas debeant decimas.

64 III. Sequitur, quòd in terris olim per Christianos cultis, & decimarũ oneri subjectis, ac ad Saracenos bello injusto devolutis, ac rursum per Christianos Principes vindicatis, uti factum est olim in Palæstina, ac Ægypto, & proximo bello Turcico in Hungaria, Sclavonia, Croatia, Podolia, Dalmatia, Peloponeso, seu Morea &c. Turcæ, siqui etiamnum ibi fundos possiderent, cogi ad solvendas decimas prædiales possent. Imò absolutè, & in rigore cogi poterunt etiam illi Infideles, qui etiam inter Christianos non habitant, in terris tamen, quas Christianis injusto bello rapuerunt, ac detinent. Quod etsi Suarezius putet nonnullam solùm probabilitatem habere, reverâ tamen consequitur ex recepta ab omnibus assertione facta *n. 60. & can.* 13. 16. *q. 3. ac l. si 20. §. 1. ff. de captivis.* Ecclesia enim in illis terris jus decimandi habuit, neque per occupationem injustam illo fuit privata, neque præscribi huic juri ab Infidelib⁹ potuit, uti ipsemet Suarezius fatetur; *non enim erit objcienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis*, ut dicitur *cit. c.* 13. Et *remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legitimè habuit, reformetur. can.* 1. 35. *q.* 1. Igitur cogi poterunt ad tribuendum Ecclesiæ jus suum (nisi fœdera obstent) æquè ac privatus quisque Infidelis inter Christianos degens. Neque apparet, quomodo, ut idem eximius Doctor vult *n. 9.* excusentur per ignorantiam invincibilem Legis Ecclesiasticæ; non enim Juri Ecclesiæ invincibilis ignorantia debitoris obesse potest: aliàs non ap-

paret, quomodo non etiam Judæos inter Christianos degentes eadem ignorantia excuset: certum autem est, quòd hos non excuset. In praxi tamen verum est, quòd Infideles in dicto casu cogi ordinariè non possint; tum propter specialia fœdera; tum propter graviora incommoda, quæ ex coactione orirentur; tum denique quia licet Ecclesia jus suum in illis terris habitu semper retineat, actu tamen illud suspendit, vúltque cessare tam diu, quamdiu ibi spiritualia non exercet. Unde etiamsi illi ad Fidem revertantur, cogi tamẽ ad intermissam tempore Infidelitatis solutionem non debent, ut fatetur Panorm. *l. c.* quamvis dicat, de Jure id fieri posse, *arg. l. Imperatores ff. de Publican. & l. comperit C. de Præscript. 30. l. 40. ann.* Rationem dat Suarezius, quia hoc esset omnes intollerabile, & magnum Fidei impedimentum. Multò minùs Christiani, qui terras ab Infidelibus iniquè possessas recuperárunt, cogi possunt ad restituendas decimas, ab Infidelibus non depensas; etsi concederetur, successorem prædij ad eas, quas antecessor non solvit, pendendas teneri. Quod an verum sit, paulò pòst dicemus.

65 Ad primam rationem contra Infideles *n.* 55. allatam respondetur, tametsi omnes homines Jure Naturæ teneantur dominium Divinum agnoscere, non tamen tenentur hanc recognitionem facere, séque DEO bonorum omnium largitori gratos exhibere, per solutionem decimarum: specialis enim hic modus colendi Deum, gratúmque erga Ipsum animum ostendendi, quamvis juri Naturæ sit valdè conformis, & ultrò fuerit usurpatus ab Abraham, aliísque probis viris ante legem scriptam, revera tamen illo Jure præceptus non est, ut diximus *n.* 25. Lege verò Divinâ solis olim Judæis fuit præceptus, ita tamen, ut hoc præceptum cum legibus alijs Judicialibus ac Cæremonialibus Synagogæ Lege Christi novâ extinctum sit. Unde nec Judæi illo ampliùs tenentur. Et quamvis ab Ecclesia restauratum sit, id tamen Ipsa solùm facere potuit respectu illorum, qui ejus jurisdictioni spirituali per Baptismum sunt subjecti.

Ad secundam rationem *n.* 56. re- 66
spondet Sotus *art.* 4. licet Infideles immediatè obligentur ad Fidem, & Baptismum suscipiendum, non tamen obligari ad præcepta Ecclesiæ, quale est præceptum de decimis. Hæc tamen responsio, etsi probet, Infideles non teneri ad pendendum Ecclesiæ Ministris hanc certam fructuum quantitatem, videl. Decimam, quæ ab Ecclesia determinata est; non tamen probat de quantitate, quæ præcisè necessaria est ad sustentationem illorum Ministrorum. Ad hanc enim sustentationem videntur etiam Infideles teneri Jure Divino positivo, imò Naturali, juxta dicta *n.* 29. Cùm enim Jure altiori,

quàm

quàm humano, teneantur ad recipiendam Fidem, & Baptismum, & ad hunc finem opus habeant Ministris Ecclesiæ, ac proinde ad horum ministeria admittenda sint obligati, consequens est, quòd pariter obligati sint ad ipsos alendos. Verùm hæc non probant absolutam obligationem Infidelium, & Jus Ecclesiæ ad decimas: tenentur enim illi tunc solùm Ministros sacros alere, quando Divina ab ijsdem percipiunt: neque enim operarius est dignus mercede sua, antequam operetur; nec vivit quisquam de altari, antequam serviat altari; & Apostolus non asseruit sibi jus metendi carnalia, antequam seminâsset spiritualia. Unde tametsi obligatio recipiendi Fidem sit absoluta, alendi tamen Ministros Verbi Dei est solùm conditionata, quando vid. ministeria sua impenderint. Et quamvis Suarez *l.c. n.* 12. probabile esse censeat, posse Ecclesiam, & Christianos Principes, aliquod tributum ab Infidelibus exigere, ad quos Prædicatores Evangelij de facto mittuntur, tum ad expensas itineris, tum ad eos sustentandos, quamdiu inter ipsos versantur; quamvis, ut addit, Ecclesia hac potestate varijs ex causis non utatur. Non tamen apparet, quomodo illâ uti possit: nam illa obligatio suscipiendi Fidem, quæ incumbit Infidelibus, non est obligatio Justitiæ erga Ecclesiam; neque cogi potestate humanâ ad Fidem suscipiendam possunt, ut cum Th. Th. tradunt Molina *tr. 2. de Just. disp.* 105. *n.* 4. Suar. *de Fide d.* 18. *sect.* 2. *n.* 3. & 6. Valent. 12. *d.* 1. *q.* 10. *punct.* 6. & Card. Lugo *d.* 19. *sect.* 2. *à n.* 54. Unde sequitur, neque ad admittendos Ministros Fidei cogi posse: multò igitur minùs ad alendos. Quia tamen Princeps Christianus, ut cit. DD. tradunt, Infideles suos subditos cogere potest ad audiendam Fidem, consequens videtur, quòd cogere possit ad alendos Ministros, qui ad annuntiandum ipsis Evangelium sunt necessarij.

Tertiæ rationi repugnant jura *n.* 58. adducta; dicitur enim ibi, cogi Judæos posse ad satisfaciendum Ecclesiæ, pro decimis, quas de domibus, aliisque possessionibus percipere consueverat. Unde cùm solùm fiat mentio de decimis realibus, à sensu contrario colligitur, illos non teneri ad personales. Neque probat quidquam, quod dicitur, Christianos, si ibi habitarent, ubi nunc Judæi habitant, daturos decimas etiam personales; proinde solvendas in compensationem esse à Judæis, ne Ecclesiæ aliquid de suo jure decedat. Negatur enim, aliquid juris Ecclesiæ decedere: non enim jus absolutum habet, sed solùm conditionatum *si lucrum aliquod faciant Fideles:* ut verò laborent, & lucrum faciant, cogi non possunt. Aliàs homo nobilis, vel Clericus, & omnes illi, qui quæstum arte aliqua non faciunt, deberent 67

Paro-

Parochiæ aliquam compensationē facere pro illis decimis personalibus, quas ipsa esset perceptura ab aliquo artifice, qui hîc habitaret, si non habitaret nobilis aut clericus. Hoc autem admittere est ridiculum.

QUÆSTIO III.

An Hæretici obligentur ad dandas decimas?

SUMMARIUM.

68.69.70.71. *Videtur, Hæreticos non obligari ad dandas decimas.*
72. *Obligari certum est.*
73.74.75.76. *Dissolutio oppositorum.*

68 FAcilis videtur decisio hujus quæstionis ex ijs, quæ modò diximus de Infidelibus. Si enim isti non tenentur ad decimas, vel personales, vel reales ex ijs prædijs, ex quibus antea non fuerunt solutæ, eò quòd Divina ipsis non ministrantur: consequens esse videtur, neque Hæreticos obligari, cùm etiã hi sacro Ecclesiæ ministerio non utantur. Neq; obstat, quòd uti tenentur: nam etiãEthnici, Judæi, Mahometani, fidē amplecti tenentur, ac propterea admittere ejusdem præcones, eosdémque alere; quin tamen ex hoc sequatur, eos ad decimas obligari.

69 II. Saltem ad decimas personales non tenentur Hæretici: quia ad has solùm obligantur, qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ, à qua recipiunt *c. ad Apostolicæ h. t.* non enim æquum est, ut oves pascant pastorem, à quo non pascuntur. Atqui Hæretici non percipiunt Sacramenta; & licet percipiant Sacramentum Baptismi, non tamen percipiunt à Clericis.

III. Ecclesia ab Hæreticis, nec 70
quamdiu sunt tales, & matri suæ rebelles, nec dum ad ejus obedientiam sunt reversi, pro tempore, quo ab ea fuerant sejuncti, decimas exigit. Agnoscit ergo, nullas sibi deberi: neque enim jura, siqua haberet, prodigeret in filios prodigos, quæ usurpat in morigeros, & obedientes.

IV. Hæretici in Ecclesiæ gremio 71
non sunt. *C. Non in nobis, & c. si quis inquit 1. q. 1. c. Hæreticos 24. q. 1. c. advocavit 24. q. 1. c. statutum de Hæret. in 6.* quia nemo ad Ecclesiam pertinet, nisi per Baptismum, & Fidem. *C. Firmiter de Summ. Trin. c. fin. de Presbyt. non bapt.* Sed Hæreticus non habet Fidem: non ergo pertinet ad Ecclesiam, neque ad ejus jurisdictionem;

cùm

cùm Ecclesiæ judicium non cadat in hos, qui sunt extra eam. *c. Gaudemus de Divort. c. multi 2. q. 1.*

71 Assert. Hæretici tenentur ad solvendas decimas tam Personales, quàm Reales, & quidem ad has, non tantùm per accidens, uti Infideles, & ratione prædiorum, quibus annexa est decimarum obligatio, sed per se, & debito personali. Ita communis omnium DD. Catholicorum. Ratio est: quia Hæretici, utpote baptizati, æquè ac Catholici, obligantur præceptis Ecclesiæ, cùm per Baptismum eam ingrediantur, ac ejusdem jurisdictioni subijciantur. Unde cogi ad Fidem Catholicam amplectendam possunt, non solùm pœnis spiritualibus, sed etiam temporalibus. Quæ est Catholica veritas, ita ut absque errore in Fide negari non possit, ut latè demonstrant Bellarm. *tom. 1. controv. 5. l. 3. de Laicis c. 21. & 22.* Valentia *tr. de Fide disp. 1. q. 11. mem. 3.* Suar. *ibid. disp. 20. sect. 3.* Card. Lugo *disp. 21. sect. 1.* Farinacius *de Hæresi q. 189.* Conink. *disp. 8. dub. 14.* Nicol. Sanderus *de Clave David l. 2. c. 11. & seqq.* post SS. PP. August. Greg. M. Leonem I. ac Bernardum. Patet ex Concilio Tolet. IV. *c. 57. & 59.* & Concil. Nicæno, quod postulavit à Constantino M. ut puniret Arianos. *c. ad Abolendam. c. excommunicamus ac alijs, tit. de Hæret. c. super eo eod. in 6. l. Manichæos, l. Arianis, l. Quicunque C. eod.* Neque in re certa, & perspicua plura addi necesse est.

Ad I. arg. pro Hæreticis *n. 68.* allatum 72 R. etsi sacram operam, quam Ministri Ecclesiæ ipsis impendere parati sunt, recusent, non tamen per hoc suis obligationibus solvi: tum quia non est in potestate subditi suâ rebellione legitimi superioris jurisdictioni se subducere; tum quia licet de facto Fideles non sint, tenentur tamen esse tales, & matrem suam, ac dominam agnoscere, cogíque ad hoc per eam possunt, ut modò diximus. Neque ipsis prodest, quod ibi additur, Infideles, etsi teneantur ad veram Fidem amplectendam, & consequenter ad usurpanda sacra, eósque alendos, qui ista ipsis ministrant, non tamen obligari ad decimas, quamdiu sacro ministerio Præconũ Evangelij non utuntur. Nam Infideles, quamdiu Baptismum non suscipiunt, Ecclesiæ subjecti, ejúsque Legibus obstricti non sunt: at subjecti sunt Hæretici, neque ipsis liberum est vel hoc præcepto de decimis, vel quocunque altero Ecclesiastico se eximere: aliàs in potestate cujuslibet impij etiam Catholici foret, per neglectũ sacrorum illam obligationem subterfugere; posséque quivis per rebellionem, & contemptum Principis tributis aliísque oneribus civilibus se liberare.

Ad 2. N. ma. nam non illi solùm 74 obligantur ad decimas personales, qui Sacramenta actu percipiunt; sed ij quoque, qui percipere deberent, & ab Ecclesia ad ea percipien-

da cogi possunt. Aliàs etiam Catholici anni illius decimas solvere non tenerentur, quo Sacramentorum usum neglexerunt; & nunquam tenerentur solvere, si nunquam ea percipere vellent. Hoc autem quàm falsum sit, & absque ullo fundamento dictum, nostra demonstratione opus non habet.

75 Ad 3. R. Hæreticos ad decimas solvendas non ideò ab Ecclesia non compelli, quòd nullum ipsa jus in eos sibi esse existimet: sed partim quia ob suam potentiam compelli nequeunt, partim quia ex decimis per vim extortis plus damni timet, quàm speret emolumenti. Quòd verò ad ipsius gremium reversos non cogit ad eas compensandas, quas tempore Hæresis non solverunt, facit hoc non ut Judex (hujus enim personam si sustinere vellet, cogere eos posset) sed ut pia, ac provida mater, partim ut errantes à vera fide capessenda non absterreat, partim ut errorem jam dedoctos, & ritè sentientes non oneret, sed soletur.

76 Ad 4. arg. sufficit reponere Hæreticis illud S. August. *epist. 48. ad Donatistas*: *Nobiscum estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis. In Spiritu autem unitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.* Unde quamvis demus, quod contendunt Bellarm. *l. 3. de Sacram. c. 4.* Canus *in locis Theol. l. 4. c. 2.* Spondanus de Cæmeter. *p. 1. c. 2.* Sanderus *de visib. Monarch. l. 8. c. 32.* aliique contra Alpons. de Castro, Hæreticos extra Ecclesiam esse: sunt tamen extra eam suâ duntaxat pervicaciâ, & rebellione; interim verò ratione Baptismi eidem nihilominus subjecti, æquè ac alius subditus, qui obedientiam legitimo Principi negat; ac propterea compelli ad redeundum possunt, ut diximus, eáque præstanda, quæ Fidelibus Christus per Ecclesiam injungit; sicut desertor militiæ ratione sacramenti militaris compelli potest, ut ad signa redeat. *l. Desertorem ff. de Re militari.* Hinc quando dicitur, eos, qui extra Ecclesiam, aliámve Rempublicam sunt, ejus judicio non subijci, solùm id intelligendum est de illis, qui membra Reipublicæ nunquam fuerunt, aut per privilegium, vel legitimam præscriptionem subditi esse desierunt. At nec præscriptio aliqua, nec privilegium ab Ecclesiæ Jurisdictione eos eximere potest, qui semel eidem per Baptismum fuerunt subditi: cùm hæc subjectio sit Juris Divini, contra quod nullum vel privilegium, vel præscriptio prodest, adeò ut nec SS. Pontifex quemquam fidelium ab obedientia, quam debet Ecclesiæ, exiere possit.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Clerici teneantur solvere Decimas?

SUMMARIUM.

77. Difficultas quæstionis ex c. 2. h. t.
78. Distinctio inter prædia Clericorum, ipsosque Clericos.
79. Clerici omnes tenentur ad decimas ex fundis patrimonialibus.
80. Parochus non tenetur ex prædio dotali suæ Parochiæ, sito intra ejus fines.
81. Tenetur onere reali ex prædijs in aliena Parochia sitis, tametsi suæ Parochiæ dotalibus, nisi dum Parochiæ in dotem darentur, fuerint exempta.
82. Quibus oneribus eximantur bona, dum Ecclesiæ in dotem dantur.
83. Beneficiatos non curatos onere personali ad decimas teneri multis videtur.
84. Non tenentur ex fructibus sui Beneficij, nisi onere reali.
85. Quid intersit inter onus reale & personale.
86. Responsio ad contraria.
87. Clerici, qui ex officio nulli Ecclesiæ serviunt, æquè ac laici ad decimas tenentur.
88. Nullus Clericus tenetur ad decimas personales ex lucris spirituali titulo acquisitis.
89. Solutio objectionis.
90. Tenetur ex lucris titulo profano acquisitis, si non est curatus
91. Clerici Curati non obliganter ad decimas personales.

77 UBi actum est de illis, qui sunt extra ovile Christi, dicendum superest de ijs, qui sacra Ecclesiæ pascua frequentant. Et I. quidem placet disputare de Clericis in genere; ex doctrina enim de his tradita facile erit judicium ferre de singulis fidelium ordinibus, de quorum immunitate à decimarum onere dubitari potest. Difficultatem hîc ingerit *cap. 2. h. t.* ubi dicitur: *Novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant, cùm nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levitæ à Levitis decimas accepisse leguntur* Mox verò contrarium tradi videtur, dum subijcitur: *Illi profectò Clerici, qui a Clericis Spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Atqui nullus est Clericus, qui non ab alio Clerico Spiritualis ministerij labores accipiat: accipit enim Ordines sacros, absolutionem à peccatis, S. Viaticum &c. Igitur juxta hoc Capitulum Clerici tenentur & non tenentur ad decimas.

78 Hæc difficultas ut solvatur, & ordine tradantur, quæ de Clericis

quoad obligationem solvendi decimas sacra Jura statuunt, notandum est I. Multùm referre, utrùm prædia sint intra fines Ecclesiæ, cui Clericus servit, an verò extrà: item utrùm prædium sit beneficiale, seu Beneficio pro Clerici sustentatione annexum; an verò patrimoniale, seu aliunde, quàm titulo beneficij à Clerico possessum. II. Notandum est ex S. Thoma *2.2.q.87.a.4.* Clericos sub duplici ratione considerari posse, nim. quatenus Clerici sunt, ac Ministri Spiritualium; & quatenus fideles, & à Sacerdotibus spiritualia percipiunt. Juxta quam geminam rationem S. Doctor *l.c.* & ibi Sotus, Arragon. Valentia, & alij communiter, & Canonistæ *in cit. 6.2.h.t.* Summistæ *V. Decimæ*, Covarr, *l.1.var.c.17.n.8.* Guttier. *qq. Can.l.1.c.21.n.52.* velut regulam statuunt, Clericos consideratos primo modo, seu tanquam Clericos, & prout Divina ministrant, non teneri ad decimas; teneri verò ut fideles, & prout Divina ipsis ministrantur. Quod utique verum est, sed nimis generale, & idcirco, ut ad particulares casus applicari possit, per plures, & distinctas conclusiones explicandum.

79 Assert. I. Clerici etiam Curati, & Parochi, tenentur decimas solvere ex fundo patrimoniali, seu quem titulo profano, puta emptionis, donationis, hæreditatis &c. acquisierunt. Ita S. Thom. *cit. a.4. ad 1.* & Aragon. *ibi.* Sotus *de Just. l.9. q.4.a.4.* Covarr. & Guttier. *ll.cc.* Rebuff. *de Dec.q.5.n.3.& 4.* Suar. *tom.1. de Relig.l.1.tr.2.c.17.n.10.& 16.* Gabr. Vasq. *tr. de Benefic.c.1.§.un. dub.8.* Less. *de Just.l.2.c.34.n.22.* Moneta *de Decim.c.5.n.3.* Franc. Leo *Thes. for. Eccl.p.2.c.12.n.53.* Palao *tr.10.d.un.pun.11.n.6.* Barbos. *de Off. Par.c.28.§.3.n.10.* Azor *p.1.l.7.c.24.q.5.* Laym. *l.4.tr.4.c.3. n.2.* ac Canonistæ communiter, contra nonnullos apud Alensem *p.3. q.51.memb.7.a.2.* Assertio procedit non solùm de prædijs in aliena Parochia, sed etiam in propria sitis. Hinc si Parochus ex suæ Parochiæ fundis decimas non colligit, sed alius, v.g. Monasterium, Episcopus, Princeps, debentur huic decimæ etiam ex Parochi fundo patrimoniali. Ratio est: quia post Parochiarum, & Diœcesium divisiones prædia unicuique Ecclesiæ assignata habent annexum onus reale decimarum respectu Ecclesiæ, cui sunt assignata, & cum hoc onere transeunt ad Clericos, etiam Parochos. Estque respectu prædiorum per accidens, quòd nunc potiùs à Parocho possidentur, quàm à laico.

Assert. II. Parochus non tenetur ad solvendas decimas ex prædio dotali suæ Parochiæ, seu illo, quod in dotem, & sustentationem Parochi Beneficio annexum est; si hujusmodi prædium intra fines suæ Parochiæ situm est. Ita cum S. Thom. *l.c.* Suar. *c.17.n.16.* Rebuffus *q.15. n.6.* Fagundez *in Eccl. præc. 5.6.7. n.9.*

n. 9. Trullenk *in præcept. Decal. dub. 10. n. 4.* Filliuc. *tr. 27. c. 8. n. 165. & 168.* Bonacin. *de præcept. Eccl. d. ult. q. 5. pun. 3. propos. 2. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 6. c. 3. n. 3.* Aug. Barbosa *in vot. decis. l. 2. voto 41. n. 6. & de off. Paroch. c. 28. §. 3. n. 9.* Pirhing *h. t. n. 40.* Gonzalez *in c. 2. h. t. n. 2.* & videntur idem tenere omnes D. D. Certè hoc probat *cit. c. 2. h. t.* si enim Clerici ad aliquas decimas non tenentur (uti vi illius cap. ad aliquas non tenentur) saltem id verum erit de Parochis aliisque Curatis respectu prædiorum Beneficio pro reditibus annexorum: nam si ullus Clericus exemptus ab onere Decimarum esse debet, præ alijs certè eximendi sunt Curati respectu illorum bonorum, quæ Ecclesijs pro sustentatione assignata sunt. Ratio ulterior est: quia si prædia assignata sunt in sustentationem Parochi, eo ipso habent rationem decimarum, quæ ipsi debentur ratione sacri ministerij. At verò juxta *cit. c. 2.* de decimis non solvuntur aliæ decimæ nisi SS. Pontifici, & Episcopo.

81 Assert. III. Parochi alijque Curati per se, & ex obligatione personali, nec ad decimas reales tenentur: tenentur tamen onere reali solvere ex illis prædijs, quæ in aliena Parochia sita sunt, tametsi sint assignata pro dote suæ Ecclesiæ, & in ipsorum sustentationem. Prima assertionis pars re ipsa tenetur ab omnibus. Patet ex *c. 2. h. t.* & ex ratione, quæ ibi allegatur; quia debitum personale decimarum fundatur in receptione spiritualium ab aliquo pastore, qui ad hoc ex officio teneatur: atqui Parochus non habet proprium pastorem, nisi Pontificem, & Episcopum (qui tamen, ut infrà dicemus, decimas non exigunt) nemini ergo ad decimas vel personales, vel reales, debito personali obligatur. Alteram partem cum Innocentio, & Panorm. tenent Rebuff. *l. c. n. 19.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8.* ubi dicit, esse communem opinionem, Guttier *qq. can. l. 2. c. 21. n. 54.* Moneta *de Decimis c. 5. n. 6.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 5.* Trullenk *l. c. n. 5.* Aug. Barbos. *vot. 41. n. 8. & de off. Par. l. c. n. 9.* Canis. *de decim. c. 6. n. 2.* Pignatelli *tom. 1. consult. 179. à n. 59.* contra S. Thomam *cit. q. 87. a. 4. ad 1.* & Cajet. Sot. ac Arrag. *ibi.* Ratio patet: quia cùm decimæ ex prædijs debeantur illi Ecclesiæ, intra cujus fines sita sunt, transeunt cum hoc onere ad quemcunque possessorem etiam alibi degentem, & per consequens etiam ad illas Ecclesias, quibus pro dote dantur: nam, ut dicitur *can. 42. 16. q. 1. si quis laicus, vel Clericus, vel utriusque sexûs persona proprietatis suæ loca, vel res alicui dare delegaverit, decimarum proventum priori Ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatem.* Et, ut dicitur *can. 43. Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis Oratorijs tribuan-*

buantur. Eadem habentur *can.* 44.

82 Ex dictis consequens est, quòd Parochus etiam ex prædijs intra suam Parochiam, & huic pro dote assignatis, solvere teneatur illi, cui debebantur, antequam prædia Ecclesiæ assignarentur: nisi dum assignarentur, hoc onere exempta fuerint. Ratio est: quia res transit cum suo onere etiam in Ecclesias, si sit onus reale privatum, vel pensio alicui solvenda vi dominij aut facti præcedentis, ut certum esse ait, & fusè probat Suarez *in Defens. Fid. l.* 4. *c.* 20. *à n.* 6. Neque factum patroni Ecclesiam dotantis priori decimatori nocere potuit: *nam factum cuique suum, non adversario, nocere debet. l.* 155. *ff. de R. I.* Et quamvis August. Barbos. *in c.* 1. *de Cens. n.* 4. & Gonzal. *n.* 6. *in fin.* teneant, ac probent, bona Ecclesiæ dotalia non tantùm novis censibus, ac oneribus gravari non posse, uti certum est ex *c.* 4. *de Immun. Eccl. c. quamquam de Cens. in* 6. *& alijs*, nec non *Auth. Item nulla. C. de Episc. & Cleric.* sed etiam oneribus ac servitijs antiquis liberari, quæ habebant annexa, antequam pro dote assignarentur Ecclesijs: hoc tamen juxta Host. Innocent. Joan. Andr. ac alios, quos refert Panorm. *in cit. c.* 1. *n.* 6. solùm intelligendum videtur de prædijs, quæ ipsi Patrono, ac Fundatori erant tributaria: hic enim eo ipso, quòd donat Ecclesiæ, censetur remisisse, & quantum pertinet ad dotem necessariam, tenetur remittere onus annexum. Pariter alius quiscunque, cui ex prædio aliquod servitium antea debebatur, censetur, nisi contrarium exprimat, illud remittere, si Patronus cum ipsius consensu, prædium transfert in Ecclesiam, ut benè ait Panorm. *l. c. n.* 7. Non verò absolutè dici potest, quòd cuicunque domino per hujusmodi translationem præjudicetur, prædiúmque omni onere liberetur. II. Veram quidem censeo illam sententiam, quam post Felin. Card. Alban. Innocent. Bartol. Bald. Ruyn. Speculat. Archidiac. Imol. alióque tenent Martha *de Jurisd. p.* 4. *cas.* 11. *n.* 28. Guttier. *qq. pract. l.* 1. *q.* 3. *n.* 15. Suar. *l. c. à n.* 12. Tanner. *in def. libert. Eccl. c.* 13. Less. *l.* 2 *c.* 33. *n.* 21. Laym. *l.* 4. *Theol. Mor. tr.* 9. *c.* 6. *n.* 4. ac alij, prædia Ecclesijs collata fieri libera oneribus etiam antiquis, & pridem impositis, antequam pervenirent ad Ecclesiam, non solùm illis, quibus erant obnoxia ipsi patrono, sed ijs quoque, quæ priùs præstabant Reipublicæ. Hoc tamen solùm procedit, ut ijdem DD. fatentur, de illis oneribus, quæ imposita sunt à Principe seculari vi Jurisdictionis, quâ à suis subditis tributa exigit; non item de illis, quæ vel ab Ecclesia imposita fuerunt, vel etiam à laicis jure dominij particularis (puta quia illud prædumi erat proprium, & camerale bonum Principis) aut pacto censuali, feudali, emphyteutico &c.

Atqui

Atqui onus decimarum non est impositum à seculari Principe vi Jurisdictionis. Igitur illo non liberatur Ecclesia, si ad ipsam transit prædium jam antè subjectum oneri decimarum. III. In illo *c. sancitum* dicitur, quòd de manso Ecclesiæ, de decimis, oblationibus fidelium, hortis, ac atrijs &c. non sit præstandum *aliquod servitium præter Ecclesiasticum.* Igitur immunis est mansus Ecclesiæ solùm à servitio seculari, non verò ab Ecclesiastico: non igitur à decimis. Contrariam tamen S. Thomæ sententiam usu, & consuetudine receptam esse significant Covarr. & Guttier. *ll. cc.* Quam licet Suar. *cit. c.* 17. *n.* 30. suaderi posse existimet ex *c.* 46. 16. *q.* 1. nihil tamen ex illo probatur, præcipuè si legitur, prout est in ipso Concilio Cabilonensi II. Nam ibi solùm dicitur, ut Episcopi decimas deferri faciant ad Ecclesias; non verò exprimitur, utrùm ad suas proprias, an verò ad illas, quibus antiquitus debebantur.

83 Jam verò grave dissidium est de alijs Clericis, Beneficium quidem, non tamen Curatum, habentibus, uti sunt Canonici simplices, Capellani, ijque, quos ab obligatione primum in Ecclesijs Parochialibus sacrum legendi Primissarios dicunt. Hos enim ad decimas reales onere personali persolvendas, & quod consequens est, etiam ad personales (si cubi in usu sunt) obligare videntur Panorm. in *cit. c.* 1. *de Cens. n.* 4. Suar. *cit. c.* 17. *n.* 21. Covarr. *l.* 1. *var. c.* 17. *n.* 8. Ricc. *prax. for. Eccl. decis.* 605. *n.* 4. Franc. Leo *thes. for. Eccl. p.* 2. *c* 12. *n.* 55. Marc. Ant. Gen. *pract. Eccl. q.* 628. *n.* 3. Aug. Barbos. *vot. decis.* 41. *n.* 27. Val. Reginald. *prax. For. pœnit. l.* 9. *c. ult. n.* 87. Card. Luca *disc.* 1. *de decim. n.* 34. & *disc.* 2. *n.* 5. ubi ait, verum ac receptum dicti *c.* 2. intellectum esse, ut illi solùm Clerici non solvant decimas, qui populo ministerium exhibent in cura animarum ac dispensatione Sacramentorum. Ducuntur his rationibus. I. Decimæ debentur de omni fructu, & ab omnibus solvendæ sunt *c.* 21. *h. t.* ergò nec Clerici Beneficiati excipiuntur. II. Clerici æquè, ac laici, percipiunt Sacramenta in Ecclesia Parochiali: tenentur igitur decimas eidem persolvere. *c.* 20. *h. t.* III. Onus solvendi decimas non tam personis, quàm rebus, & fructibus, ac lucris annexum est. Panorm. *in c.* 7. *h. t. n.* 6. Parùm igitur interest, utrùm fidelis ille, qui fructus colligit, & lucrum facit, Clericus sit, an laicus.

Assert. IV. Clerici Beneficiarij non 84
curati, per se, seu onere personali, non tenentur ex fructibus sui Beneficij decimas solvere. Ita sentio cum S. Thoma 2. 2. *q.* 87. *a.* 4. *in C.* Arragon. *ibid.* Sot. *de Just. l.* 9. *q.* 4. *a.* 4. Em. Rodriq. *qq. reg. tom.* 1. *c.* 87. *concl.* 4. Rebuff. *q.* 1. *n.* 9. Guttier. *qq. can. l.* 2. *c.* 21. *n.* 57. Sylvest. *V. Decim. q.* 7. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 5. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 39. *n.* 23. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 27.

tr. 27. c. 8. q. 8. n. 178. Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 3.* Pirhing *h. t. n.* 42. ac alijs. Et reverâ non dissentiunt DD. qui in contrarium allegantur, si eorum dicta ponderentur: imò aliqui eorum, uti Suarez *l. c. n.* 23. Valer. Reginald *l. c.* Leo *l. c. n.* 57. expressè nostram sententiam tenent. Ejus veritas patet ex *citat. c.* 2. ubi dicitur, *Novum genus exactionis esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant*, id est, ex Ecclesiasticis reditibus. Quod probat Pontifex exemplo Levitarum, qui de decimis alijs Levitis decimas non solvebant. Neque fit discrimen inter Beneficiarios curam animarum habentes, & non habentes, sed universim sermo est de Clericis, illis videlicet, qui serviunt Ecclesiæ: neque enim Jura sacra de Clericis loquuntur, nisi qui ex officio in Ecclesia ministrant, cùm Jure etiam novo *Tridentini sess. 21. c. 2. de Reform.* nemo ad sacros Ordines promovendus sit, *nisi priùs legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*; & ad patrimonium, vel pensionem ordinari non possint, *nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum.* Ratione probatur assertio I. Quia Ecclesia vult conferri beneficia sine diminutione. *tot. tit. ut Eccl. Benef. sine dim. confer.* Atqui non conferrentur sine diminutione, si detrahi inde deberent decimæ. II. Clericis non tantùm Curatis, sed etiam reliquis Beneficiatis debentur decimæ, ut tradimus *n.* 342. Neque ex decima debetur alia decima, ut patet ex *cit. c.* 2. nisi SS. Pontifici. Sive ergò reditus beneficiales habeantur immediatè ex decimis, sive aliunde, non debentur à Beneficiatis decimæ: quia licet illi reditus habeantur ex prædijs beneficio assignatis, vel ex censibus &c. sunt tamen loco decimarum, & in harum vicem substituti.

Dixi per se, seu obligatione personali, 81
Clericos Beneficiatos non obligari ad decimas reales. Quòd obligentur onere reali, si prædia, ex quibus percipiunt reditus beneficiales, obnoxia fuerunt oneri solvendi decimas, antequam beneficio applicarentur, tenet communissima DD. contra Abulensem in *Matth. 23. q.* 193. quem sequuntur Sylvest. & Angelus: qui si loquantur de prædijs seculari titulo acquisitis, quòd ex his Clerici nullo modo, & neque debito reali debeant decimas, opinio ipsorum neque probabilis est: cùm ex his bonis etiam Parochi alijque Curati obligati sint, ut dixi *n.* 81. & 82. Quia res transit cum suo onere *l. traditio ff. de acquir. rer. dom. l. alienatio ff. de contr. empt. l. si debitorem. C. de dist. pig.* tametsi prædia fuerint Ecclesiæ donata: nisi vel ipsius patroni servitio fuerint obnoxia, vel vel donata fuerint cum consensu illius, cui servitium debebatur, is

alter-

alterutrum horum factum est ; aut si fundatum est Beneficium, vel ex novali, ex quo videlicet nullæ antè decimæ erant solutæ ; vel ex fundo Gentilibus erepto, & nunquam ante hac à Christianis possesso ; vel ex prædio per consuetudinem, privilegium, præscriptionem à decimis immuni &c. onere nec personali, nec reali, Beneficiatus ad decimas obligatur. Unde apparet, multùm referre, sitne obligatio decimas dandi realis duntaxat, an verò etiam personalis : si enim tantùm realis est, non obligatur in enarratis modò casibus possessor fundi ; obligatur verò etiam in istis, si obligatio est personalis. Imò censeo, quâdo jam in Hungaria v.g. aut Morea, eriguntur rursus Beneficia tam Parochialia, quàm non curata, nec ex horum prædijs deberi decimas. Etsi enim antehac, dum penes Christianos essent, decimis fierint obnoxia, quia tamen limites Parochiarum eorúmque prædia fuerunt confusa, ita ut dignosci non possit (uti ponimus) quinam fundi, & quibus Ecclesijs fuerint decimales, Beneficiatus fundatã pro se habet intentionem, & possessionem immunitatis. Hinc universim in dubio præsumendum est, prædia Beneficijs assignata esse libera, & absque decimarum onere : quod confirmant tum rationes modò allatæ, tum consuetudo, & praxis, vi cujus Clerici de fructibus beneficialibus decimas non solvunt, ut testatur Palao *tr. 10. d. un. pun. 11. n. 4.* tum quia beneficia sine diminutione conferenda sunt ; tum quia decimæ Beneficiarijs etiam non curatis debentur, & ex decimis aliæ decimæ non solvuntur.

Ex dictis facile est, ad ea, quæ *n.* 83 contra immunitatem Beneficiati non curati opponuntur, respondere. Quod primo loco dicitur, non est ratio, sed nuda assertio nostræ opposita, & modò rejecta. Neque probatur *cit. c. 21.* ibi enim solùm dicitur, agri cultores debere de omnibus fructibus decimas pendere. Quòd verò agricultorum nomine intelligantur etiam Clerici colentes prædia beneficialia, gratis asseritur, & contrarium patet ex *c. 2. h. t.* & rationibus *n.* 84. adductis. Ad 2. ℟. inde solùm sequi, quòd Beneficiati æquè ac laici teneantur ad decimas solvendas ex prædijs patrimonialibus ; non verò, quòd ex decimis debeant decimas ; hoc enim novum est, & insolitum, ut dicitur *cit. c. 2.* Idem ℟. ad 3. nimirum onus decimarum esse annexum omnibus lucris, & fructibus, nisi ipsi fructus sint decimæ : atqui fructus, quos Clericus ex prædio beneficiali colligit, sunt decimæ. 86

Asser. IV. Clerici, qui non habent Beneficium, nullique Ecclesiæ ex officio inserviunt, per se & onere personali obligati sunt ad decimas prædiales solvendas æquè ac laici. Hæc est sententia S. Thomæ, aliorúmque, quos allegavimus 87

n. 48. eámque apertè probant hæc verba *c. 2. h. t. Illi verò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent*, cùm minus probare non possint. Apertum enim ex ex hoc textu est, quòd Clerici non sint omninò exempti ab onere decimarum: ergo saltem illi Clerici obligati sunt, qui Beneficium non habent. Quòd verò eorum obligatio sit personalis, patet: quia aliàs quoad onus solvendi decimas nullum inter Clericos foret discrimen (quod tamen fit *cit. c. 2.*) cùm etiam Parochi, quin ipse SS. Pontifex, & Episcopi, obligatione reali ad decimas teneantur, si vid. prædia possideant oneri decimarum ab antiquo subjecta, & alicui alteri Ecclesiæ, quàm cui ipsi præsunt, vel alteri cuipiam decimatori, obligata. Neque intelligi verba illa possunt de Clericis solùm conjugatis, uti intelligit Glossa: tum quia textus loquitur absolutè; tum quia ratio, quæ ibi assignatur, æquè procedit de non conjugatis, quàm de conjugatis. Præterea non possunt intelligi de solis Clericis minoribus, seu habentibus solùm primam tonsuram, aut Ordines minores, uti intelligere videtur Rebuffus *q. 5. n. 9.* nam par est ratio de omnibus Clericis non beneficiatis quantumvis Sacerdotibus: quia etiam Sacerdotes subduntur Parochis quoad spiritualia, eorúmque curæ in susceptione Sacramentorum subsunt, ut notant Canonistæ in *c. omnis utriusque de Pœnit.* Unde quia ratio, quæ *cit. c. 2.* assignatur, æquè de his, quàm de illis, procedit, obligatio utrisque æqualiter incumbit. Ratio verò, quæ ibidem assignatur, est: quia etiam Clericis ministrantur Divina. Hinc procedit assertio, sive prædia sint in aliena, sive in propria Clerici Parochia: pro utroque enim casu valet modò allata ratio.

Assert. V. Nullus Clericus tenetur ad decimas personales ex lucris spirituali titulo acquisitis, v. g. ex distributionibus quotidianis ob præsentiam in Choro, stipendijs pro Missa, Concione &c. Hæc assertio videtur re ipsa teneri ab omnibus, dum solùm asserunt, Clericos ex fructibus titulo temporali acquisitis obligari ad decimas: non igitur ex illis, quos percipiunt ex ministerio spirituali. Ratio est: quia Ecclesia non obligat Clericos ad dandas decimas ex reditibus beneficialibus, nisi prædia beneficialia oneri decimarum antiquitus fuerint subjecta, & cum hoc onere ad Ecclesiam transierint, ut diximus *n. 30. & seqq.* Vult igitur, ut Clerici stipendium sui laboris, & Ministerij sacri integrum percipiant, ac liberum ab omni onere. At hæc ratio procedit de omnibus fructibus, ac lucris titulo spirituali perceptis. Accedit, quòd juxta *c. 2. h. t. novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant*, id est, à Clericis quà Clericis, & consequéter

ter ex fructibus, & lucris, quæ percipiunt ut Clerici. Atqui omnes fructus, quos percipiunt titulo spirituali, seu ob ministerium spirituale, percipiunt ut Clerici, ergò &c. Quæ ratio ulteriùs sic declaratur. Ecclesia non vult gravari clericos in Ecclesiasticis bonis, nisi in casibus in jure expressis, ut patet ex *cit. c. 2.* ubi illos, quatenus Clerici sunt, eximit ab onere decimarum. Atqui casus iste, de quo loquimur, non est in jure expressus. Præterea Ecclesia non vult aliter gravare Clericos, quàm Laicos, & consequenter gravat solùm quoad fructus temporali titulo acquisitos.

89 Neque dicas, hæc pugnare cum dictis *num. præc.* ubi asseruimus, Clericos non habentes beneficium, teneri ad decimas prædiales onere etiam personali; esse autem parem rationem de decimis personalibus: quicunque enim tenentur ad decimas prædiales obligatione personali, tenentur etiam ad personales, nisi consuetudine aliud receptum sit. Negatur enim paritas inter has, illasque decimas; idcircò enim Clerici non beneficiati tenentur onere etiam personali ad decimas prædiales; quia fructus percipiunt titulo merè temporali; hoc ipso enim quòd prædia non possident vi beneficij, non nisi temporali titulo possident. At verò fructus, quos ex ministerio sacro percipiunt, titulo spirituali percipiunt, etiamsi beneficium non habeant.

Asser. VI. Clerici non curati te- 90
nentur ad personales decimas solvendas ex quocunque lucro licito, quod titulo merè profano accipiunt, v. g. ex cantu, ad quem ratione beneficij non obligantur, ex artefactis, munere docendi, negotijs gestis &c. Ita Suar. *cit. c.* 17. *n.* 24. Fagundez *præc. Eccl.* 5. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Laym. *cit. c.* 3. *n.* 2. Pirhing. *l. c. n.* 42. Less. *l.* 2. *c.* 39. *n.* 23. Schambogen *h. t. n.* 25. Barbosa *cit.* §. 3. *n.* 21. & videtur communis omnium DD. quamvis Suar. *l. c.* asserat, esse super hoc varias opiniones. Ratio est: quia Clerici ex prædijs titulo profano acquisitis, v. g. hæreditate, legato, emptione &c. debent decimas Parocho, cui subsunt, ut diximus *n.* 87. atqui par est ratio de lucris titulo profano acquisitis. Neque Pontifex *cit. c.* 2. *h. t.* ubi Clericos obligat ad decimas suo Pastori solvendas, distinguit inter decimas prædiales, & personales.

Asser. VII. Parochi, aliique Cle- 91
rici curam animarum ex officio exercentes, non tenentur solvere decimas personales. Ita rursum communis omnium. Ratio est I. quia non est textus, qui ipsos ad has decimas obliget, imò potiùs pro immunitate apertè stat textus *cit. c.* 2. *prin.* II. Quia decimæ personales debentur illi, qui ex officio alicui Sacramenta administrant. Atqui Parochi non habent aliquem pastorem, qui ipsis ex officio Sacramenta administrat. Suar. *c.* 17. *n.* 18.

& 20. Quia verò ista ratio solùm procedit de Parochis respectu æqualium Clericorum, non verò respectu Episcopi, & SS. Pontificis, quibus subsunt; idcircò etiam assertio respectu horum non procedit. Cùm enim omnium Clericorum proprius Pastor sit SS. Pontifex, & in quavis Diœcesi Episcopus, qui etsi ordinariè Sacramenta, exceptis Ordinibus, non administret, doctrinâ tamen eos pascit, & gubernat, beneficia confert &c. propterea Pontifici de jure communi decimas debent, nec non Episcopo quartam decimalem.

QUÆSTIO V.

An SS. Pontifex, Episcopi, ac Principes teneantur solvere decimas?

SUMMARIUM.

92. *Rationes negandi, SS. Pontificem ad dandas decimas obligari.*
93. *Rationes affirmandi.*
94. *Non tenetur ad ullas decimas obligatione personali.*
95. *Tenetur obligatione reali solvere ex prædijs titulo temporali possessis.*
96. *Solutio objectionis.*
97. *Non tenetur ex bonis, quæ habet ut Pontifex.*
98. *Dilutio contrariorum.*
99. *Episcopi & Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes nec ad Personales nec ad Prædiales decimas tenentur obligatione personali: tenentur tamen reali ex fundis titulo profano possessis, vel cum onere decimarum ad Ecclesiam devolutis.*
100. *Ratio dubitandi de Principibus secularibus.*
101. *Tenentur æquè, ac reliquifideles, ad decimas: nec eximere ab hoc onere quemquam possunt.*
102. *Solutio objectionis.*

DE Clericis in communi cùm hactenus disputaverim, agendum modò est de ipsorum Prælatis, utpote de quibus dubitandi specialis ratio est. Prælatis Ecclesiæ meritò addimus Principes seculares: nam de his quoque dubium esse potest, benéque Potestas secularis Ecclesiasticæ jungitur, Luna vidi Soli: quæ est comparatio Innocentij III. *c. solitæ 6. de Major. & ob.* Et quidem ordiri placet à Capite Ecclesiæ, seu SS. Pontifice. Hunc ad nullas omnino decimas obligari suaderi potest I. Quia Princeps Supremus non solvit tributum. Cui enim

92

94

so lve-

solveret? Non sibi; quod implicat. Non alicui superiori: quia superiorē non habet. Atqui decimæ sunt quoddam tributum, quod superiori debetur: SS. verò Pontifex superiorem non habet; est enim totius Ecclesiæ caput, & hâc superior. II. Decimæ non debentur, nisi Pastori, cui in perceptione Sacramentorum quis est subjectus. At SS. Pontifex non habet Pastorem, cui in perceptione Sacramentorum sit subjectus, sed ipse est Pastor Pastorum. *Joan. ult. v. 15. & seqq.*

93 Obligari verò etiam SS. Pontificem ad solvendas decimas, tenent Rebuffus *q. 5. n. 26.* & Andr. Hispanus *reg. 10. q. 11.* Ratio est I. quia etiam ipse tenetur supremum Dei dominium agnoscere: omnes enim, ut ait Rebuffus, sumus populus ejus, & oves pascuæ ejus; & nihil omninò habemus, teste Apostolo, quod non ab ipso acceperimus. Atqui in hunc finem, ut videlicet supremum Dei in nos dominium profiteremur, institutæ sunt decimæ. II. Etiam SS. Pontifex recipit Sacramenta Pœnitentiæ, Ordinis, extremæ Unctionis, SS. Evchariſtiæ, nec non Consecrationem, imò & Confirmationis Sacramentum, si hoc fortè ante electionem non accepit. Atqui *Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores suscipiunt, decimas eis debent. c. 2. h. t.*

94 Assert. I. SS. Pontifex neque ad solvendas decimas personales, neque ad reales obligatione personali tenetur. Ita cum S. Thoma *2. 2. q. 87. a. 4. in C.* omnes Theol. ac Canon. si duos modò nominatos excipiam[o]. Demonstrat assertionem gemina ratio *n. 92.* allata: cùm repugnet, ut Princeps superiorem non agnoscens ad aliquod tributum sit obligatus. Hinc neque in lege Veteri SS. Pontifex decimas pendebat.

Assert. II. SS. Pontifex tenetur 95
onere reali ad solvendas decimas ex prædijs, quæ titulo temporali possidet, v. g. ex hereditate paterna, emptione &c. Ita communis DD. excepto forsan Abulensi, qui *q. 139. in Math. 22.* videtur ipsum ab omni decimarum obligatione absolvere. Ratio est, quia post Parochiarum & Diœcesium divisionem prædia unicuique Ecclesiæ assignata habent annexum debitum decimarum, tanquam onus reale, respectu hujus, vel illius Ecclesiæ, cui fuerunt assignata. Ergò si Pontifex titulo aliquo temporali acquirat aliquem fundū, iste cum suo onere ad ipsum transit.

Neque obstat, quòd Pontifex sit su- 96
premus dispensator decimarum & Jurium Ecclesiasticorum: est enim solùm dispensator, non verò dominus, & idcircò non potest eas suo arbitrio usurpare. Hinc quamvis obligatos ad decimas eximere ab hoc onere possit, uti multos exemit, ac ipsum etiam jus decimandi in Laicos quandoque transtulit, & sic eâdem potestate, quâ alios, etiam se ipsum eximere possit: id tamen dictis

non repugnat; quia agimus de obligatione ex jure communi, non verò de potestate, quâ se, vel alios obligatione potest eximere. Hanc ipsam tamen potestatem sine rationabili causa æquè parùm circa se, quàm circa alios usurpare potest.

97 Diximus, SS. Pontificem obligari ad decimas ex prædijs, quæ titulo temporali possidet. Nam, ut observant Suar. *cit. c. 17 n. 10.* & Hun. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 2. n. 6.* non debet ex bonis, qnæ habet ut Pontifex: illa nimirum, quæ donata sunt tum à Constantino Magno Melchiadi Papæ *añ. 312.* Ædes Lateranenses largiente; tum à Pipino Caroli M. patre post exclusos in Childerico III. Merovingios Galliarum Rege, non tantùm restituente, quæ Pater Carolus Martellus Ecclesijs abstulerat, sed Sedi Romanæ sub Stephano III. varias Provincias, quas notat Baron. *ad añ. C. 755. n. 27.* liberaliter donante; tum à Carolo M. patris, & fratris donationem non modò confirmante, sed compluribus Urbibus atque adeò integris Provincijs, quas ex Anastasio refert idem Baron. *ad a. 774. n. 6.* sub Hadriano III. munificentissimè cumulante; tum à Ludovico Pio paternam Caroli M. & avitam Pipini donationem sub Paschali I. ratam habente, & suâ, filiorum, ac procerum manu confirmante, cujus Sanctionis exemplar Gratian. *Can. Ego Ludovicus dist. 63.* mutilum refert, integrum verò Baron. *ad a. 817. n. 10.* ex Vaticanis monumentis producit; tum denique à Mathilde pijssimâ simul, & ditissimâ Comitissâ, Liguriam ac Tusciam eidem Romanæ Sedi sub Gregor. VII. *a. 1077.* donante. Quæ possessiones cùm Ecclesiæ attributæ sint in sustentationem tum SS. Pontificis, tum Ministrorum ejus, ac propterea Patrimonium S. Petri vocentur, æquè parùm obnoxiæ sunt oneri decimarum, quàm bona, & reditus beneficiales Clericorum SS. Pontifice inferiorum. 99

Neque difficile jam est, ea diluere, quæ *n. 93.* opponuntur. Nam etsi 98
omnes homines obligati sint ad colendum Deum, & supremum ejus in nos dominium agnoscendum, lex tamen Naturæ non præscribit certum modum id faciendi per Decimarum aut Primitiarum oblationem. Neque ad certum hunc modum obligat præceptum aliquod Divinum. Imò si daretur, non tamen obligaret summum Sacerdotem, uti non obligavit summum Sacerdotem Hebræorum. Neque obligat lex Ecclesiastica; tum quia SS. Pontifex est superior Legibus Ecclesiæ; tum quia lex de decimis solùm est lata illis, qui Clericorum sacræ jurisdictioni subsunt: at SS. Pontifex nemini est subjectus. Æquè parum probat illud, quòd SS. Pontifex aliqua Sacramenta ab alijs accipit. Nam decimæ solùm debentur Pastoribus, seu illis, qui ex officio divino ministrant. Atqui SS. Pontifex

sex non habet Pastorem, cujus sacræ jurisdictioni sit subjectus, & à quo teneatur Sacramenta suscipere.

99 Assert. III. Episcopi, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes non obligantur ad decimas personales, vel ad prædiales onere personali. Obligantur verò ad has solvendas onere reali, ex illis fundis, quos possident titulo profano, vel cum onere priùs annexo, antequam ad ipsos pervenerunt. Assertio est communis DD. Posterior pars, quòd teneantur ex bonis titulo profano acquisitis, patet à fortiori ex ijs, quæ *n. 95.* dixi. Quòd teneantur etiam ex ijs, quæ ad mensam Episcopi pertinent, si priùs habebant annexum onus decimarum, quo per patronum non fuerunt liberata, constat ex dictis *n. 81. & 82.* Prima pars de onere personali probatur à paritate cum Parochis, aliisque Clericis beneficium etiam simplex habentibus: hos enim per se non obligari ad decimas diximus *n. 80. & 84.* & patet tum ex *c. 2. h. t.* & *c. 46. 16. q. 1.* tum ex eo, quòd Episcopi non habent Pastorem, nisi SS. Pontificem; unde licet huic de Jure communi debeant, is tamen non exigit. Metropolitano verò seu Archiepiscopo non sunt subjecti quoad susceptionem Sacramentorum, sed tantùm quoad Jurisdictionem externam in certis quibusdam casibus, de quibus Aug. Barbosa. *l. 1. Jur. Eccl. c. 7. à n.* 19. Hæc autem subjectio nullum jus tribuit Archiepiscopo ad decimas: cùm istæ per se solùm illi debeantur, cui tanquam Ordinario Pastori quoad susceptionem Sacramentorum subijcimur. Neque hîc alia afferri contra Episcopos possunt, quàm quæ contra SS. Pontificem *n. 83.* allata, & *n. 98.* rejecta sunt.

100 Præter sacrorum Antistites, & Principes Ecclesiæ, Reipublicæ quoque prophanæ capita immunia ab onere decimarũ esse existimat Thõ. Trivis. *in decis. venet. l. 1. decis. 29. n. 2. arg. l. 9. §. 8. ff. de Public.* iuxta quam *Fiscus ab omnium vectigalium præstationibus immunis est.* Eandem suis Principibus asserunt Fiscales Brabantiæ apud Ant. Anselmum *in Treboniano Belg. c. 1. §. 1.* non tamen jus commune, sed præscriptionem immemorialem allegantes. Gloss. *in c. 4. de Major. & obed.* & Moneta *c. 5. n. 26.* etsi illos non omninò absolvant, aiunt tamẽ, non teneri solvere Ecclesiæ Parochiali, sed solùm Episcopo: ut sicut in cæteris, ita in hoc quoque aliquid privilegij habeant.

101 Assert. IV. Imperator, aliique Principes seculares, æquè ac reliqui Fideles, obligantur ad solvendas decimas. Ita unanimi consensu tradunt Canonistæ, ut benè ait Bern. van Espen *Jur. Eccl. p. 2. tit. 33. c. 7. n. 7.* Estque res expedita, & firma regula, ut Hunn. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 2. n. 23. & 43.* inquit, &, ut Canis. *de decim. c. 4. n. 1.* constitutissimi

simi juris regula est, Fideles omnes, cujuscunque generis, ordinis, ac gradus sint, ad solutionem decimarum esse obstrictos. Ratio est: quia *c. 24. h. t.* dicitur, quemlibet decimas solvere teneri, *nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus.* Idem supponitur *c. 42. 16. q. 1.* Ratio ulterior est: quia etiam Principes subjecti sunt Ecclesiæ jurisdictioni, ut patet ex *c. 1. dist. 9. c. 11. & seqq. dist. 96. Extrav. 1. com. de Major. & obed.* éstque dogma Catholicum, quod præter alios latè firmat Suar. *defens. Fid. l. 3. c. 22. & seqq.* & *l. 4. de Leg. c. 9.* Bellarm. *de SS. Pont. l. 5. c. 67. & 8.* Driedo *de libert. Christ. l. 2. c. 2.* Navarr. *in c. Novit. de Judic. not. 4. àn. 19.* Molina *de Just. tr. 2. d. 29.* Multò minùs possunt Principes seculares quemquam ab onere decimarum eximere: nam *cùm Laicis*, ut dicitur *c. 25. h. t. nulla sit de rebus spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, Imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ constitutione divinâ debentur.*

102 Neque pro Principibus quidquam probat *cit. l. Locatio.* Nam solùm dicit, quòd bona Fisci sint immunia à Vectigalibus: plus si diceret Jctus, erraret; cùm nulla lex, nulla constitutio, nullum decretum Laicorum, libertatem, vel jura Ecclesiæ ullatenus infringere, aut diminuere valeat. *l. 12. & seqq. auth. Cassa. C. de SS. Eccles.* Quod Moneta cum glossa addit, Reges, ac Principes probabiliter nulli Ecclesiæ parochiali obligari ad decimas, sed soli Episcopo, absque fundamento asseritur: nullum enim in jure communi extat hujus doctrinæ vestigium; de privilegijs autem specialibus, & præscriptionibus hîc non loquimur, nec ex ijs argumentum ad omnes Principes fieri potest. Loquēdo igitur de realibus decimis, haud dubiè illæ etiam ex Regum prædijs debentur illi Parochiæ, in qua sita sunt. Personales verò, uti in plurimis locis, ita maximè quoad Principes abrogatæ sunt, præcipuè cùm isti compensationem earū faciant Ecclesiæ, pias sæpè fundationes novas faciendo, augendo veteres, pro conversione Hæreticorum, & Infidelium, alimenta ac expensas præbendo Evangelij præconibus, magnos sæpè sumptus faciendo in purgandis ab Hæresi suis regionibus, propulsando vim Mahometanorum, & Idololatrarum &c. Habent præterea propriam, ut vocant, Capellam, & Clerum, à quo Divina percipiunt, eúmque liberaliter alunt: unde cùm illa sit propria ipsorum Parochia, nulli alteri ad decimas personales, etiam ubi istæ adhuc in usu sunt, obligantur. 103

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An Religiosi ad dandas decimas sint obligati?

SUMMARIUM.

103. Ratio dubitandi de Religiosis.
104. Jure communi tenentur ad dandas decimas sicut Laici.
105. Tenentur ad Reales etiam exempti à jurisdictione Episcopi.
106. Solutio oppositorum.

103 DE Religiosis quoque specialis est dubitandi ratio, an ad decimas teneantur. Nam etsi ordinariè secularia beneficia, ratione quorũ decimæ debentur, non possideãt, concurrunt tamen pleriq; Religiosi Clericis secularib⁹ in cura animarũ, &, ut phrasi Apostoli utamur, cum ipsis laborant in Evangelio ac unà portant in vinea Domini pondus diei, & æstus. Unde æquum est, ut si cum ipsis non vivunt de altari, & communes decimas non habent, saltem onere eas dandi sint exempti. II. Non est eadem nunc ratio Regularium quoad solutionem decimarum, quæ fuit olim Monachorum. Nam primis Ecclesiæ temporibus Parochis erant subjecti, & Sacramenta ut Laici (quales ferè etiam ipsi erant, cùm Ordines tunc non haberent) ab ipsis recipiebant, ut patet *ex c. Ecclesia aliisque 16. q. 1.* ac fusè probatur à Gonzalez *in c. intelleximus de ætat. & qual. præfic.* Card. Luca *disc. 1. de Regular.* & Bern. van Espen *l. c. p. 3. tit. 12. c. 1.* Hodie tamen Sacramenta à Parochis, & Episcopis non recipiunt, excepto Sacramento Ordinis & Confirmationis. Cùm ergò Parochorum jurisdictioni iam non sint subjecti, nec cura, & labor spiritualis ipsis impendatur, sed potiùs ipsi impendant, non est ratio, cur decimas illis persolvant, cùm istæ Evangelij Ministris debeantur ratione sacri ministerij, quod fidelibus impendunt. Verùm hæc etsi evincant, Religiosos benè eximi privilegio Pontificio, non tamen probant, jure communi exemptos esse.

104 Assert. I. Religiosi ad decimas personales, & ad reales de jure communi instar laicorũ tenentur. *Alia est causa Monachorum*, ait S. Hieron. *ep. 1. relat. can. 6. 16. q. 1. alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus non defero ad altare.* Igitur quoad obligationem dandi decimas Religiosi non reputantur ut Clerici, sicut quoad reliqua, sed ut

Laici. Idem habetur *c. 4. h. t.* ubi dicit Pontifex, urgendos esse Monachos, *ut decimas de terris cultis, in quibus olim domus constitutæ fuerant, Ecclesiæ cum ea integritate persolvant, quâ priusquam in eadem Parochia morarentur, solebant persolvi.* Idem supponitur *c. veniens de transact.*

105 Assert. II. Religiosi, etiam exempti à jurisdictione Episcopi, tenentur ad solvendas reales decimas. Statuitur expressè *c. statuto 2. §. cæterùm h. t. in 6.* ibi. *Religiosi tam exempti, quàm non exempti, de terris, & possessionibus acquisitis hactenus, & amodò acquirendis, decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones, & terræ priùs fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio muniti.* Ratio utriusque assertionis est: quia si exempti essent, id foret, vel quia sunt personæ Ecclesiasticæ, vel quia sub generali regula de decimis non comprehenderentur. Primum dici non potest: quia etiam Clerici, etsi magis propriè, & simpliciter Ecclesiasticæ personæ sint, quàm Monachi, non sunt exempti ab onere decimarum, ut patet ex dictis *n. 87.* Sed neque alterum dici valet: quia etiam Religiosi sunt fideles, quibus Pastores Ecclesiæ Divina ministrant. Neque ex eo, quòd Regulares mendicantes, ac plerique alij à jurisdictione Episcoporum sunt exempti, sequitur, etiam exemptos esse ab obligatione decimarum, nisi speciali privilegio etiam hoc onere sint liberi, ut patet ex *c. 2. h. t. in 6.* Quia tamen modò Parochis non sunt subjecti, nec Sacramenta ab ipsis suscipiunt, consequens erat, ut sicut ipsâ subjectione, ita onere quoque decimarum personalium, imò & realium onere personali solvendarum, liberarentur. De quo tamen privilegio commodiùs agetur *cap. seq.* 106

Hinc patet responsio ad ea, quæ pro ipsorum exemptione *n. 103.* allata sunt. Ad I. R. Vel Sacramenta administrant, & Verbum divinum 107
prædicant ex officio, id est, ratione Beneficij Ecclesiastici, quod fortè habent; vel ultrò, & spontanea in Deum, & proximum charitate, ut faciunt plerique? Si prius: tunc non solùm immunitas à decimis solvendis, sed etiam decimæ ipsis debentur; verùm solùm ut Clericis, & Beneficiatis (quod est merè per accidens, & extra præsentis controversiæ fines) non verò tanquá Religiosis. Si secundũ dicatur, clarũ est, nullã ipsos exemptionẽ prætendere posse, cùm pro labore spontaneo, & ultrò impenso stipendium non debeatur. Illud duntaxat sequitur, legitimam SS Pontifices causam habuisse ipsos eximendi, dandique privilegia, quæ *seq. cap. 9. §.* referemus.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An Pauperes teneantur dare decimas?

SUMMARIUM.

107. Ratio eximendi Pauperes.
108. Ratio obligandi.
109. Obligantur, si solutis decimis remanet, unde se suósque alant.
110. Extremâ necessitate laborantes non obligantur.
111. Nec tenentur compensare, si ad pinguiorem fortunam venerint.
112. Non tenentur, qui gravi necessitate premuntur.
113. Nequeunt tamen propriâ eas auctoritate retinere.
114. Nisi videant, se frustrà suam indigentiam allegaturos.
115. Tenentur postea compensare quando solvendo fuerint.

107 PAuperes obligatos non esse ad dandas decimas, videtur absolutè tenendum esse. I. Quia inhumanum est pro alendo Clero illis aliquid extorquere, qui ægrè se suósque alunt; & templa Dei viva spoliare, ut lapidea erigantur, & ornentur. Certè non est hæc mens Ecclesiæ, quæ pia mater est, & rigore non utitur, nisi in reos contumaces, ac præcipuam pauperum curam semper habuit. II. Quia decimæ sunt tributa egentium animarum, ut ex S. August. dicitur *c. 66. 16. q. 1.* Unde cùm Clerici, quibus solvuntur decimæ, teneantur inde pauperes alere, frustra eas, & malè à pauperibus petunt, utpote quas solutas restituere tenentur: *dolo enim facit, qui petit, quod restituere oportet eundem. reg. Jur. 59. in 6.* & ut JCt. ait *l. 8. ff. de doli mali, & met. except. dolo facit, qui petit, quod redditurus est.* III. Quia cæcus, & pauper ad collectas non tenentur *c. 4. de Cens.* Hinc pauperes universim ab onere decimarum absolvit antiquus Canonista Melendus apud Innocent. *in c. licet de Censib.* qui hanc opinionem non improbat.

Absolutè verò illis hanc obligationem imponere videntur S. Thō. *q. 87. a. 4.* & ibi Sotus ac alij. Alensis *p. 3. q. 51. memb. 7. a. 1.* Sylvester *V. decima n. 13.* Angel. alijque Summistæ *eod.* Gloss. & Gemin. *in c. quia 12. q. 1.* Joan. Andr. Butr. & Panorum. *in c. 7. h. t.* Tyndar. *tr. de decim. à n. 38.* Rebuff. *q. 5. n. 14.* Canis. *c. 5. n. 1.* Moneta *c. 5. n. 28.* Hun. *cit. c. 2. n. 25.* Gonzal. *in c. 4. h. t. n. 7.* ac communiter alij. Rationem dant I. Quia decimæ debentur ex justitia, & *quasi debitum exigi possunt. c. 14. h. t.* at propter inopiam injustitia committi non debet. 108

l. palam §. non est ff. de R. N. Neque in debitis habetur respectus paupertatis, nisi postquam debitor bonis cessit: imò *qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. l. 1. C. Qui bonis ced. poss.* nisi quòd in carcerem detrudi non possunt. II. Quia decimæ sunt Ecclesiæ ex reservatione divina. *c. tua h. t.* Igitur invitâ Ecclesiâ non possunt à quoquam, etiam prætextu paupertatis, retineri: nam nemo jus sibi ipsi dicere potest; & ubi præjudicium alterius vertitur, semper vocandus est is, cujus interest. *arg. c. 2. de Procurat. in 6. l. 47. ff. de Re jud. l. 39. ff. de adoption. l. 49. ff. de inoff. testam.* III. Quia onus solvendi decimas est reale, prædiisque inhærens & idcirco absque respectu possessorum ipsa semper manent obligata Ecclesiæ. IV. Quia pauperes de ipsa eleemosyna tenentur decimas solvere, ut cit. DD. aliique communiter observant: tum quia etiam ipsis ministrantur Divina; tum quia decimæ non solùm debentur pro alendo Clero, sed etiam in recognitionem universalis dominij divini. *cit. c. tua h. t.* Verùm sicut illa, quæ *num. præc.* attulimus, pauperes non absolvunt ab omni decimarum onere; ita nec ista eosdem absolutè, & sine discrimine ligant.

109 Assert. I. Pauperes, qui communi tantùm, & tolerabili paupertate laborant, seu reditus quidem tenues habent, sufficientes tamen ad se suósque, etiam solutis decimis, alendos, ad eas solvendas sunt obligati. Ita communis omnium, & certa sententia. Ratio est: quia etsi pauper dicatur, qui ex sola opera victum quærere debet, & ultra victum statui conveniente nihil habet. *C. Quod super his de voto*, & ibi Panorum *not. 3. l. Paupertas 7.* & ibi *Gloss. ff. de Excusat.* Jason *in l. si constante ff. sol. matr. n. 147.* revera tamen indigus non est. Atqui à solvendo debito sola indigentia excusare potest, eáque necessitas, ob quam obligationi satisfieri non potest, absque solventis gravi damno, quale non incurret creditor ex dilata, vel negata solutione. Suffragatur asserto consuetudo: ná ubique hujus generis pauperes decimas solvunt, nec ullum unquam tribunal renuentes absolvit: aliàs plurimi ex plebe, & non pauci de nobilitate immunes ab hoc onere forent, & sic non obtineretur finis, propter quem decimæ sunt statutæ.

Assert. II. Pauperes, qui extrema necessitate laborant, non tenentur solvere decimas. Ita rursum omnes. Ratio patet: quia in tali necessitate constituti etiam aliena accipere possunt, si is, cui auferuntur, non æquè est indigus: multò igitur magis retinere possunt propria. Ratio ulterior est: quia in extrema necessitate omnia sunt communia, *c. 26. consecr. dist. 5. c. 8. dist. 47. l. 2. ff. ad L. Rhod. de jactu.* Neque obstat *c. 3. de furt.* ut fuse post Covarr.

ac

ac alios ostendit Card. de Lugo *d. 16. de Just. n. 153. & 54.* & Em. Gonzal. in *cit. c. 3. n. 5.*

111 Limitat assertionē Rebuff. *l. c.* aitque, debere pauperem in hoc casu habere propositum reddendi, si ad pinguiorem fortunam venerit, & id in confessione aperire, ac promittere. Hoc Suarezius *tom. 1. de Relig. l. 1. c. 16. n. 17.* asserit esse planè falsum, eò quòd is, qui in extrema necessitate accipit alienum, illúdque consumit, postea non teneatur restituere, quia nec tenetur ratione acceptionis, quæ justa fuit, nec ratione rei acceptæ, utpote quæ consumpta jam est: ergo à fortiori neque in nostro casu; neque accipitur tunc res aliena, sed propria. Verùm licèt falsa sit doctrina Rebuffi quoad obligationem confitendi; quid enim opus est exprimi in Confessione, quòd ob extremam necessitatem non solveris, & promitti, quòd cessante necessitate solvere velis, cùm non solvendo non peccàris, & propositum solvendi habere possis absque eo, ut illud exprimas Sacerdoti, nec præceptum ullum extet, vel necessitas id exprimendi? Si tamen loquamur de obligatione restituendi, quando necessitas desierit, & solvendo fueris, non meretur ullam censuram illa assertio, cùm multi graves DD. obligationem agnoscant restituendi sublatà necessitate, & datâ solvendi copiâ, si etiam in extrema necessitate alienum accepisti, aut debitum non solvisti; ut videre est apud Lessium *de Just. c. 16. à n. 3.* & Card. de Lugo *disp. 16. à n. 170. & disp. 21. à n. 1.*

Asser. III. Pauperes, qui gravi ne- 112
cessitate laborant, ita ut solutis decimis se suósque alere non possent, sed gravi penuriâ laborare, aut mendicare aliúdve grave malum subire cogerentur, ad eas solvendas non tenentur. Ita sentio cum Suar. *cit. c. 16. n. 16. & 18.* Laym. *l. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 3. n. 6.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 11. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 46.* aliíque, contra Joan. Andr. Panorm. Rebuff. Canis. ac alios, qui extremam solùm necessitatem exprimunt. Verùm nec isti re ipsa dissentire videntur, sed solùm aliter explicare extremam necessitatem, quàm accipiatur passim à Theologis, & quam isti dicunt gravem, ipsi dicere extremam. Ratio est: quia Ecclesia non censetur velle, ut cum tanto rigore exigantur, & pauperes non habeant sustentationem sibi suísq; congruam; cùm enim velit, ut Clerici de Decimis, aliísque reditibus beneficialibus, hisce pauperibus succurrant, profectò non vult, ut ad solvendum adigantur, quod ipsis Clerus erogare tenetur; hoc præcipuè tempore, quo pars illa redituum Ecclesiasticorum, quæ pauperibus destinata erat, cum alijs confusa est, ita ut largitio in pauperes facienda ex arbitrio Clericorū pendeat.

113 Geminam tamen limitationem, quam assertioni plerique vel apponunt, vel supponūt, libenter admitto. Prima est, quòd pauperes modò dicti retinere decimas propria auctoritate non possint, sed priùs suā inopiam pastoribus Ecclesiæ repræsentare, & probare debeant: quia licet pauperibus, vel in alios pios usus erogari debeat, quod ex decimis aliisque reditibus Ecclesiasticis superfluum est, hæc tamen dispensatio est commissa Clericis, non verò ipsis pauperibus; cùm nullus eorum in specie jus aliquod habeat. Unde priùs ipsi satisfacere obligationi suæ debent, & tunc Clerici restituere tenentur, si ita exigat debitoris inopia, vel brevi, ut ajunt, manu acceptas remittere. Neque prædicta regula, quòd *dolo facit, qui redditurus est*, locum habet, quando præjudicium alterius vertitur, ut observant Butrio, aliique in *c. 7. h.t.* & Gloss ac Turrecr. in *c. Quicunque* 16. *q.* 7. post Hostiens. Gofr. ac alios. Quia etiam is, qui ratione paupertatis tutelam, vel curam subterfugit, allegare ipsam, & probare tenetur. A fortiori igitur allegare eandem, ac probare debet, qui debitum non solvit. Aliàs innumeris deceptionibus (ut alia taceamus) ansa daretur. Quomodo probanda sit paupertas, latè tractant Covarr. *l.* 2. *var. c.* 6. *n.* 7. Mascard. *vol.* 3. *de Probat. concl.* 1154. *à n.* 13. Pacian. *l.* 1. *c.* 54. *à n.* 35.

114 Si tamen pauper gravi necessitate laborans existimet, decimas sibi remissum non iri, etiamsi illam alleget, ac probet, non tenetur allegare, sed decimas retinere potest; modò certus sit de sua necessitate, ut benè observant Suar. *l. c. n.* 18. & Palao *l. c. n.* 2. non enim injuriam in tali casu decimatori facit, sed retinet solùm, quod sibi debetur, & iniquè negatur.

Alteram limitationē cōmunior 115
addit, quòd qui gravi, non verò extrema necessitate pressus retinuit decimas, restituere postea, ac compensationem facere debeat, quando ad pinguiorem fortunam venerit, & solvendo fuerit, seu, quod idem est, gravi necessitate non tolli, sed solùm differri obligationem solvendi. Sequitur ex generali illa doctrina, quam tenent communissimè DD. contra nonnullos, quòd is, qui rem alienam, vel propriam, quam debebat alteri, in gravi necessitate consumpsit, teneatur postea restituere, quando potis solvendi est: neque enim casus decimarum videtur excipiendus, cùm obligatio eas solvendi sit ex justitia, & non minùs fortis, quàm aliæ obligationes, ac Ecclesia in præjudicium eorum, quibus decimæ debentur, non velit plus favere debitoribꝰ, quàm quantum requirit eorum necessitas, ac Charitas Christiana; at utraque hæc solùm requirit dilationem, non verò omnimodam condonationem. Alia ratio est extremæ necessitatis: quia hæc omnia (ut aiunt)

facit

facit cõmunia, & qui ex illa alienũ, vel accipit, vel retinet, non tam de alieno, quàm de proprio disponit. Verũ tamen esse existimamus, etiã illum, qui non extrema necessitate pressus, inopiâ suâ pastoribus Ecclesiæ probatâ ad solvendum compulsus non est, debito prorsus liberari: censendi enim illi sunt donationem fecisse: si enim dilationem tantùm concedere voluissent, id expressissent. Ex hactenus dictis abundè patet responsio ad rationes in contrarium.

QUÆSTIO VIII.

Quis ex prædio locato teneatur solvere decimas, Locator, an Conductor?

SUMMARIUM.

116. *Varij modi locandi prædia.*
117. *Si Colonus est partiarius, solvit tam ipse, quàm locator.*
118. *Vel ex fructibus nondum divisis vel post hos divisos quivis ex sua parte.*
119. *Si pro certa pensione locatus est fundus, solvit solus colonus; sicut & emphyteuta.*
120. *Occurritur objectioni.*
121. *Ex sua pensione locator ad nihil tenetur.*
122. *Solus fundi dominus tenetur, si pro certa mercede conduxit coloni operam.*
123. *Tenetur quidem iste ex sua mercede ad decimas personales.*
124. *Ferè tamen excusatur.*
125. *Exempto domino etiam colonus eximitur.*
126. *Dumodo privilegium domini sit reale.*

116 DOminus an Colonus ad decimas prædiales obligetur, valde ambiguum esse videtur propter jura inter se (ut quidem apparet) pugnantia. Nam solum colonum obligari, sumitur ex *c. 5. h. t.* ubi quibusdam Religiosis præcipitur, ut de possessionibus ad firmam acceptis, seu conductis, plenariè solvant decimas: nec fit mentio de domino locante. Solius coloni meminit etiam *Clem. 1. eod.* E contrario solus locator videtur obligari *c. licet 11. eod* ibi: *non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas.* Uterque verò oneri decimarum subijcitur *c. à nobis eod.* ibi: *respondemus, quòd à dantibus, & recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvendæ.* Et *c. tua 26. eod.* dicitur: *sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ: sic & dominus de portione, quam percipit ratione terræ, decimas*

mam reddere sine diminutione tenetur. Ut hæc jura antinomiam non contineant (uti revera non continent) varij modi, quibus prædia elocari solent, distinguendi sunt. Nam I. locari possunt eâ lege, ut dominus à colono accipiat dimidiam, vel tertiam fructuum partem. Et tunc colonus dicitur Partiarius, eò quòd partiatur fructus cum domino locante, seu partem unam, aut plures illorum percipiat. II. Conducitur quandoq; solùm opera coloni pro mercede, vel in pecunia, vel in fructib° solvenda: quo casu solvi merces operæ debet, etiâsi ex aliquo infortunio, & absq; coloni culpa nihil fructuum proveniat. III. Quandoque fundus conceditur sub censu annuo pendendo in certa quantitate, vel pecuniæ, vel fructuum. Quæ concessio Emphyteusis est, si præter annuam præstationē ad meliorationes tenetur colonus; si servitutem fundo, vel jus servituti in effectu simile imponere fundo potest; si canon solvitur in recognitionem dominij directi &c.

117 Assert. I. Si colonus est partiarius, seu mediarius, ita vid. ut pars dimidia, vel tertia, fructuum debeatur domino, ad decimas tenetur tam conductor, quàm locator; quilibet pro rata fructuum, quos percipit. Patet ex *cit. c. 24. & c. 26. h. t.* & tradunt ibi Gloss. Panorm. *n.* 14. *& in C. Cùm sint. h. t. n. 5. & 6.* ac passim alij. Ratio est: quia hac locandi ratione initur quædam societas, & utriusque sunt fructus. Unde, cùm quilibet ex suis fructibus obligetur ad solvendas decimas, consequens est, utrumque debere solvere; nisi aliud in pactum deductum sit vel consuetudine receptum.

Duplex porrò modus est ex his 118
fructibus dandi decimas. Primus, 120
isque optimus, ac usitatus, si ex fructibus nondum divisis decimæ separentur, & his separatis ex reliquo cumulo sua cujque pars tribuatur: & tunc neuter ex hac parte ad quidquam ampliùs tenetur, quia ex ijsdem fructibus decimæ bis non debetur. Sed neque ad personales decimas postea tenentur: hæ enim debentur ex lucris personæ. At verò fructus isti non sunt lucra personæ, sed prædij proventus: decimæ autē ex prædijs sunt reales, & hæ jam sunt solutæ. Alter modus est, ut priùs integrū cumulum fructuum inter se pro rata dividant, & postea quilibet de suo decimas separatim solvat.

Assert. II. Si locatus est fundus 119
pro certa pensione, v. g. ut solvat colonus domino quotannis sex tritici medimnos, decimas solvere debet solus colonus. Ita post Innoc. Hostiens. & Gloss. *l. c.* Panorm. *ll. cc.* Moneta *c. 6. n. 40. & 42.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 4.* Canis. *c. 4. n. 2.* Zoes. *h. t. n. 62.* Pirrhing. *h. t. n. 45.* 121
aliisque communiter, sicque intelligendum est *c. 8. h. t. Clem. 1. eod.* Ratio est: quia onus decimarum est annexum fructibus. *c. 28. & 33. h. t.*

cùm

tùm ergo in tali casu colonus omnes fructus faciat suos, consequens est, quòd cum illis in ipsum transeat etiam onus decimarum. Idem dicendum est de Emphyteuta: tenetur enim solus decimas integras solvere, nihil verò Dominus directus, ut mox dicemus.

120 Dices, hac ratione colonum nimiùm gravari. Etiamsi enim omnes fructus faciat suos, tenetur tamen inde solvere certam quantitatem vel pecuniæ, vel fructuum: ergo re ipsâ idem est, ac si aliqua pars fructuum immediatè cederet ipsi domino; & sic non videtur esse aliquòd discrimen inter hunc casum, & illum alterum *n.* 117. propositum. Ergo sicut in illo dominus fundi tenetur pro rata solvere decimas, ita pariter in isto tenetur solvere pro rata mercedis. R. non gravari nimiùm: quia etsi solus sustineat onus decimarum, minuitur tamen propter illud pensio solvenda, quæ utique maior imponeretur, si divisum esset onus decimarum inter ipsum & locatorem: ponitur enim, justam esse mercedem locationis, tametsi onus illud conductori incumbat, id est, impositam esse non tantam, quæ correspondeat decem partibus fructuum, sed eam solùm, quæ correspondeat novem partibus, quæ remanent colono.

121 Assert. III. Locator in casu modò dicto non tenetur ad decimas. Ita cum Hostiens. Joan. And. Jnnoc. & Panorm. sentiunt Gloss, *in c. tua nobis.* Suar. *c. 35. n. 14.* Zoes. *h. t. n. 24.* contra Abulensem *in c. 23. Math. q. 204.* qui existimat, locatorem teneri ad decimas ex pensione: quia, ut ait, est lucrum ipsi accrescens, & ex omni lucro debetur decima. Cum Abul. sentiunt Gloss. *l. c.* & Moneta *cit. c. 6. n. 40. in fin.* Verùm assertio nostra omninò tenenda esse videtur. Si enim teneretur ad decimas, tunc vel ad prædiales, vel ad personales? Non ad prædiales: hæ enim ex toto fructuum cumulo solvuntur à conductore, & sic illa pensio, quæ locatori datur, jam est decimata à colono; neque ex eadem re decimæ bis debentur. Non ad personales: partim quia illa pensio, quamvis fortè fiat in pecunia, non est lucrum ex industria personæ, sed proventus ex fundo: partim quia locator ex illa dat decimas per colonum, dum propter annexum earum onus exigit minorem pensionem, eámque duntaxat, quæ correspondet novem partibus penes conductorem remanentibus. Unde si & ipse ad decimas teneretur, illæ ex eodem proventu bis solverentur.

Assert. IV. Si pretio conducta est 122
opera coloni, nim. ut fundum colat pro certa vel summa pecuniæ, vel quantitate fructuum, solus fundi dominus ad decimas obligatur. Est hæc sententia Panorm. *in c. tua nobis h. t. n. 14.* Moneta *c. 6. n. 40.* Azor. *l. c.* aliorúmque communis. Constat ex *c. 22. & c. 33. h. t.* Et

de hoc casu procedit *c. 11. eod.* ubi solus locator videtur obligari ad decimas. Ratio patet ex dictis *n.* 119. quia is debet decimas, cujus sunt integri fructus: atqui fructus omnes in tali casu sunt locatoris. Neque refert, quòd non omnes apud ipsum remaneant, eò quòd certam eorum partem, vel pecuniam, colono pro mercede solvere tenetur. Non, inquam, hoc obstat quia re verâ omnes fructus suos facit æquè ac agricola, qui suis manibus fundum colit. Unde sicut iste juxta *cit. c. 22. & 33.* solvere tenetur integras decimas, non deductis priùs expensis, ita pariter locator tenetur integras solvere, antequam deducat mercedem colono debitam. Neque in tali casu dominus fundi, si propriè loquamur, locator est, sed conductor: conducit enim coloni operam, sicut agricola messorum, dicitúrque prædium colere suis sumptibus, ac manibus, tametsi colat per alium: ut patet ex *c. 27. 28. & 29. h. t.* Isque, qui fundum sic colit, propriè colonus non dicitur, sed mercenarius.

123 Assert. V. Colonus in casu modò dicto, quando vid. suam operam fundo colendo pro certa pecuniæ, vel fructuum quantitate locat, tenetur ex sua mercede decimas personales, sicubi in usu sunt, solvere. Ita Joan. Andr. *in c. cùm sint h. t.* Panorm. *l. c. n. 15.* Abulens. *cit. q. 204.* Suar. *l. c. n. 13. & 14.* Moneta *l. c. n. 42.* Ratio est: quia merces, quam accipit, non est fructus fundi, sed lucrum ex propria industria; unde ex illo ad decimam personalem, non minùs quàm alij mercenarij, ac famuli ex sua mercede, aut negotiator ex suo lucro, deductis tamen, ut infrà dicemus, priùs expensis, & in his computando suum laborem, quantum vid. iste valet juxta communem æstimationem. 124

Dices: Dominus fundi juxta dicta *n. 121.* ad nihil tenetur, si illum locavit pro certa mercede sibi solvenda: quia integras decimas solvit colonus. Ergo viciſſim in isto casu ad nihil tenetur colonus, quia integras decimas solvit dominus. R. non esse paritatem: nam in illo priore casu canon, quem accipit à colono, vel emphyteuta dominus, non est merces operæ, ac lucrum personæ, sed fructus fundi; ex fundo autem solus colonus, ac emphyteuta integras decimas solvit, estq; proinde liber dominus. Merces è contrario, quam pro fundo colendo accipit colonus, est lucrum industriæ: ex lucris autem de jure communi debentur decimæ personales. Neque obstat, si fortè non pecunia constituatur, sed certa pars fructuum; nam hi substituuntur loco pecuniæ. Ordinariè tamen ad nihil tenetur, tum quòd decimæ personales ferè in desuetudinem abierunt; tum & vel maximè, quia æstimationem sui laboris detrahere potest, quâ detractione factâ ferè nihil residuum lucri erit, cùm opera, & 125

labor

labor ordinariè perfectè respondeat mercedi, & hæc illum rarò excedat, ac sæpè sit minor. Putat Suar. *l. c. in fine*, hujusmodi colonum ex eo quoque capite excusari posse, quòd censeatur esse quasi usufructuarius, & habens dominium utile fundi, & consequenter mercedem, quam accipit, non tam lucrum esse personæ, quàm fructum fundi. Cùm ergo decimæ ex fructibus fundi integræ persolvantur ab ipso domino, ad nihil tenebitur colonus.

125 Assert. VI. Si dominus fundi habet privilegiũ reale exemptionis à decimarũ solutione, neq; colonus ad decimas reales obligatur. Patet à sensu contrario ex *Clem.* 1. *h. t.* & ibi tradunt Gloss. *V. ad excolendas.* Anchar. *n.* 6. Card. *n.* 21. Henriq. *in Summ. l.* 7. *c.* 27. *n.* 8. Moneta *c.* 5. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 4. *h. t. n.* 9. ac alij. Ratio est: quia privilegium reale de jure communi transit in colonum cum usufructu fundi, ut cum communi tradunt apud Henriq. *l. c. lit. K.* Socinus jun. *l.* 2. *consil.* 268. *col.* 1. *& consil.* 296. *n.* 6. Panorm. *in c.* 1. *h. t. n.* 4. *& l.* 1. *consil.* 9. *dub.* 2. Bonifac. de Vitalin. *in clem.* 1. *de Privil. n.* 31. Huiusmodi privilegium reale concesserunt Societati JEsu Paulus III. Pius IV. & Greg. XIII. Qui ultimus expressè derogavit capitulo 34. *h. t.*

Diximus: *si dominus habet privilegium reale.* Personale enim, cùm inhæreat ossibus personæ, utiq; ad alios non transit. Hinc quia quorundam Religiosorũ privilegia, saltẽ olim, solùm erant personalia, idcirco præcipitur *c.* 11. *h. t.* ut de terris, quas alijs tradunt colendas, decimæ solvantur. Utrùm verò privilegium reale sit, colligendum est ex verbis rescripti, quæ si immediatè procedant de prædijs, non personale, sed reale erit, ut benè observat Franc. Leo *p.* 2. *thes. for. Eccl. c.* 12. *n.* 62. Verùm de his infrà fusiùs. 126

QUÆSTIO IX.

An Possessor fundi teneatur ad decimas ab antecessore non solutas?

SUMMARIUM.

127. Difficultas quæstionis.
128. Auctoritas pro obligatione successoris.
129. 130. 131. Rationes pro eadem.
132. Successor universalis tenetur ad decimas à testatore non solutas.
133. Particularis ad nihil tenetur.
134. 135. 136. Prima ratio assertionis.

137. 138. 139. 140. 141. Altera ratio.

142. Tertia.

143. 144. Decimæ non sunt tributum propriè dictum.

145. Quo sensu Deus dicatur eas sibi reservâsse.

146. 147. 148. Discrimen inter Tributa & Decimas.

149. Decimæ non sunt onus prædijs immediatè annexum.

150. Nec habent tacitam hypothecam in bonis debitorum.

151. Non valet hic argumentum à dote, pupillo, & fisco.

127 QUæstio est, an si Titius uno, vel pluribus annis ex suo fundo decimas, vel ob impotentiam, juxta ea, quæ de pauperibus diximus *à n. 109.* vel ex negligentia, & iniquitate non solvit, ac postea eundem Caio vendat, novus hic possessor decimas à Titio non depensas solvere teneatur. Ardua hæc, siqua alia de decimis, controversia est, utrimque stantibus, tum gravibus & multis DD. tum magno rationum pondere, ut difficile sit discernere, affirmans, an negans opinio sit probabilior. Unde immeritò dicit Canis. *c. 4. h. t. n. 3.* certum esse, quòd solummodo Titius cogendus sit.

128 Novum fundi dominum conveniri posse, teneríque, si conveniatur, ad solvendas decimas præteritas, tenent cum Joan. Andr. Hostiens. & Frider. de Senis, Panorm. *in c. 7. n. 6. & c. 28. h. t. n. 5.* Cassanæ. *in consuet. Burgund. rubr. 4. §. 16. n. 4. & rubr. 11. §. 6. n. 3.* Tiraq. *de retract. lig. §. 6. Gloss. 1. n. 7.* Valasc. *de jure Emphyt. q. 17. n. 18.* Rebuff. *q. 9. n. 9.* Cened. *ad decretal. collect. 86. n. 3.* Gigas de pension. *q. 39. n. 10. & q. 43. n. 4.* Nicol. Everh. *in Topic. loc. à tribut. ad decim. n. 3. & Consil. 183. n. 5.* Capyc. *decis. Neap. 26. n. 26.* Azor *p. 1. l. 7. c. 24. q. 2. & q. 18.* Guttierez *l. 1. qq. can. c. 1. n. 111.* Aug. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 26. §. 4. n. 11. & de off. Paroch. c. 82. §. 4. n. 11.* nec non *in c. 33. h. t. n. 3.* Honorius *h. t. n. 29.* Garcias *de expensis c. 11. n. 54.* Gonzal. *in c. 14. h. t. n. 2.* Engel *h. t. §. 1. n. 17.* alíque ab his relati. Et quidem multi eorum, aut plerique, hoc concedunt etiam tunc, quando antiquus possessor conveniri potest. Unde ajunt, in arbitrio decimatoris esse, convenire novum possessorem, vel antiquum. Advertit tamen sapienter Engel *n. 20.* hanc opinionem locum non habere, si decimatio competat laico, vel clerico titulo patrimoniali vel singularis privilegij, eò quòd favor de tributorum onere transeunte ad novos possessores, sit publicus, & pro Principibus, ac Ecclesia statutus, non pro particularibus personis, quibus privato tantùm, & profano titulo aliquod jus competit.

Rationes adduci solent ferè istæ. 129
I. indubitatum est privilegium fisci, ut novos possessores ob non soluta

soluta

ab anteceſſoribus tributa convenire poſſit. *l. 7. ff. de Public. & vectig. l. 36. ff. de Jure fiſci. l. 5. §. fin. ff. de Cenſib. l. pen. & ult. C. ſine cenſu vel reliq.* ergo etiam onus ſolvendi decimas non depenſas trãſit in novum ſucceſſorem. Conſequentia patet 1. quia decimæ ſunt quoddam tributum Eccleſiæ, imò Deo in ſignum univerſalis Dominij debitum. *c. 26. & 33. h. t.* tributum enim nihil aliud eſt quàm penſio vi juriſdictionis à Principe impoſita in agnitionẽ poteſtatis ejuſdem, & ad ſuſtinenda communia onera. Accedit, quòd *cit. c. 26.* decimæ dicuntur eſſe *tributa egentium animarum.* Patet 2. quia à fiſco ad Eccleſiam bona eſt argumentatio, ut latè probat Everhard. *in Topic. loc. à fiſco ad Eccleſ.* Bona item eſt argumentatio à tributo ad decimam, ut idem probat *loc. à tributo ad decimas.* Patet 3. quia decimæ magis privilegiatæ ſunt, quàm tributa, cùm ante hæc ſolvendæ ſint, juxta *c. 33. h. t.* Unde ſi tributa habent privilegium, ut nondum ſoluta ſolvi debeant à ſucceſſore, à fortiori idem privilegium habent decimæ.

130 II. Decimæ ſunt onus reale, ſeu prædijs añexum: ergo cum prædijs tranſeunt ad quemcunque poſſeſſorem, ut ſumitur ex *c. 32. h. t.* & *can. 42. 16. q. 1.* Hinc etiam Judæi, aliique Infideles tenentur ad decimas ſolvendas ex prædijs, ex quibus Eccleſia percepit decimas, antequamad ipſos pervenirent. *c. 16. h. t.*

III. Bona mariti uxori pro dote 131
tacitè obligata ſunt, & cum ſuo onere tranſeunt ad quemcunque poſſidentem. *c. 5. de Pignor. l. 1. ff. ſol. matr. l. un. C. de Ux. act.* atqui à dote ad Eccleſiam, ac univerſim, ad piam cauſam, bona eſt argumentatio, ut fusè tradit Everhard. *loc. à dote ad piam cauſam.* ergo prædia quoque obligata ſunt Eccleſiæ, & cum ſuo onere ad quemcunque poſſeſſorem tranſeunt.

Aſſert. I. Succeſſor univerſalis tenetur ad ſolvendas decimas tam perſonales, quàm reales, à teſtatore non ſolutas. Aſſertionis veritas non tam probanda, quàm ſupponenda eſt: nam, uti noti Juris eſt, hæres, ſicut comparat dominium bonorum defuncti, ita tenetur ad omnia ejuſdem debita, & quidem ultra vires hæreditatis, ſi inventarium non confecit: cùm enim in univerſum jus defuncti ſuccedat, & cum ipſo eadem cenſeatur perſona *l. 11. ff. de div. temp. præſcript.* conſequens eſt, quòd conſcientiam defuncti exonerare teneatur. *c. fin. de ſepult. & DD. in c. Vigilanti de præſcript.* & factum defuncti præſtare *l. 14. C. de R. V* ac proinde æs alienum, & debita ejuſdem exſolvere.

Aſſert. II. Succeſſor particularis 132
qui v. g. emptione, aut permutatione accepit fundum, non tenetur ſolvere decimas præteritas, ab anteceſſore non ſolutas. Ita ſentio

cum Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 38. *n.* 9. (quem August. Barbosa *cit. c.* 28. §. 4. malè pro contraria opinione allegat) Canis. *cit. c.* 4. *n.* 3. Laym. *l.* 4. *Theol. mor. tr.* 6. *c.* 2. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 161. Schambogen *eod. n.* 51. Zoës. *h. t. n.* 26. Fagundez *eod. l.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Bern. van Espen *p.* 2. *Jur. Eccl. tit.* 33. *c.* 9. *n.* 24. *&* 25. Mich. du Perray *tr. de Port. congrua p.* 2. *c.* 30. *n.* 38. ac alijs, præter complures antiquos Canonistas, quos allegat Panorm. *l. c.*

134 Probatur I. Possessori novo absque claro textu juris, vel urgenti ratione non debet imponi onus gravissimum decimas præteritas, quas antecessor non pendit, solvendi. Atqui nullum jus extat, quo hoc onus imponatur, nec ulla datur efficax ratio, quæ cogat imponi: ergo &c. Major patet: quia onus solvendi decimas ex suo fundo est per se grave, uti liquet, cùm tollat magnam partem fructuum, quos ex re nostra percipimus. Foretque gravissimum, ac intolerabile, si insuper decimæ præteritæ solvendæ essent, illorum nim. fructuum, quos non percepimus: præcipuè cùm ex contraria sententia sequatur, successorem solvere decimas debere, quas antecessor per 10 aut 20. annos non solvit; qua ratione summoperè læderetur, & quandoque plus solveret, quam quantum valet ipse fundus, quem emit.

135 Neque dicas, alterutrum læden-

dum esse, nim. vel novum possessorem, vel Ecclesiam: præstare autem lædi illum, quam hanc; tum quòd hujus conditio per se sit favorabilior, tum quòd læsa est in jure jam quæsito. Respondetur enim: vel decimator negligens fuit in jure suo tuendo, & non exegit decimas, quas consuetis juris remedijs consequi potuisset; vel ob potentiam antiqui possessoris, aut paupertatem &c. obtinere non valuit. Si prius; suæ culpæ tribuere debet, non verò illam luere novus possessor: si posterius; suo id infortunio adscribat; sicut adscriberet, si fructus casu fortuito perijssent: non enim existimo, dicturos adversarios, si fructus ita perierint, cogi ad solvendum posse novum possessorem; cùm in tali casu nec ipse antiquus possessor, dum adhuc fundus in ipsius dominio esset, ad quidquam potuerit obligari. Neque apparet ulla disparitatis ratio, quare potiùs obligandus sit novus possessor, quando antiquus ex malitia non solvit, vel paupertate, quàm quando fructus casu fortuito perierunt.

Minor porrò propositio rationis allatæ tum patebit ex solutione contrariorum, tum patet ex praxi: nam non constat, ullibi cogi novos possessores ad solvendas decimas præteritas, si solus fundus absque fructibus ad ipsos pervenit, neque quisquam est Adversariorum, qui contrariam praxin alleget. Quod si effi-

si efficax aliqua ratio, vel jura, hanc obligationem novo fundi domino imponerent, haud dubiè Ecclesia suum jus non negligeret, aut usurpâsset saltem aliquando, donec contraria consuetudine fuisset sublatum.

137 Probatur II. Obligatio solvendi decimas immediatè annexa est fructibus, & fundo solùm mediatè, seu ratione fructuum: ergo illas non tenetur solvere, qui fructus non percipit. Consequentia patet; quia si onus decimarum immediatè est annexum fructibus, tunc illæ solùm debentur, quando & quatenus fructus colliguntur, & ab illo, qui colligit: non ergo debentur ab eo, qui nullos percipit. Cùm enim res transeat cum suo onere, onus decimarum, si est annexum prædio, transit duntaxat ad eum, ad quem transit prædium; si fructibus est annexum, transit duntaxat ad illum, ad quem transeunt fructus.

138 Antec. probatur ex *c. 24. 26. 28. 33. h. t.* ubi onus decimarum apertè annectitur solis fructibus, cùm dicatur, ab ijs solvendas esse decimas, qui fructus percipiunt; non ergo ab illis, qui fructus non percipiunt, sed solùm habent prædia. Neque obstat *c. 8. 16. 32. 42. 16. q. 1.* ubi illud onus videtur annecti ipsis prædijs, dum dicitur, solvendas ab illis decimas, ad quos possessiones, & fundi perveniunt; sive dominium eorum acquirant, sive conducant. Nam Jura illa apertè loquuntur de solis fructibus nascituris, non verò de præteritis, ut nimirum illi, in quos transferuntur possessiones, de fructibus, quos inde collecturi sunt, decimas solvant. Unde hæc eadem Jura contra nostram assertionem superiùs adducta, eam apertè comprobant: cùm enim loquantur solùm de decimandis fructibus, quos novus possessor, vel colonus percepturus est, non verò de præteritis, quos antiquus possessor percepit, eo ipso dicunt, novo possessori aut colono solùm decimandos esse illos, quos ipse percipit; non, quos percepit alius.

Confirmatur idem antecedens I. 139
Qui pro mercede solvenda conducit, & colit fundum, solus ad decimas tenetur, non obstante, quòd ejus dominium, & possessio manet penes locantem, & licèt specialiter non fuerit deductum in pactum, ut solvat potiùs conductor, quàm locator, uti patet ex *c. 8. 28. & 33. h. t.* ergo onus decimarum annexum est prædio solùm mediatè, & ratione fructuum, quos possessor, vel colonus percipit: nam si immediatè annexum esset prædio, & independenter à fructibus, quos novus possessor, aut colonus colligit, solus locator solvere decimas deberet, aut certè unà cum colono.

Confirmatur II. Si quis auferat 140
integros ex meo fundo fructus, ipse tenetur ad integras decimas solvendas, ad nihil ego. Pariter ad nihil teneor, si inundatione, grandi-

ne, depopulatione hostili similive infortunio fruges perierunt. Igitur onus annexum est fundo non nisi ratione fructuum. Ergo qui absque sua culpa nihil percipit, ad nihil tenetur. Econtrario onus solvendi tributa annexum est ipsi fundo, uti patet ex *l. 7. ff. de Public. & vectigal. l. 3. C. de annon. l. 36. ff. de Jure Fisci.* Unde per se loquendo dominus prædij conveniri de tributo potest, tametsi nihil inde fructuum, uno saltem vel altero anno, percipiat.

141 Confirmatur III. Si onus decimarum esset per se annexum prædijs, novus possessor ultrò, & non postulatus teneretur solvere decimas præteritas, saltem si Ecclesia eas ab antecessore consequi non potest; sicut tenetur ultrò solvere, quando ipsemet percipit fructus. Atqui nemo etiam Adversariorum hoc onus ipsi imponit, sed solùm videntur dicere, tunc teneri, quando convenitur. Agnoscunt igitur, hoc onus immediatè esse annexum fructibus, & non fundo, ac proinde illum teneri, qui percipit.

142 Probatur assertio III. ex *cit. c. 33. h. t.* ubi dicitur, priùs ex frugibus solvendas esse decimas, quàm tributa inde aliáque onera deducantur. *C. 21. eod.* juxta quod Agricultores censurâ Ecclesiasticâ compellendi sunt, *ut de omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant. C. 24.* ubi respondet Pontifex, *quòd à dantibus & recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sint solvendæ.* Illi ergo tenentur solvere decimas, qui fructus percipiunt; non qui prædia sine fructibus detinent: nam hoc ultimum nullibi decernitur, sed potiùs contrarium: cùm enim citata jura solùm loquantur de ijs, qui fructus percipiunt, à sensu contrario bene infertur, non deberi decimas ab ijs, qui fructus non percipiunt. Denique *cit. c. 33.* ubi dictum est, *exactionem tributorum, & censuum præcedat solutio decimarum*, mox dicitur: *vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum suo onere transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debentur.* Is ergo solùm tenetur ad decimas, ad quem fructus, & census *indecimati* transierunt; non verò etiam ille, ad quem aut nulli fructus aut iam decimati pervenerunt.

Ex dictis patet solutio eorum, 143
quæ in contrarium allata sunt. Ad paritatem inter tributa profana, & tributa sacra decimarum R. inprimis N. suppositum, quòd decimæ sint tributum propriè dictum: nam, uti cum Glossa *in c. 26. h. t.* notant Suar. *l. c. n. 9.* Canis. *c. 4. n. 7.* alique, solùm dicuntur tributa metaphoricè, & in latiore significatione. Ratio est I. quia non dantur Decimæ Principi in signum superioritatis

tis ac ad sustinenda communia Reipublicæ onera (quod ad rationem Tributi propriè dicti requiritur) sed penduntur privatis Ecclesijs ac personis, tum in stipendium sacri ministerij, tum in sumptus Sacrificiorum, ornamenta Ecclesiarum, & subsidium pauperum. II. Quia tributa præscribi non possunt. *l. 6. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Panorm. *in c. 13. de Præscript. n. 18. & 19.* Felin. *ibid. n. 20.* Balbus *de præscript. p. 2. p. 5. q. 1. n. 1.* Decimæ verò præscribi possunt. *c. 4. & 6. de præscript. 29. h. t.* & infrà fusiùs dicetur: non sunt ergo tributum.

144 Unde non obstat, quòd *cit. c. 26.* dicuntur *Tributa egentium animarum*: non enim alio sensu ita vocantur, quàm quòd inde pars aliqua tribuitur pauperibus; nisi velimus dicere, eleemosynas esse regalia egenorum, iisque eo jure deberi, quo tributa Principibus.

145 Pariter non obstat, quod dicitur *cit. c. 33. h. t.* Deum sibi reservâsse decimas *in signum universalis dominij quasi titulo quodam speciali.* Nam I. Deus illas sibi solùm reservavit in lege Veteri, non verò in Nova, ut diximus *n. 37.* unde licèt propter hanc reservationem tempore Legis Mosaicæ fortè dici potuerint *Tributum* Deo pendendum: quia tamen illa lex antiqua cessavit, & nova à Deo lata non est, jam non nisi impropriè possunt dici Tributum divinum. II. Etsi Ecclesia illas præceperit ad honorandum Deum, & agnoscendum supremum ejus in nos dominiũ, non tamen alia ratione id statutum est, quàm quo Sacrificia, Preces, perceptio Sacramentorum &c. quæ tamen propterea Tributum, nisi in sensu quodam metaphorico, dici nequeunt. III. Decimæ non aliter offeruntur Deo, quàm quatenus ejus famulis, & Ministris sacris in stipendium laboris, ac sustentationem, penduntur. Quod non sufficit ad rationem Tributi propriè dicti: hoc enim immediatè præstatur Principi. Aliàs etiam eleemosynæ essent Tributum, quia in honorem supremi rerum Domini erogantur in pauperes.

Respondetur II. Longè disparem esse rationem Tributorum, & Decimarum: hæ enim sunt onus immediatè annexum fructibus, ac propterea solvuntur ab eo, qui fructus percipit. Tributa verò rebus inhærent, ac proinde cum his ad quemcunq; possessorem transeunt. Dices: tributa solvuntur etiam ex fructibus, hisque annexum onus sunt *l. 13. ff. de Impens. in res dot. fact.* ubi Paulus ait: *Neque stipendium, neque tributum, ob dotale fundum præstita, exigere vir à muliere potest: onus enim fructuum hæc impendia sunt.* Ergo sicut successor fundi tenetur ad tributa ab antecessore non soluta, tametsi hæc sint impendia, seu onus fructu- 146

um; ita successor in fundo tenetur ad decimas, tametsi hæ sint onus fructuum. Verùm non valet hæc illatio: maritus enim ad tributa tenetur, quia non solùm possessor fundi dotalis est, sed fructus quoque ex eodem percipit: præcipuè quia fundus dotalis tacitè fisco est obligatus *l. 1. C. si propt. publ. pens. & l. inter 42. ff. de Pactis.* Quæ ratio, ut patet, non pugnat in nostro casu, cùm novus fundi possessor de fructibus præteritis nihil, ut ponitur, perceperit.

147 Respondetur III. Tametsi in multis benè inferatur à fisco ad Ecclesiam, & à Tributis ad Decimas: hoc tamen in ijs solùm procedit, ubi id vel expressè statutum est à jure, vel saltem, ubi contrarium statutum non est, & ubi eadem militat ratio, ut benè monet Everhard. *in Topic. loc. 56. n. 17. loc. 57. n. 10. & loc. 61. n. 18.* Atqui aliud statutum est de decimis, quàm de tributis: cùm Jura sacra decimas illis duntaxat imperent, qui fructus colligunt, & ad quos fructus indecimati perveniunt, ut patet ex *c. 18. 26. & 33. h. t.* De Tributis è contrario declarârunt Impp. quòd sint onera prædijs inhærentia, & cum his ad quemcunque possessorem transeant. Insuper de decimis non eadem militat ratio, quæ de Tributis. Nam illas Ecclesia ad exemplum Legis Divinæ præcipit: at vi Legis veteris divinæ solùm debebantur ab ijs, qui fructus percipiebant; cùm horum tantùm fiat in Scripturis mentio. Præterea Ecclesia non eodem rigore exigi vult decimas, quo tributa exiguntur; contra easdem consuetudinem ac præscriptionem permittit; privilegio ab ijsdem frequenter eximit; personales verò decimas multis aut plerisque in locis omninò nullas exigit. Cùm igitur multos, qui fructus colligunt, non obliget ad solvendas decimas, multò minùs obligat illos, qui nullos fructus colligunt: quæ obligatio, si daretur, onus, ut diximus, foret gravissimum, ac idcirco apertum aliquod præceptum de illa extare deberet, & non inferri ex qualicunque paritate, quam decimæ cum tributis habent; præsertim cùm ea valde manca sit, & in pluribus alijs claudicet.

Neque obstat, decimas magis privilegiatas esse, quàm tributa, cùm solvendæ sint, antequam solvantur tributa, ac consequenter, cùm ista sint à successore, à fortiori idem dicendum esse de decimis. Respondetur enim, decimas quoad dictum effectum magis quidem privilegiatas esse, non tamen quoad alios quoscunque effectus: nam quoad alios tributa magis, quàm decimæ, privilegiata sunt, ut dixi *n. 143.* Unde potiori jure à posterioribus effectibus argumentum sumi poterit contra prædictam obligationem,

nem, quàm pro ea sumant Adversarij ex illo effectu priore.

149 Alterum argumentum pro contraria opinione *n. 130.* allatum, non tam ratio est, quâ probetur assertio, quàm ipsa assertio, quæ probanda foret: dicunt enim, decimas onus esse prædijs annexum, ac propterea cum his transire ad novum possessorem. At hoc maximè est, de quo litigatur, nos asserimus, & fusè probavimus *à n. 137.* esse annexum fructibus, prædijs duntaxat mediatè. Et hoc sensu locuti sumus, quando supra diximus prædia esse obnoxia oneri solvendi decimas.

150 Ad tertiam rationem *n. 131.* oppositam R. tametsi bona mariti tacitè obligata sint pro dote, juxta *c. 5. de Pignor.* & pariter bona subditorum taciti pignoris nexu fisco obstricta habeantur *l. 1. C. In quib. caus. pign. tac. contr.* ita ut fiscus omnibus creditoribus etiam expressam hypothecam anteriorem habentibus præferatur. *l. 4. C. eod. & l. 1. C. si propt. publ. pensit.* Et Ecclesiæ bona Prælati ratione malæ administrationis *arg. cit. c. 5.* & ibi Gloss. Panorm, ac alij, ac denique pupillo in bonis tutoris tacita hypotheca competat. *l. 20. C. de admin. tut. & l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* non tantùm pro summa principali, sed etiam pro omnibus accessionibus *arg. l. 18. ff. qui pot. in pign.* Non tamen ex hoc legitimè infertur, bona fidelium tacitè obligata esse pro decimis; non enim quilibet creditor hypothecam habet, sed is demùm, qui convenit de pignore *l. 3. ff. quæ res pign. oblig. poss. Novell. 136. c. 5.* Tacita verò hypotheca ibi tantùm locum habet, ubi legis dispositione expresè constituta est. *l. 1. & tot. tit. ff. & C. In quibus caus. pign. tac. contr.* Ant. Faber *de err. Prag. dec. 1. err. 1.* Neguz. *de pign. p. 2. mem. 4. n. 1.* Carpz. *p. 1. const. 5. def. 11. n. 6.* Atqui nulla lex vel canon extat, quo constituta sit hypotheca decimatori in bonis fidelium.

Neque dicas, hoc ipso constitutam esse Ecclesiæ, quia constituta est pro dote uxori, pupillo, & fisco Principis; eò quòd ab his ad Ecclesiam bona sit illatio, & favor ipsis à lege impensus ad Ecclesias & causas pias extendendus sit, juxta tradita ab Everhard. *loc. 60. 61. & 68.* Hoc enim tunc solùm procedit, quando utrimque par est ratio. Atqui in nostro casu non est par ratio: quia magna est differentia inter singulos privatos fideles ex una, & ex altera parte inter tutorem respectu pupilli, ac uxorem respectu mariti, quia hi posteriores arctius longè vinculum habent cum suis creditoribus, & specialem, multóque majorem obligationem, quàm universim fideles habeant erga Ecclesiam. Accedit, quòd si bona fidelium specialiter obligata essent Ecclesijs ratione decimarum, favor hic longè major foret, utpote universalissimus, quàm sit favor Ecclesiæ re- 151

spectu Prælati, pupilli respectu tutoris &c. cùm ergo à favore, & privilegio singulari, & respectu paucorum concesso, argumentum duci non possit ad favorem universalem respectu plurimarum & personarum & bonorum, consequens est, eos non benè argumentari, qui ex privilegio Ecclesiæ, dotis, pupilli &c. concesso solùm contra paucos debitores, & peculiaria tantùm bona, inferunt privilegium latissimè patens adversùs omnes fideles, & omnia eorum bona.

CAPUT II.

De Exemptis per Privilegium ab onere Decimarum.

QUÆSTIO I.

An privilegio eximi quis possit à Decimis?

SUMMARIUM.

152. *Ordo Doctrinæ.*
153. *Modi acquirendæ immunitatis à decimis, & capita controversa.*
154. *Videtur, præceptum de decimis universim tolli non posse.*
155. *Tolli validè potest, si aliunde Clerici congruam sustentationem habent.*
156. *Non tamen licitè.*
157. *Responsio ad contraria.*
158. *Exemptionem etiam laicis concedere potest SS. Pontifex.*
159. *Si aliunde provisum est Clero.*
160. *Oppositio.*
161. *Dissolvitur.*
162. *Facta exemptio, etiam sine causa, valida est, si aliunde sustentatur Clerus.*
163. *Tutus est in conscientia, cui sic concessa est exemptio.*
164. *Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt eam concedere, absque privilegio vel consuetudine legitimè præscripta.*
165. *Possunt tamen decimas sibi debitas ex justa causa remittere, & decretum super transactione interponere.*
166. *Nequeunt ista Principes seculares.*

152 INnocentius III. cùm *c. 24. h. t.* dixisset, quemlibet teneri decimas solvere, mox addit: *nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus.* Et infrà *Nisi habeis* (qui dant, & recipiunt possessiones ad firmam),

firmam) *ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes.* Igitur licèt singuli fideles Jure communi ad solvendum decimas sint obligati, possunt tamen certis rationibus hoc onere liberari. Unde quia præc. capite de ista obligatione egi, ordo doctrinæ exigere videbatur, ut mox agerem de modis illà se obligatione liberandi, déque personis, quæ modò liberæ, ac exemptæ sunt. Quid enim aptum magis, quàm ut ubi dixeris de ijs, qui oneri subjecti sunt, mox addas eos, qui ab eodem sunt immunes?

153 Modi porrò acquirendæ immunitatis à solvendis decimis communiter isti enarrantur: *Privilegium, Consuetudo, Præscriptio, Transactio, Compensatio, Remissio gratuita*: quos ordine, & distinctis ferè capitibus examinabimus, faciendo initium à Privilegio, quod si non est modus se eximendi amplior cæteris, ac facilior, primas saltem tenet ex causa efficiente. Tria autem hîc potissimùm controversa sunt. I. An & à quo hoc privilegium concedi possit? II. Quibus? III. Quo modo?

154 Circa I. Quæstionem multi ex antiquis Canonistis docuerunt, SS. Pontificem non posse universalem immunitatem dare, seu, non posse universim, ac simpliciter tollere præceptum de solvendis decimis, sed tantùm posse privilegium immunitatis huic vel illi particulari personæ concedere. Ita tenent Glossa *in cit. c. à nobis*, & Hostiens. Joan. Andr. Panorm. ac alij, *in c. 24. 10. 11. & 12. eod.* Quibus accedere videtur Covarr. *l. 1. var. c.* 17. n. 9. dicens: *non posse in universum à summo Ecclesiæ Principe præceptum hoc tolli, verum esse censemus.* Nec non Guttier. *can. qq. c. 21. n. 30.* & Sotus *l. 9. de Just. q. 4. a.* 1. Rationem antiqui Canonistæ dant: tum quia præceptum de decimis est divinum, ac idcirco non potest in totum abrogari à Pontifice: tum quia Deus illas sibi reservavit in signum universalis sui dominij, juxta *c. 26. h. t.* Atqui Pontifex non potest facere, ut fideles non recognoscant Deum, ut universalem Dominum.

155 Assert. I. SS. Pontifex præceptum de decimis totum, ac respectu omnium fidelium, validè tollere potest: dummodo Ministri Ecclesiæ aliunde habeant congruam suam sustentationem. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1 tr. 2. c. 14. n. 9.* Gabr. Vasq. *tr. de Benef. c. 1. n. 23.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 26. q. 6.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 3. n. 2.* ac alij communiter. Ratio primæ partis est: quia hoc præceptum de decimis est Juris solùm Ecclesiastici. Atqui SS. Pontifex potest auferre totum præceptum Ecclesiasticum; sicut quilibet Legislator saltem validè abrogare potest legem, quam tulit vel ipse, vel alius, cui in pari Jurisdictione ipse succedit, ut tanquam certum tenent Th. Th. cum S. Thom. 1. 2. *q. 97. a. 1.* & Juristæ *in l. un. C.*

un. C. de Caduc. toll. & in l. 1. ac 2. ff. de Constit. Princ. Ratio limitationis additæ est: quia jure Naturali, ac Divino ministris Ecclesiæ debetur impensi laboris justa merces, eáque fructuum pars, quæ ad ipsos honestè alendos necessaria est.

156 Assert. II. SS. Pontifex præceptum de decimis totum, seu respectu omnium fidelium abrogare licitè non potest, tametsi eo sublato Ministri Ecclesiæ aliunde haberent honestam sustentationem. Sic sentio cum Suar. *l. c. n. 10.* & Palao *l. c.* ac re ipsa idem videntur tenere omnes Theol. ac Canonistæ. Ita intelligendi sunt Covarr. Sotus, & Guttier. hoc enim duntaxat probant, quas afferunt, rationes. Rationes sunt: quia talis abrogatio non esset dispensatio, sed dissipatio bonorum Ecclesiasticorum. Nam cederet in gravissimum damnum totius Ecclesiæ, cujus interest, ut loquitur Covarr. *cit. n. 9.* Spiritualium ministros inopes non esse. Neque hoc damnum solùm temporale, sed spirituale quoque foret: quia cultus Divinus maximam partem minueretur, ac indecenter, & sine debito honore, ornatu, & ordine fieret: tum quòd Ecclesiasticæ personæ vilescerent, essentque laicorum mercenarij, ac propterea tam ipsi, quàm sacri ipsorum labores contempti; tum quòd tenuiter ac parcè ipsis alimenta ministrarentur, sícque parem modico stipendio operam, id est, modicam & perfunctoriam, præstarent; debitâ insuper auctoritate ac libertate destituti, & facultate, pauperibus, quorum patres esse debent, subveniendi, ut benè observat Suar. *l. c.* Hinc nunquam fiet, ac probabilissimè neque fieri potest hæc abrogatio, cùm ad providentiam Spiritus sancti pertineat, ita regere Christi in terris Vicarium, ut non erret, saltem cum notabili ac universali damno Ecclesiæ, quale ex abrogatione hujus præcepti nasceretur.

Ad I. rationem I. assertionis 157
n. 154. oppositam, patet responsio ex dictis *n. 37.* ubi asserui, præceptum de decimis in Lege Nova non esse Juris Divini, sed solùm Ecclesiastici. Altera quoque ratio de recognoscendo dominio Dei universali per decimarum oblationem, nullum in Jure Divino, vel Naturali vel Positivo fundamentum habet. Neque enim Natura præcipit, ut speciali hac ratione, videl: oblatione Decimarum Deum colamus; neque in Lege Gratiæ Christus eam præcepit, sed modum longè sublimiorem, nim. Sacrificium Missæ & Sacramenta.

Assert. III. SS. Pontifex aliqui- 158
bus, etiam laicis, immunitatem à decimis concedere potest. Ita tenent omnes DD. etiam illi, qui docent, decimas Jure Divino deberi. Hi porrò, quando objicitur, SS. Pontificem nihil contra Legem Divinam statuere posse, respondent,

non

non posse quidem ab illo hanc legem tolli, posse tamen cum certis personis in ea dispensari. Quæ responsio solidè confutatur à Covarr. *cit. c. 17. n. 8.* Suar. *c. 14. n. 6. & 7.* Moneta *c. 5. n. 52.* De Clericis patet assertionis veritas ex *c. 3. 4. 8. 9. 10. 11. 24. 27. & 34. h. t. c. 2. §. 1. & 2. eod. in 6. C. ult. ut lite pend. c. 6. 15. & 31. de Privil.* ubi hæc immunitas quibusdam Religiosis, & Clericis partim conceditur, partim concessa esse supponitur. De laicis constat tum ex *c. 2. de Eccl. ædif.* tum ex praxi Ecclesiæ, quæ hactenus multis Laicis non tantùm privilegium decimas non solvendi, sed ipsum etiam jus colligendi concessit. Ratio est: quia præceptum de solvendis decimis duntaxat humanum est, & idcirco per potestatem Ecclesiasticam, per quam datum est, derogari ipsi potest, & aliqui ejus obligatione liberari.

159 Limitanda assertio est, uti priores, ad casum, quo concessa immunitate congrua sustentatio remanet Clero sive ex aliorum decimis sive ex alijs reditibus Beneficialibus: si enim illa deficeret ex mea immunitate, hujus concessio foret invalida; cùm mens concedentis non sit me immunem reddere, nisi salvo illo, quod Clero debetur vi Juris & Naturalis, & Divini positivi; imò si alia ipsius mens esset, ea tamen concessionem validam non redderet, cùm in dictis Juribus potestas humana nequeat dispensare.

Verùm ex dictis assertio sic impugnari potest. Præceptum de alendis Ministris sacris est Juris Naturalis, & Divini, & quilibet fidelium, cui divina ministrantur, ad illos alendos pro rata tenetur concurrere, sicut ad tributa, & vectigalia pro alendo Principe, & sustinendis Reipublicæ oneribus. Ergo decimæ remitti privilegio non possunt saltem quoad illam partem, ad quam quilibet pro dicto fine, etiam cessante præcepto Ecclesiastico, ad decimas obligante, teneretur. Idem argumentum formari potest de Consuetudine, & Præscriptione, quibus immunitatem à decimis acquiri posse mox dicam. 160

R. Obligatione alendi Ministros sacros Jure Naturæ ac Divino non teneri singulos, nisi quando concursus singulorum ad illa alimenta est necessarius. Unde si illa jam habentur ex aliorum decimis, non tenebor ego nisi præcepto Ecclesiastico, & consequenter obligatione per privilegium eximi potero. Imò nec tota communitas illo præcepto Divino tenebitur, si Ministris sacris absque ulla decimarum pensitatione ex alijs reditibus beneficialibus sufficienter provisum est. Poterit ergo in tali casu tota communitas obligatione dandi decimas, vel privilegio, vel consuetudine liberari. E contrario si Clericus Divina ministrans reditus aliunde non habet, sed à communitate alitur, singulis ad id pro rata concurren- 161

rentibus (uti quandoque contingit, quando Parochis Cooperatores adduntur, vel Primissarij, ut vocant) aut quando decimæ, quas dant alij, ad alimenta non sufficiunt, liberari à contributione neque à SS. Pontifice possum; cùm enim Justitia postulet, ut distributio sit æqualis, eadem exigit, ut ego quoque pro rata concurram: hac autem ratione ille me liberare non potest, quia alios contra Justitiam non potest onerare. Quando verò ad dictam sustentationem sufficiunt decimæ à parte communitatis solutæ, unum vel plures eximendo, reliquis, quos non eximit, injuriam non facit, quia propter exemptionem aliquorum reliqui non plus dant, quàm daturi essent, si nemo esset exemptus, sed solùm id, ad quod ex præcepto Ecclesiæ tenentur, etiam quando nemo est exemptus.

162 Assert. IV. Quando SS. Pontifex unum vel plures, etiam laicos, imò etiam integram communitatem obligatione decimarum sine legitima causa eximit, valida est concessio, tutique in conscientia sunt, qui eximuntur: dummodo aliunde sufficienter provisum sit Ecclesiæ Ministris, & reliqui fideles non onerentur ultra id, ad quod aliàs tenentur. Ita sentio cum Suar. *l. c. c. 15. n. 2.* Gabr. Vasq. *l. c. n. 23.* contra Anton. *in c. 24. h. t.* Panorm. ibid. Covarr. *cit. c. 17. n. 9.* ubi ait, etsi exemptio sine causa facta valeat, peccare tamen, tam eum, qui illam concedit, quàm illum, qui utitur. Quam opinionem falsam esse dicit Vasq. *l. c.* & communiter alij eam reprobare videntur, dum absolutè asserunt, Pontificem eximere quoscunque fideles posse à solutione decimarum, dummodo id fiat sine præjudicio Juris naturalis de alendis ministris Ecclesiæ. Quòd talis concessio valida sit, patet ex dictis *n. 155.* quia non est contra Jus Naturale vel Divinum, neque est contra jus tertij. Sed neque agitur contra jus illius Ecclesiæ, cui ante immunitatem obtentam solveram decimas, aut cui solvendæ forent ex novalibus, nisi pro his exemptionem obtinuissem. Ecclesiæ enim non habent jus eas colligendi, nisi supposito præcepto Ecclesiastico, & contra eos, qui hoc præcepto sunt obligati. Neque habent aliquod jus, ut hoc præceptum non tollatur. Poterit ergo vel tolli omnino, vel ex parte respectu aliquorum, illóque sublato nullum ampliùs competit jus Ecclesijs adversùs fideles exemptos, nulláque his erga illas incumbit obligatio, utpote quæ tota nascitur ex præcepto Ecclesiastico, quo tamen ipsi per privilegium sunt exempti.

163 Quòd verò in Conscientia tutus sit, cui immunitas concessa est validè, quamvis illicitè, tradunt post Innoc. Card. Durand. Pallac. Aragon. Angel. Adrian. ac alios, Navarr. *Man. c. 12. n. 47.* Gigas *de Pen-*

sion.

sion. q. 6. n. 13. Em. Rodr. *qq. reg. q. 22. a. 4.* Suar. *l. 6. de Leg. c. 19.* Vasq. *2. p. de Leg. d. 178. c. 4.* Salas *d. 20. sect. 4. n. 37.* aliique complures, quos refert Matth. de Moya *in select. tr. 6. q. 1. à n. 1.* dum universim tenent, in usu dispensationis illicitè concessæ peccatum non intervenire. Rationem dant: quia nec peccatur contra legem positivam, quæ jam non est; neque contra naturalem, quia dispensatus non tenetur jure naturæ se aliis conformare. Et quamvis non pauci, quos refert, & sequitur Sanch. *l. 8. d. 18. n. 11.* & de Moya *l. c. n. 8.* contrarium teneant: plerique tamen peccatum solùm veniale agnoscunt, & lethale non esse certum esse existimant idem Sanch. *n. 12.* & Suar. *cit. n. 14.* Ii insuper, qui peccatum committi à privilegiato censent, non dicunt, quòd peccet contra legem, vel præceptum, à quo per privilegium exemptus sine justa causa fuit; sed solùm, quòd contra rectam rationem, & legem naturæ, dictantis, neminem debere absque justa causa à suo toto discrepare. Quam ob causam etiamsi peccaret, non tamen propterea tributum v. g. vel vectigal, à quo immunitatem sine causa accepit, solvere tenebitur, quia is, cui illa pensio debebatur, illam reverâ remisit, & validè suo jure cessit, quamvis prodigè, ac illicitè.

164 Asser. V. Episcopi aliique Ecclesiæ Prælati SS. Pontifice inferiores non possunt quemquam ab onere decimarum eximere, nisi speciali facultate ab illo concessâ polleant, aut consuetudine legitimè præscriptâ eam obtinuerint. Ita Rebuff. *q. 5. n. 28. & 32.* Fagundez *l. 5. præc. 5. c. 4. n. 6.* Moneta *c. 5. n. 40.* Barbosa *cit. c. 28. §. 3. n. 49.* nemine, ut existimo, dissentiente, nisi fortè Andr. Hispano *tr. de Decim. q. 11. n. 1. prin.* Ratio patet, quia hoc præceptum est commune toti Ecclesiæ, & à summis Ecclesiæ capitibus, tam SS. Pontificibus, quàm Concilijs latum, & ab his certæ singulis Ecclesijs decimæ assignatæ *c. 1. 13. q. 1.* fuitque specialiter statutum in Concil. Mogunt. (non Cabilonensi, ut Gratianus *can. 41. 16. q. 1.* refert) ut *Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec alijs possessionibus priventur.* Quod etsi Provinciale tantùm fuerit, approbatum tamen videtur usu & praxi universæ Ecclesiæ. Atqui inferior non potest dispensare in legibus superioris, *c. 16. de Major. & Obed. Clem. 2. de Elect.* nisi id ipsi à superiore concessum sit: nullibi autem legimus, Episcopis vel alijs Prælatis facultatem in hac Ecclesiæ lege dispensandi concessam esse.

Potest tamen Episcopus ex justa 165
causa remittere decimas sibi debitas. *c. 22. de Privil.* Potest quoque in compositione super solutione decimarum suum consensum, & decretum interponere, ut patet ex *c. 2. de transact.*

166 Asser. VI. Nullus Laicus immunitatem à decimis concedere potest. Ita Innoc. III. *c. 25. h. t.* ibi: *cùm laicis nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas, Imperialis potestas, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ Divinâ Constitutione debentur.*

QUÆSTIO II.

Privilegium non solvendi decimas sitne latè an strictè interpretandum?

SUMMARIUM.

167. 168. 169. *Rationes pro lata interpretatione.*
170. 171. *Est strictæ interpretationis, tametsi Regularibus concessum & Juri communi insertum.*
172. *Ita tamen, ut à proprio verborum sensu non recedatur.*
173. *Strictè interpretandum est privilegium, quod est contra Jus commune aut tertij.*
174. *Tametsi Juri communi insertum sit.*
175. *Aut concessum in favorem Religionis, piæve causæ.*

167 QUousque se extendat hoc privilegium, si absolutè & sine aliqua expressa limitatione conceditur, hìc indagandum est. Varia dubia oriuntur. Primum est generale, an hoc privilegium strictæ, an latæ interpretationis sit. Latæ esse, suaderi potest I. Quia *Beneficium Imperatoris, quod à divina scil. ejus indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus*, ut ait JCtus *l. 3. ff. de Const. Prin.* Eadem autem est ratio de summo Principe in sacris; quod enim Imperator est in temporalibus, hoc SS. Pontifex in Ecclesiasticis. Universim favor semper ampliandus est. *l. hoc modo ff. de Condit. & Dem. l. Cùm quidam ff. de Liber. & posth.* Quod maximè verum est, quando privilegium motu proprio vel ex certa scientia concessum est: tunc enim latè explicandum est, quamvis sit contra jus commune, juxta *c. 23. de Præb. in 6.* quia privilegium sic concessum est proprium beneficium Principis, ac proinde tum propter ejus liberalitatem, tum in ejus honorem convenit fieri liberiorem interpretationem, ut post Anton. Host. Dec. Joann Andr. Felin. Alex. de Nevo, Rebuff. ac alios tradunt Gabrielius *l. 10. concl. 2. à n. 61.* Suar. *l. 8. de Leg. c. 27.*

c. 27. n. 8. Salas *disp. 20. sect.* 10. *n.89.* Bonacina *d. 1. q. 3. pun. 7. §. 1. n. 7.* Sanch. *de Matr. l. 8. d. 1. n. 5. & 6.* Palao *tr. 3. d. 4. pun. 10. n. 7.*

168 II. Privilegium cedens in favorem religionis aut piæ causæ latè explicandum est, tametsi deroget juri communi, ut docent Tiraq. *tr. de pia caus. n.* 160. Suar. *l. c. n. 7.* Salas *sect. 8. n. 52. & d. 20. n. 90.* Sanch. *l. c. n. 33.* Em. Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg. q.* 11. *a.* 6. ac passim alij: quia, ut ait Papin. *l. 43. de religios. & sumpt. fun. Summa est ratio, quæ pro religione facit.* Ergo illa saltem exemptio latè interpretanda est, quæ Monasterijs, & Ecclesijs conceditur.

169 III. Interpretandum latè est privilegium, quod juri communi insertum est. Ita Suar. *l. c. n. 8.* Bonacina *l. c.* Sanch. *l. c. n. 7.* Palao *l. c. n. 7.* ergo saltem illa à decimis solvendis immunitas latæ interpretationis est, quæ juri communi inserta est, uti insertæ sunt aliquæ immunitates Religiosis concessæ. Ratio patet: quia etsi privilegium, quod est contra jus commune, strictè interpretandum sit, ut docent omnes; illud tamen, quod communi Juri insertum est, non est contra jus commune, sed potiùs juri conforme, cùm jus commune constituat. Videtur igitur absolutè dicendum cum Glossa *in c. 12. h. t.* privilegia de non solvendis decimis, saltem si Ecclesijs aliisque pijs causis concessa sint, latissimè interpretanda esse.

Asser. Privilegium exemptionis à decimis solvendis, etsi Religiosis concessum, & Juri communi insertum, odiosum est, & strictæ interpretationis. 170 Ita Oldrad. *consil. 268.* Guttier. *consil. 5. n. 5.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 18. n. 6.* aliique mox referendi. Ratio est: quia licèt hoc privilegium respectu eorum, quibus datur, videatur religioni favere, simpliciter tamen juri communi, vi cujus omnes, etiam Religiosi, tenentur ad decimas solvendas, derogat, affértque præjudicium tertij, vid. Ecclesiarum & Clericorum, qui decimis per privilegia privantur. Quod autem juri communi derogat, & onus affert tertio, simpliciter odiosum, ac idcirco strictè interpretandum est, *reg. 15. Jur. in 6.* Unde ita restringendum est, ut, quàm minimùm fieri potest, legi deroget, & juri alterius noceat, ut in simili docet Pontifex *c. 13. de Privil.*

Confirmatur ratio allata. Princeps ita semper privilegia concedit, ut, quantum fieri potest, sine cujusquam præjudicio usurpentur, ut tradit Ulp. *l. 2. §. 2. & 10. ff. ne quid in loc. publ.* & Impp. *l. 4. C. de Emanc. liber.* Cùm ergo exemptio à decimis solvendis cedat in præjudicium eorum, quibus aliàs de jure solvendæ forent, consequens est, quòd Pontifex hoc privilegium concedens velit, ut illis quàm minimùm noceatur. Quæ Pontificis mens apertè colligitur 171

ex *c. 8. & c. 34. h. t.* ubi Alexander III. & Innoc. III. hanc Religiosorum immunitatem restrinxerunt, quòd grave inde Ecclesijs, quibus decimæ de Jure communi debebantur, præjudicium nasceretur.

172 Addendum tamen est, ita restrictionem privilegij faciendam esse, ut ejusdem verba sensum proprium semper retineant, sive, ut per restrictionem & arctum usum privilegij non recedatur à propria significatione verborum, quibus illud concessum est, ut tradunt Decius *consil.* 113. *n. ult.* Baldus *vol.* 1. *consil.* 271. ac latè explicant Francus *in c.* 1. *de temp. Ordin. in 6.* Everhard. *in Topic. Leg. loco 79. n.* 26 *& seqq.* Peckius *in cit. reg.* 15. *n.* 6. *&* 7. Suar. *de Leg. l.* 8. *c.* 27. *n.* 6. *& c.* 28. *n.* 2. *&* 3. quia voluntas Principis servanda est; hæc verò colligitur ex verbis Rescripti propriè sumptis, nisi aliunde de contraria ejusdem mente constet.

173 Ex dictis patet responsio ad rationes in contrarium: quia privilegium tunc demùm latè interpretandum est, quando non est contra Jus commune, aut contra jus tertij. Huic enim si derogat, strictæ interpretationis est, tametsi motu proprio Principis aut ex certa scientia concessum sit, ut cum Panorm. *in c. 9. de sepult. n.* 9. & communi DD. tradit Suar. *cit. c.* 27. *n.* 9. ac sumitur *ex c.* 12. *de offic. Ord. c.* 5. *de auct. & usu pall. cit. l.* 2. §. 2. *&* 10. *ff. Ne quid in loco publ.*

Neque obstat, quòd hujusmodi 174
privilegium juri communi insertum sit: quia posterior lex semper ita intelligenda est, ut priori quàm minimùm derogetur, neque priori derogatum censetur, nisi posterior derogans sit illi omninò contraria, *arg. c.* 29. *de elect. in* 6. *l. si quando C. de inoff. test. am. l. Præcipimus C. de appell. l. sed & posteriores ff. de Legib.* Cùm ergo lex de decimis solvendis sit antiquissima; ea verò, quâ conceditur exemptio, posterior: consequens est, hanc ita intelligendam esse, ut prior, quantùm fieri potest, salva maneat, maximè quia per priorem legem simúlque per divisionem prædiorum, ex quibus singulis Ecclesijs decimæ solvantur, jus Ecclesijs ad decimas quæsitum est; juri autem tertij nunquam derogatur per legem aut statutum, multò minùs per privilegium, nisi expressa juris illius mentio fiat, aut certè lex cum illo jure omninò consistere nequeat.

Pariter non obstat, quòd immu- 175
nitas à decimis pendendis concessa fortè est in favorem religionis ac piæ causæ. Nam imprimis favor religionis non potest obesse juri 176
tertij, nisi huic in rescripto, quo privilegium conceditur, vel apertè derogetur, vel cum illo jure tertij privilegium consistere nequeat, ac idcirco quamdiu utrumque stare simul potest, tamdiu utrumque tuendum est. Accedit, quòd favor unus religionis non potest prævalere

lore alteri favori religionis, nisi quantum necesse est, ut prior ille non sit omninò vanus ac sine effectu: cùm enim uterque sit concessus religioni, neuter per se prævalet alteri, quia religio religioni non obest.

QUÆSTIO III.

Privilegium non solvendi decimas an solùm eximat à decimis Novalium?

SUMMARIUM.

176. *Sensus quæstionis explicatur.*
177. *Novale diversimodè sumitur in Jure Civili, & Canonico, ac Bavarico.*
178. *An modò latè, modò strictè accipiendum sit.*
179. *Pratum vel hortus in agrum conversus Novale non est.*
180. *Privilegium de non solvendis decimis ex Novalibus intelligendum est de Novalibus strictè sumptis.*
181. *Secùs, si agatur de favore Parochi.*
182. *Ex fundo olim culto debet decimas, qui habet Privilegium non solvendi ex Novalibus: nunquam tamen ex fundo, qui semel est novalis.*
183. *Probare debet, se post acceptum privilegium feciisse novale.*
184.185.186. *Sententia & rationes opinantium, exemptionem à decimis tantùm procedere de novalibus.*
187. *Procedit hoc Privilegium de de Decimis antiquis.*
188.189.190.191. *Dissolutio oppositorum.*
192. *Excipitur casus, quo decimæ alicui competunt titulo particulari præscriptionis, privilegij &c.*

176 ULtra dubium generale, quod modò decidimus, alia quædam particularia de hujus privilegij vi & effectibus consurgunt. Horum primum esto, quo quæritur, an privilegium non solvendi decimas procedat de decimis ex prædijs, ex quibus illæ ante concessum privilegium solvebantur; an verò solùm de novalibus, quæ fient post privilegium. Quod ut ritè decidatur, uti & alia, quæ de Novalibus postea occurrent, paucis priùs declarandum est, quid nomine Novalium significetur.

Ager *Novalis* aliter Jure Civili, 177
aliter Canonico sumitur. *Novalis* ait Cajus *l. 30. ff. de V. S.* est terra

præcisa (prosciſſa) *quæ anno ceſſavit.* Qua ratione, ut obſervat Panorm. *in c.* 21. *de V. S.* ferè omnes agri ſunt novales, cùm communiter ceſſent per annum. Lege *3. §. 2. ff. de Term. mot.* dicitur novale fieri ex ſylva. Hinc Juris civilis conſulti ſtatuerunt, terram proſciſſam, quæ anno ceſſavit, vel ſylvam, quæ arboribus extirpatis ad culturam redacta eſt, *novalem* eſſe. Utriuſque hujus expoſitionis mentionem cùm feciſſet Innoc. III. *c.* 21. *de V. S.* ſubjungit: *eam credimus, prædeceſſorum noſtrorum intentionem fuiſſe, cùm pijs locis indulgentiam de Novalibus conceſſerunt, ut Novale intellexerint agrum de novo ad cultum reductum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuiſſet.* Idem ferè dicitur *c.* 1. *eod.* ibi: *Novale eſt ager nunc primùm præciſus.* Quam definitionem *Novalis* in materia decimarum univerſim dant Canoniſtæ. Ita quoque ſumitur *Novale* in Statutis noſtris Patrijs *tit.* 28. *art.* 13. dicitur enim terra, quæ hactenus culta non fuit, & in qua nullum indicium porcæ & ſulci vel liræ apparuit. Wo hievor weder Furch noch Strang geſechen / auch nie etwas angebaut worden / und hernach umgeriſſen / und gebaut worden / das haiſt und iſt ein rechter Neubruch.

178 Exiſtimat quidem Bern. van Epen. *p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 6. n. 4. & 7.* Novale etiam de Jure Canonico non abſolutè ita ſtrictè ſumi, ſed ſolùm, quando SS. Pontifices alicui concedunt decimas Novalium: eò quòd hujusmodi facultas ſit odioſa & reſtringenda, & ſic pariter reſtringenda notio & ſignificatio nominis *Novale.* Rationem dat: quia Pontifex *cit. c.* 21. ait, ſuos prædeceſſores per *Novale* intellexiſſe agrum de novo ad cultum reductum &c. *cùm pijs locis indulgentiam de novalibus conceſſerunt.* Non ergo univerſim ita ſtrictè *Novale* acceperunt, ſed ſolùm in illo ſpeciali caſu, quo conceſſio decimarum ex Novalibus erat odioſa & ſtrictæ interpretationis. Unde infert, quòd *Novale* in latiore ſenſu accipiendum ſit, ſi non agitur de privilegio Juri communi contrario. Verùm non explicat, quomodo extra caſum privilegij accipiendum ſit *Novale.* Accipi profectò nequit in ſenſu *Legis 30. ff. de V. S.* juxta quam *Novalis* eſt *terra proſciſſa, quæ anno ceſſavit*: quæ tam latè patens ſignificatio in materia decimarum nec eſt juxta mentem DD. nec juxta praxin fori. Accedit, quòd *c.* 1. *h. t. Novale* abſolutè dicitur ager nunc primùm proſciſſus, abſque illa privilegij de Novalibus conceſſi mentione, quæ fit *c.* 21. *de V. S.* Hinc univerſim pronuntiant Juris utriusque Conſulti cum Panorm. *l. 2. conſ.* 71. *col.* 1. Tuſch. *lit. N. concl.* 114. Burſat. *conſ.* 142. *n.* 9. Rimin. Jun. *vol.* 2. *conſ.* 142. *Novale* eſſe terram de novo

novo ad culturam redactam, cujus non extat memoria, quòd culta unquam fuerit. Addit Tusch. *l. c.* cum Panorm. quòd si ager cultus pro parte fuit, maximè si pro majori parte, novalem quoad nullam partem dici, licèt quoad aliquam partem non fuerit cultus hactenus.

179 Illud verum est, quod post Besoldum ac alios observat Illustriss. D. Schmid *ad cit. art.* 13. *Jur. Bav. n.* 1. quòd si pratum, vel hortus, brassicâ consitus, vertatur in agrum & frumento seratur, *Novalis* dici non possit, & sic decimæ ex hujusmodi novo agro non pertineant ad eum, ad quem ex jure & titulo speciali pertinent decimæ Novalium, sed ad ordinarium decimatorem: etsi enim ejusmodi fundus sit ager nunc primùm aratro proscissus, non tamen habet id, quod *cit. c.* 21. ad rationem *Novalis* requiritur, quia dici non potest, quòd sit *de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset*: reverâ enim cultus antè fuit, etsi non satione frumenti. Videantur tamen ea, quæ trado *n.* 401. *& seqq.*

180 Hinc saltem in casu, quo alicui conceditur privilegium de non solvendis Novalium decimis, *Novale* strictissimè sumitur, nim. pro illo duntaxat solo recens culto, ex quo antè nulli vel modici tantùm fructus decimis subjecti percipiebantur, uti patet ex *cit. c.* 21. & explicant Card. Luca *disc.* 4. *de decim. n.* 11. *&* 12. Werndle *tr. de dec. l.* 4. *c.* 1. Moneta *eod. c.* 4. *n.* 50. *&* 51. Wamesius *h. t. consil.* 446. *&* 448. Zypæus *Can. Consult. l.* 3. *Consult.* 5. *n.* 9. Hart. *pract. for. l.* 2. *tit. de V. S. art.* 15. Ex quo consequens est, quòd si pratum aut pascua, ex quibus Parochus decimas fœni vel pecorum habet, in agrum redigantur, decimæ ipsi ex frumento solvendæ sint à domino agri, etsi hic privilegium habeat decimas ex novalibus non solvendi, ut patet ex *c.* 4. *h. t.* & tradunt ibi Gloss. ac DD. quos referunt ac sequuntur Rebuff. *q.* 6. *n.* 4. *&* 35. Moneta *l. c. n.* 51. Azor aliique communiter. Idem dicendum est, si domus, ex qua decimæ priùs solvebantur, exusta est, ejúsque solum postea aratro subdatur. Wamesius *consil.* 450. *sub fin.* Zypæus *l. c.*

181 E contrario dicendum videtur cum Bern. van Espen *l. c. n.* 8. quòd si pratum alicubi, ubi decimæ fœni ex consuetudine non solvuntur, in agrum convertatur, hujusmodi agrum esse *Novalem*, ac idcirco ex illo decimas frumenti ad Parochum, & non ad alium decimatorem pertinere, si hic ad decimas solùm ordinarias jus habet, Parochus verò ad novales. Ratio patet: quia, uti sumitur ex *c.* 4. 8. 9. 11. 34. *h. t. & c.* 21. *de V. S.* ac tradit communis DD. privilegium decimas aut colligendi, aut non solvendi, est odiosum, & restringendum, ita ut quàm minimùm noceat Ecclesiæ, cui

cui illæ jure communi debentur. Cùm ergo, ut ex dictis patet, non eodem semper sensu accipiatur *Novale*, in casu, quo agitur de tuendo jure Parochi, accipiendum est, ut quàm minimùm huic juri, & sanctionibus Canonicis derogetur.

182 Ex dictis colligitur I. Si fundus ante centum, mille, vel plures annos cultus, postea neglectus hucusque nihil fructuum tulit, ac hodie denuò colitur, decimas inde solvendas esse, etiamsi dominus, qui eum colit, privilegium habeat eas ex novalibus non solvendi. Novale enim est ager nunquam antea prosciissus: at fundus iste olim prosciissus ac cultus fuit. E contrario Novale semper manet fundus de novo ad culturam redactus, ac propterea is, qui jus habet colligendi decimas ex novalibus, semper ex illo colligere poterit, eritque semper exemptus ejus possessor, qui privilegium habet decimas non solvendi ex novalibus. Explodenda enim potiùs, quàm confutanda est illa inepta opinio, quam apud illiteratos circumferri ait Zasius *tom. 6. l. 2. consil. 11. n. 22.* existimantium, quòd ager dicatur Novalis solùm pro eo anno, quo ad culturam redigitur; talem verò esse desinere sequentibus annis, quibus cultura continuatur. Contrarium patet ex *c. ult. de Privil.*

183 Colligitur II. Possessorem, si contendit, se ratione privilegij decimas ex novalibus non solvendi ad nullas ex suo fundo teneri, probare debere, se post acceptum privilegium novale feciisse, seu fundum anteà semper incultum cœpisse colere. Hoc ut probet, ostendere debet, non extare memoriam de cultura. Ad hoc verò probandum testes deponere debent, se nec vidisse, nec audivisse dici ab aliquo, quòd ager, qui novalis dicitur, cultus aliquando fuerit, & quòd communis opinio ac fama sit, fuisse semper incultum, ut notant Innoc. Ant. Butr. ac alij *in cit. c. 21. de V.S.* Bartol. *tr. de differ. utr. Jur. n. 132.* Specul. *de Probat. §. 1. n. 20.* Mascard. *eod. concl. 1112.* & patet ex *l. si arbiter ff. de Prob.* aut certè probare debet, quòd ex hoc fundo, tanquam ex novali, antecessores non solverint decimas: tunc enim (ut existimo) nec ipse successor pari privilegio circa novalia munitus ad quidquam tenebitur, etiamsi longè antè ab uno ex antecessoribus fundus sit coli cœptus, & hucusque cultura continuata: quia nullibi legitur, eum, qui gaudet privilegio circa novalia, illo tantùm uti posse circa novalia, quæ ipse fecit, solum antea incultum ad culturam redigendo. Accedit, quòd juxta *c. 21. de V.S. Novale* est illud (ut observat Glossa *in c. 4. h. t.*) *unde Ecclesia Parochialis nihil antè percipiebat, vel ita modicum, quòd sine læsione illud poterat amittere.* At ex fundo ab antecessoribus ad culturam redacto

redacto & nunquam antè decimato Ecclesia nihil unquam, ut puno, percepit. E contrario, si novale ab antecessorum aliquo factum est, qui circa illud non erat privilegiatus, censendum non est, quòd ad illud se extendat successoris privilegium : quia fundus oneri decimarum semel subjectus, cum hoc onere ad successores transit, & novale amplius non censetur, utpote per quod intelligitur solùm ille fundus, ex quo antea nunquam sunt solutæ decimæ, uti tradunt Panorm. in *c.* 31. *de Privil.* Rebuff. *q.* 14. *n.* 33. Covarr. *cit. c.* 17. *n. fin.* & patet ex *cit. c.* 31. & *c. statuto h. t. in* 6. Interim fatendum est, quòd sicut ferè universim circa decimas multum potest consuetudo, ita ex hac potissimùm desumi debeat, quis fundus novalis censendus sit, quis non. Si dubia est consuetudo, in favorem Parochi interpretanda est, utpote cui de jure communi competit jus colligendi decimas ex fructibus intra fines Parochiæ provenientibus.

184 His de natura Novalium in genere præmissis, resolvendum est dubium initio quæstionis propositum. Privilegium non solvendi decimas solùm intelligendum esse de Novalibus, non verò de fundis, ex quibus illæ antea solvebantur, censent Cardin. & Innoc. *in c.* 31. *de Privil.* Oldrad. *consil.* 268. Felin. *in c. causam de Rescript. n.* 11. Rebuff. *q.* 13. *n.* 114. aliique, quos referunt Guttier. *l.* 2. *can. qq. c.* 21. *n.* 129 & Covarr. *l.* 1. *var. c.* 17. *n.* 14. Rationem dant I. Privilegium, quod juri communi contrarium est, strictè accipi debet, & ita, ut quàm minimùm deroget juri communi, & juri tertij, quantùm fieri potest salva proprietate verborum, ut diximus *n.* 170. *&* 171. Atqui privilegium non solvendi decimas salvâ proprietate verborum subsistit, etiamsi solùm accipiatur de Novalibus : ergo ultra hæc non est extendendum, nec intelligendum de prædijs ante acceptum privilegium oneri decimarum subjectis.

II. Pontifex non censetur alicujus juri derogare, nec possessionem ejus tollere, nisi vel expressam mentionem de hoc faciat, vel aliàs privilegium sine tali derogatione consistere omnino non posset, ut pariter diximus *n.* 171. ergo si in concessione privilegij expressam mentionem de prædijs oneri decimarum jam subjectis non facit, censetur loqui de Novalibus in posterum faciendis : cùm privilegium effectum aliquem habeat, etiamsi de his solis intelligatur. 185

III. Deciditur *cit. c.* 31. *de Privil.* privilegium de novalibus concessum non extendi ad decimas tempore concessi privilegij debitas, sed solùm ad illas, quæ ex agris nunquam cultis colliguntur : ne præjudicium fiat possessoribus. Ergo simi- 186

go similiter, nè possessoribus antiquarum decimarum præjudicetur, privilegium non solvendi intelligi debet solùm de novalibus. Confirmatur ex *c. 31. h. t.* juxta quod per concessionem cujusdam Ecclesiæ cuidam Hospitali factam, non censetur Episcopus privari jure decimarum talis Ecclesiæ : quia hoc in litteris non exprimebatur. Ergo pariter non privatur Ecclesia jure decimarum ex antiquis prædijs, si hæc in privilegio immunitatis non exprimuntur.

187 Assert. Privilegium non solvendi decimas prædiales procedit de prædijs tempore privilegij possessis, ex quibus antè solvebantur. Ita sentio cum Panorm. *in c. 31. de Privil.* Covarr. *l. c.* Guttier. *l. c.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 19 n. 2. & 3.* Azor *tom. 1. l. 7. c. 26. q. 6.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 12. n. 5.* ac communi DD. & praxi, de qua testatur Suar. *l. c. n. 2.* ubi meritò addit, rem sibi videri indubitatam. Nam apertè deducitur ex *c. 10. h. t.* ubi cùm Pontifex recensuisset, suos antecessores omnibus ferè Religiosis concessisse exemptionem à decimis suorum laborum, seu prædiorum, quæ habent, ut benè ibi explicat Glossa : postea restringens hoc privilegium ait, se solis Cisterciensibus, Templarijs, & Hospitalarijs, exemptionem in suis prædijs concedere ; cæteris verò Religiosis duntaxat de novalibus. Supponit ergo privilegium non solvendi absolutè concessum procedere de 189
prædijs tempore privilegij jam possessis & oneri decimarum subjectis aliàs, si illud per se solùm procederet de novalib°, peculiari restrictione opus non fuisset. Idem sumitur ex *c. 12. h. t.* ubi Pontifex illos reprehendit, qui privilegium exemptionis Cistercien sibus concessum dicebant solùm procedere de Novalibus, addens, si exemptionem concedere voluisset tantùm de 190
Novalibus, se fuisse expressurum nomen *Novale*. Ergo ubi hoc non exprimitur in privilegio, procedit exemptio de prædijs antiquis. His accedit ratio : quia privilegium non solvendi si expresè non restringatur ad novalia, est universale, ac idcircò non solùm personas eximit, sed quælibet bona : ergo non solos fundos, qui hactenus non colebantur, sed etiam, & maximè illos, qui nunc sunt sub privilegiati cultura, vel jam fuerunt sub antecessorum.

Ad I. Rationem *n. 184.* in oppositum allatam R. licèt hoc privilegium strictè interpretandum sit, ejus tamen verba propriè, ac rigorosè accipi debere. Cùm ergo nomine decimarum prædialium in rigore non intelligantur sola novalia, consequens est, eo nomine etiam antiqua prædia comprehendi, atque si hæc non intelligerentur, illud nomen in rigore non sumi, sed extra propriam significationem extrahi.

Ad

189 Ad alteram quoque rationem patet responsio ex dictis : cùm enim Pontifex concedit exemptionem à decimis prædialibus, loquitur de prædijs antiquis ; tum quòd mens SS. Pontificum *cit. c. 10. & 12.* ita explicatur ; tum quòd verba *Prædia*, & *Prædiales decimæ*, in rigore non significant sola Novalia, & sic impropriè sumerentur, si de his solis explicarentur.

190 Ad argumentum ex *c. 31. de Privil.* factum, N. conseq. nam ibi casus proponitur longè à nostro diversus ; cùm Pontifex solùm decidat, privilegio non solvendi decimas ex novalibus non comprehendi fundum, ex quo Ecclesia priusquàm coleretur, decimas accipiebat, v. g. si ex pascuis, vel sylva, ex quibus decimas percipiebat, fiat ager. At nos hîc loquimur de privilegio non solvendi ex prædijs ; quo nomine, ut diximus, non veniunt soli fundi de novo colendi, sed maximè illi, quos privilegiatus hactenus coluit: nam nomine *decimarum* præcipuè significatur aliquid sub jure Ecclesiæ constitutum ; ergo dum à solvendis conceditur privilegium, procedit vel maximè de illis, ad quas ratione soli jam antè culti Ecclesia jus habet.

Æquè parùm obest textus *c. 31. h. t.* quia concedere Ecclesiam seu illam unire Hospitali aut Monasterio, non est illi applicare Jura Episcopalia talis Ecclesiæ, sed ad summum propria Ecclesiæ jura seu Parochialia. Unde ex hoc casu, utpote longè diverso, argumentum duci ad nostrum non potest. 191

Concedendum tamen aliquid est rationibus adversariorum, ac limitanda nostra assertio in casu, quo alicui debentur decimæ ex titulo particulari, videl. præscriptione, consuetudine, aut privilegio : si enim ex speciali hujusmodi titulo aliquis jus habet colligendi, per privilegium non solvendi decimas prædiales huic juri non derogatur, nisi in rescripto specialis ejus mentio fiat & derogatio, vel verba rescripti ita sint generalia, ut ex illis pateat, Pontificem voluisse etiam speciali huic juri derogare, v. g. si dicat, se eximere à solvendis decimis quocunque titulo & jure cuicunque debitis, uti docent Panorm. *in c. 31. h. t.* Covarr. Guttier. Azor, Suar. Palao *ll. cc.* quia juri solùm communi, non verò speciali per privilegium derogatur, nisi aliud ex verbis rescripti clarè desumatur. 192

QUÆSTIO IV.

Privilegium non solvendi decimas an se extendat ad Novalia?

SUMMARIUM.

193 194. *Opinio negantium & rationes.*
195. *& seqq. Affirmativa tenetur & probatur.*
201. 202. *Responsio ad opposita.*

193 PRivilegium non solvendi decimas procedere de prædijs antiquis, modò dictum est: consimilis nunc quæstio est, an pariter comprehendat Novalia? Negant Ant. Butrio in *c. 25. h.t.* Solorz. *tom. 2. l. 3. c. 21. n. 26.* Rebuff. *q. 14. n. 30.* Guttier. *c. 21. n. 130.* Moneta *c. 4. n. 67.* Hier. Roderic. *qq. regul. resol. 50. n. 6.* Barbosa *de offic. Par. c. 28. §. 3. n. 14.* Gonzal. *in c. 4. h. t. n. 9.* Werndle *l. 4. de Decim. c. 4. concl. 7.* Robert. König *h. t. n. 9.*, aliique, moti his rationibus.

194 I. Privilegia, cùm concedantur contra jus commune *c. Privilegia dist. 3. c. fin. 25. q. 1.* & contra juris dispositionem operentur. *C. 30. de Privil. l. 2. ff. ad municip.* odiosa sunt & ita accipienda, ut quàm minimùm lædant. *c. 3. de Consang. c. licèt de off. ordin. c. 19. de Præscript. c. 16. de Privil. c. Quamvis de Rescript. in 6. c. 3. h. t. & c. 2. eod. in 6.* nec extensionem aliquam recipiunt *c. Petiisti 7. q. 1.* etiam ex majoritate rationis. *l. si pupillorum §. si Prætor ff. de rebus eor.* Ergo nec privilegium non solvendi decimas extendendum est, cùm maximè odiosum sit, utpote repugnans non tantùm juri communi, sed etiam juri tertij, seu particularium Ecclesiarum, quibus illæ debentur. II. Privilegij & Præscriptionis eadem est ratio. *c. Duo sunt de offic. Ord. c. super. de V. S.* At Præscriptio non extenditur ad novalia. *c. 28. h. t.* III. Privilegium percipiendi decimas etiam absolutè concessum non comprehendit decimas novalium, ut patet ex *c. 2. §. 1. h. t. in 6* Ergo etiam privilegium absolutè concessum de non præstandis decimis non extenditur ad novalia: ideò enim illud prius ad novalia non extenditur, quia est odiosum & contra jus Ecclesiarum: at odiosum pariter est posterius de non solvendo; privat enim æquè, ac illud, Ecclesias decimis, ad quas etiã ex novalibus percipiendas jus habent. IV. Futura non comprehenduntur sub indefinita dispositione. *l. si ita & l. fin. ff. de auro & argent. Clem. fin. de Rescript.* ergo Privilegium non solvendi decimas non comprehendit futuras, seu Novalium. Plerique tamen hujus sententiæ patroni eandem limitant, ac dicunt, hanc immunitatem extendi ad novalia, si concedatur alicui *de laboribus suis*, ut loquitur Pontifex *c. 10. & 12. h. t.* id est, de proprijs prædijs, quæ *proprijs manibus aut sumptibus* excolit.

Assert. Privilegium imunitatis 195
à præstandijs decimis sine limitatione

tione concessum eximit à præstatione etiam novalium decimarum. Ita sentiunt Suar. *cit. c. 19. à n. 4.* Azor *cit. c. 26. q. 6.* Palao *cit. pun. 12. n. 7.* Zoes. *h. t. n. 54.* Pirhing *eod. n. 103.* Schambogen *eod. §. 39.* Fagnan. *in c. 29. h. t. n. 9.* Probatur I. ratione: quia sub privilegio de non solvendis decimis ex proprijs prædijs, generaliter & indefinitè concesso, continentur etiam decimæ Novalium: cùm sub concessione generali ac indefinita etiam futura comprehendantur. *c. 22. de Privil.* Neque est major ratio, cur contineantur decimæ antiquæ, seu ex agris non novalibus, quàm novæ ex novalibus: cùm agri novales æquè sint propria prædia, quàm agri ab antiquo culti. Unde sicut privilegium non acciperetur in propria significatione verborum (in qua tamen, ut hactenus non semel diximus, privilegium etiam odiosum accipiendum est) si acciperetur solùm de novalibus, & non etiam de antiquis decimis, uti argumentantur ipsi etiam Adversarij: ita pariter extraheretur extra proprium verborum sensum, si tantùm intelligeretur de decimis antiquis. Comprehendit igitur decimas temporis tam præsentis quàm futuri. *arg. l. fin. si servitus ff. de servit. urb. præd. l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poss. c. 1. dist. 19.*

196 Neque obstat, quòd sit in præjudicium tertij: quia etiam privilegijs in præjudicium tertij cedentibus lata interpretatio facienda est, quatenus requirit verborum proprietas: quia hæc non est extensio, sed comprehensio, ut declarant Decius *consil. 113. n. 6.* Panorm. *in c. olim de V. S. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 23.*

Probatur II. Juxta *c. 22. de Privil.* si Episcopus indefinitè concessit immunitatem à decimis sibi debitis, *intellexisse videtur*, ait Pontifex, *non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri.* Rationem reddit: *cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eadémque substantia diverso jure censeri.* Idem ergo dicendum est de privilegio à summo Pontifice concesso, quia æquè in potestate ipsius est decimas remittere cuicunque Parochiæ debitas, ac est in potestate Episcopi remittere decimas sibi debitas; neque minùs SS. Pontifex solicitus esse debet ac esse præsumitur in tuendis juribus particularium Ecclesiarum, quàm est Episcopus in tuendis juribus suæ Ecclesiæ aut mensæ. Accedit, quòd hæc ratio, *cùm nihil exceperit & excepisse potuerit*, in utroque casu, ut patet, æqualiter procedit: sicut & altera, quòd non *debeat una eadémque substantia diverso jure censeri*, quando videlicet non est major ratio pro una quàm pro altera, & quando de utraque verba privilegij in propria significatione æqualiter procedunt. Atqui non 197

est major ratio, cur potiùs concedatur immunitas à decimis ex prædijs antiquis, quàm ex novalibus; imò si alterutræ excipiendæ essent, potiùs excipiendæ forent decimæ ex antiquis prædijs, quàm ex novalibus, quia longè minus præjudicium nascitur Ecclesijs, si non solvantur istæ, quàm si illæ. Pariter verum est alterum, quòd videlicet verba Rescripti immunitatem concedentis in propria significatione æquè procedant de novalibus, quàm de antiquis prædijs. Ex quo patet, non valere responsionem, quâ quis diceret, illa verba *cit. c. 22. sed futuri*, non esse intelligenda de novalibus inposterum faciendis, sed de prædijs antiquis post privilegium acquirendis: nam indefinita illa propositio æqualiter procedit de utrisque, & in significatione æquè propria de illis, quàm de his: imò potiùs de illis, utpote minus præjudicium decimatori ordinario inferentibus.

198 Probatur III. ex *c. 12. h. t.* ubi Alex. III. ait, Privilegium Cisterciensibus absolutè concessum, *ne de laboribus, quos proprijs manibus aut sumptibus excolunt, aliquis decimas ab ipsis exigat*, non procedere de solis novalibus: *nam*, ut ait, *si intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus.* Igitur si dat privilegium absolutè, non dat *tantummodo de novalibus*, nec tantummodo de prædijs jam antehac cultis, sed de utrisque. Et sicut, si illud intelligi vellet solùm de novalibus, in rescripto poneret *de novalibus*; ita si intelligi vellet de prædijs solùm antiquis, poneret *de prædijs antiquis.*

Idem argumentum formari po- 199
test ex *c. 10. h. t.* ubi idem Pontifex approbat privilegium, quo ipsius prædecessor *Hadrianus solis fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templarijs, & Hospitalarijs, decimas laborum suorum, quos proprijs manibus, vel sumptibus colunt, indulsit: cæteris verò* (Religiosis) *ut de novalibus suis* &c. ubi manifestè supponitur, privilegium Cistercienſibus absolutè datum de non solvendis decimis laborum, procedere tam de novalibus, quàm de alijs, etsi novalia in illo non fuerint expressa. Igitur si in privilegio expressa novalium mentio non fit, sed illud absolutè datur, etiam de novalibus intelligendum est.

Probatur IV. Privilegium non 200
solvendi decimas ex laboribus, seu prædijs, quæ quis colit proprijs manibus aut sumptibus, extendit se etiam ad novalia, ut fatentur adversarij, & patet ex *cit. c. 10. & 12. h. t.* quamvis hoc privilegium sit odiosum, utpote repugnans Juri communi, & juri privatæ Ecclesiæ, cui aliàs decimæ forent solvendæ. Item est amplè sumendum ac extendendum ad novalia, tametsi privilegium colligendi decimas ad

illa

illa se non extendat. Ergo etiam privilegium non solvendi decimas absolutè concessum extenditur ad novalia, non obstante, quòd odiosum sit, & repugnans juri communi, ac juri tertij, & sic ruunt argumenta contra nostram opinionem adducta, & pariter adversarijs in suo illo casu, quo extensionem ad novalia admittunt, solvenda sunt. Consequentia probatur: ideo in casu, quo conceditur immunitas à decimis de laboribus, quos proprijs quis manibus aut sumptibus colit, isthoc privilegium novalia comprehendit, quia etiam ista sunt propria privilegiati prædia, & sic comprehenduntur sub propria verborum significatione, quibus immunitas à proprijs laboribus conceditur. atqui nostræ quoque sententiæ patroni eam non aliter intelligunt, quàm de proprijs prædijs. Non enim dicimus, immunitatem à decimis absolutè concessam procedere de prædijs alienis & à privilegiato conductis. Neque asserimus, quòd si quis propria prædia elocet, conductor seu colonus immunis sit per immunitatem locanti concessam: nisi hoc privilegium sit reale, seu ipsis prædijs concessum. Unde plerique, qui sententiam nostram impugnant, re ipsa minus, quàm nos, non dicunt, sed solùm assertionem, quâ dicitur, immunitatem à decimis absolutè concessam extendi ad novalia, contra mentem asserentium malè intelligunt.

Hinc necesse non est ad argu- 201
menta in contrarium allata pluribus respondere. Et primum quidem *n.* 194. propositum solvimus suprà *n.* 188. 189. 195. & 196. Ad alterum ex paritate privilegij cum præscriptione desumptum, N. conseq. & paritas: præscriptio enim idcirco, ut infrà dicetur, ad novalia non extenditur, quia plus non præscribitur, quàm possidetur: atqui novalia, quæ fient, nondum possidentur. Privilegium verò procedit etiam de futuris, erúntque novalia æquè propria privilegiati, ac modò sunt prædia antiqua: dum ergo conceditur immunitas ex proprijs prædijs, sub his æquè propriè intelliguntur illa, quàm ista. Ad tertium de privilegio colligendi decimas commodiùs infrà respondebitur.

Ad quartum N. Ant. contrarium 202
constat ex *cit. c.* 22. *de Privil.* quod allegavi *n.* 197. Neque obstant leges allatæ: nam ibi sermo est de casu, quo testator dicit: *Lego meum argentum, meum aurum* &c. quæ verba dispositionem utique restringunt ad res, quas tempore dispositionis possidet testator; quod enim primùm posteà acquisiturus est, jam non potest dicere suum. E contrario, si absolutè dicat, se legare omne aurum, vel argentum, intelligi id debet de eo omni, quod tempore mortis in ejus bonis erit, uti patet ex *l. cùm aurum ff. de auro, & arg. leg. l. quidam ff. de trit. vin. oleoque leg.* & tradunt Menoch.

l. 4.

l.4.præsum.127.n.34.& l.2.consil. 106.n.174. Arias de Mesa *l. 3.var. c.13.* quem allegat Gonz. *in cit. c. 22.n.2.* Pariter non obstat *Clem.ult. de Rescript.* sic enim ibi loquitur Pontifex : *Litteras nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas ad Beneficium post datam ipsarum creatum, statuimus non extendi.* Cùm ergo beneficium recens creatum non dicatur vacare, sed erigi, intelligi illa concessio non poterat de Beneficio post Rescriptum erigendo : non enim vacat, quòd antè non extitit, ut benè explicant Barbos. in *cit. Clement.* Castillo *de Tertijs c.14.n.39.* Arias à Mesa *l.c. c.41.n.25.* Gonzal. *l.c.* At verò privilegium, de quo loquimur, æquè propriè procedit de prædijs novalibus, quàm de antiquis.

QUÆSTIO V.

Privilegium non solvendi decimas an extendatur ad prædia post ejus concessionem acquirenda?

SUMMARIUM.

203. Opinio negans cum suis fundamentis.
204.205.206. Affirmans præfertur & stabilitur.
207. Responsio ad oppósita.
208. Consectarium doctrinæ traditæ.

203 DIversa hæc quæstio est à priore, quam modò de novalibus decidimus. Hìc enim solùm agitur de prædijs antiquis, ex quibus Ecclesiæ modò solvuntur decimæ, privilegiato verò primùm post obtentam immunitatem acquiruntur. Resolvit hoc dubium Oldradus *consil.* 268. aitque, privilegio non solvendi decimas etiam absolutè concesso comprehendi solùm prædia acquisita & possessa tempore concessionis, non item acquirenda. Movetur I. communi principio hactenus non semel producto, quòd videl. hoc privilegium, utpote præjudicans Juri communi, & Ecclesiarum privato, odiosum sit ac strictè intelligendum. II. Quia res transit cum suo onere : ergo si post privilegium acquiro prædium oneri decimarum priùs subjectum, non nisi cum hoc onere acquiro. III. Quia in decimis non fit extensio ad futurum. *c.29.& c.25.§.2.h.t.* 205

Assert. Privilegium immunitatis de non solvendis decimis procedit de decimis antiquis etiam post illud obtentum acquirendis. Assertio est communissima DD. & omninò 204

ainò certam dicit Suar. *cit. c. 19. n.7.* Probatur I. Remissio decimarum facta ab Episcopo *secundùm Canonicas sanctiones*, ut dicitur *c.22. de Privil.* intelligenda est *non solùm de decimis possessionum illius temporis* (quo facta est remissio) *sed futuri* quoque. Ergo à fortiori, si fiat à SS. Pontifice, intelligitur de possessionibus etiam futuri temporis. Conseq. patet: quia rationes, quæ ibi allegantur, à fortiori de Pontifice procedunt. Prima est *cùm nihil exceperit, cùm excepisse potuerit.* Altera, *quia in beneficijs plenissima interpretatio adhibenda.* nim. juxta verborum proprietatem, cùm debeant integrum habere sensum, nec arctari limitatione, quam nec ipsa exprimunt, nec æquitas concessi beneficij requirit. Tertia quoque ratio, quæ ibi datur *quia non debet una eademque substantia diverso jure censeri*, pariter in nostro casu procedit, ut patet ex dictis *n. 197.*

205 Probatur II. Indefinita propositio æquivalet universali, si diversorum casuum & rerum eadem est ratio, ut post Panorm. Bartol. Felin. Jason. ac alios tradit Covarr. *l.1. var. c.13. in fine*, ac patet ex *l. veteribus ff. de Pact. l.2. C. de bonis vacant. c. cùm dilecti de Donat. c. Quamvis de Præb. in 6.* Idque maximè procedit, quando indefinita propositio negativè concepta est, ut probat Covarr. *l. c. n.7.* ergo si immunitas à solvendis decimis absolutè & sine limitatione conceditur, æquè de prædijs postea acquirendis, ac de modò possessis intelligenda est, cùm non sit major ratio de his quàm de illis: quia negativè concepta est, videl. *non solvatis decimas de vestris prædijs.*

Probatur III. ex *c. pen. h. t.* ubi 206
privilegium Cistercienſibus *c. 10. eod.* absolutè concessum de non solvenda ex proprijs prædijs decima, arctatur (ut illi Viri Religiosi in Conventu generali ipsimet ultrò jam antè arctaverant) & *ne occasione privilegiorum suorum Ecclesia ulteriùs prægraventur*, statuitur, *ut de alienis terris & amodò acquirendis, etiamsi eas proprijs manibus aut sumptibus excolunt, decimas persolvant.* Quibus verbis apertè supponitur, illud privilegium *cit. c. 10.* concessum processisse de decimis ex prædijs postea acquirendis: nam aliàs expressà illâ limitatione & restrictione opus non fuisset.

Ad regulam de non extendendo 207
privilegio odioso abundè responsum est *q. præced.* Neque obstat alterum principium ex *c. 42. 43. & 44. 16. q. 1.* rem transire cum suo onere: quia intelligi debet, quando solùm persona est privilegiata; non verò, quando privilegium ejus bonis concessum est; hoc enim posteriore modo ipsa res liberatur onere. Quòd verò privilegium, de quo loquimur, rebus sit concessum, patet ex rationibus pro nostra assertione

allatis. Multò minùs obstant *c.25.§. 2 & c.29.h.t.* nam illo priore non est sermo de privilegio nõ solvendi decimas, sed de privilegio percipiendi: est autem longè diversa ratio hujus, quàm illius. Pariter alia longè est ratio de præscriptione, quâ præscribitur jus decimandi, de qua sermo est *cit. c.29.* quàm de privilegio non solvendi: jus enim colligendi decimas ex prædijs acquirendis ideo præscribere nequeo, quia illud nondum possideo. Quæ ratio in nostro casu non procedit, cùm privilegium non præsupponat possessionem, sicut supponit præscriptio.

Ex dictis validè confirmatur opi- 208
nio, quam præc. quæstione amplexus sum de Novalibus: si enim privilegium de non solvendis decimis extenditur ad possessiones post privilegium acquirendas, tametsi oneri jam antè subjectas, à fortiori procedit de Novalibus: cùm enim in his nondum acquisitum sit jus decimatoribus, uti est acquisitum in illis, idcirco magis odiosum est in antiquis prædijs, quàm in novis.

CAPUT VI.

Privilegium non solvendi Decimas an extendatur ad prædia conducta & emphyteutica?

SUMMARIUM.

209. *Varij modi, quibus conceditur hoc privilegium.*
210. *Privilegium non solvendi ex proprijs prædijs non extenditur ad prædia conducta.*
211. *Rationes eorum, qui privilegium non solvendi ex prædijs possessis aut habitis ad conducta & emphyteutica extendunt.*
212. *Reprobatur extensio de conductis.*
213. 214. *Et de emphyteuticis.*
215. *Dissolutio contrariorum.*
216. *Quæstio, an extensio facienda sit ad conducta, si datum est privilegium de laboribus suis aut proprijs.*
217. *Non est facienda extensio.*
218. *Solutio rationis oppositæ.*

209 DE proprijs privilegiati prædijs hactenus egimus. Restat quæstio de alienis, seu illis, quæ quis conduxit, aut in emphyteusin accepit. Decisio ferè pendet ex verbis, quibus immunitas conceditur. Concedi enim potest sic: *Concedimus tibi immunitatem in tuis, vel proprijs prædijs.* Vel sic: *in prædijs, quæ habes, aut possides.* Vel: *de laboribus & nutrimentis tuis proprijs*, quale concessit Paschalis II. Clericis

Clericis communiter viventibus, ut refertur *c.*47. 16. *q.*1. Vel: *Indulgemus tibi decimas laborum tuorum, quos proprijs manibus vel sumptibus colis*, quale concessum est Cistercienſibus *c.* 10. *h.t.* Vel: *in prædijs, quæ colis.* Vel: *concedimus tibi immunitatem omnimodam à decimis.* Vel: *concedimus tibi immunitatem à decimis.* In ultimis tribus casibus non dubito privilegium procedere de prædijs etiam conductis. De penultimo certum est. De ultimo idem videtur dicendum; quia ibi est propositio indefinita: hæc autem facit sensum universalem, & in propria significatione de omnibus decimis æqualiter procedit. Idem de antepenultimo: quia etiam conducta prædia coluntur. De primo certum esse putat Palao *tr.*10. *disp.un.pun.*12. *n.* 7. non extendi ad prædia conducta vel emphyteutica, quia non sunt *sua*, vel *propria* conductoris, ac emphyteutæ. Verùm hoc aliqui adeò non censent esse certum, saltem de emphyteuticis, ut contrarium tanquâ probabilius asserant.

210 Assert. I. Privilegium immunitatis à solvendis decimis ex proprijs prædijs non extenditur ad prædia conducta. Ita Panorm. in *c. Dilecti 8. h.t.* Rebuff. *q.*14. *n.*52. Suar. *cit. c.*19. *n.*10. ac passim alij, refragrantibus tamen Em. Gonzalez ac alijs. Sequitur à fortiori ex *cit. c. 8. & c.*10. *h.t.* de quibus mox plura. Ratio patet: quia prædia conducta non sunt *propria* vel *sua* conducentis, sed locatoris.

Circa formam privilegij secun- 211
do loco positam, quando videl. conceditur de prædijs, quæ quis habet vel possidet, non levis est difficultas, an non intelligendum sit etiam de prædijs conducti & emphyteuticis. De utrisque intelligit Azor *cit. c.* 26. *q. 8.* De Emphyteuticis accipiendum esse contendunt Em. Gonzal. *in c.8.h.t.n.3.* aliique, quos tacito nomine allegat Azorius. Addit Gonzalez Covarruviam, & Guttierez: sed nihil apud hos inveni. Probant I. quia etiam illa habemus, quæ conducimus, nimirum quoad utilitatem, & jus fruendi, de quo privilegium procedit. Probant II. specialiter de bonis Emphyteuticis: quia prædia emphyteuticaria verè ac realiter propria censentur, saltem quoad dominium utile. *l.1.C.de Jure Emphyt. & l.1.ff.si ager vectig.* nam licèt Emphyteuta prædij emphyteutici dominus non sit, attamen quasi dominus dicitur: ac dominium fundi utile habet. *cit. l.1. l. possessores* 12. *C. de fund. patrim. l.fin.C.de Censib. l.1.8. & 11. C.de om.agr.desert.* ubi disertè dominus appellatur: ideóque jus utendi fruendi sibi vindicat *cit. l.1.§.1.ff.si ag.vect.§.3. Inst. de locat.* omniaq; emolumenta prædij lucratur *l.9. §.2. & 3. l.13. §. 5. ff. de usufr.* Quia eò deventum est, teste Ant. Fab. *l.4. C. tit.*42. *defin.8.n.1.* & Carpzov. *p.2.const.25.*

defin. 7. n. 8. ut hæc bona hodiernis moribus redacta sint ad instar patrimoniorum : ergo sive privilegium loquatur de bonis, quæ quis *habet*, sive *de proprijs*, procedit de emphyteuticis. Probant III. Emphyteusis multùm differt à Locatione, juxta *l. 1. ac 2. C. de Jure Emphyt. & §. adeò 3. Inst. de Locat.* Ergo licèt juxta *cit. c. 8. h. t.* hoc privilegium non porrigatur ad bona conducta, non propterea excluduntur Emphyteutica.

212 Assert. II. Privilegium non solvendi decimas de bonis, quæ quis habet, aut possidet, non procedit de conductis & emphyteuticis. De conductis conclusio est communissima DD. Ratio aperta est. I. Quia Conductor & Colonus, Inquilinus, Depositarius, Commodatarius, similesque, possessionem nec civilem nec naturalem habent, cùm non suo, sed alieno nomine in possessione sint. *§. Possidere Inst. de Interdict. l. fin. C. de acquir. poss. l. 1. C. si per vim*, & idcirco Conductor nunquam præscribit. *l. 2. & 7. §. ult. de Præscript. 30. ann. l. 13. ff. de usurp. & usucap.* Igitur non nisi impropriè dici potest rem *habere* aut *possidere*. Atqui privilegium, quale est, de quo agimus, odiosum est, & neutiquam ultra proprium verborum sensum extendendum. II. Quia Pontifex *cit. c. 8. h. t.* ait, intentionis suæ vel antecessorum suorum non fuisse, immunitatem in prædijs conductis concedere, etsi illa esset concessa in prædijs, quæ proprijs manibus vel sumptibus colerentur : ergo etsi privilegium concessum sit de fundis, quos privilegiatus habet aut possidet, non propterea censetur datum esse etiam de conductitijs.

De bonis Emphyteuticis major 213
est difficultas, estque haud dubiè probabilis eorum sententia, qui dictum privilegium ad ea extendunt, tum ob allatas *n.* 211. rationes, tum quia Emphyteuta naturaliter possidet, etsi possessio civilis sit penes dominum directum, ut post Bartol. Alex. Jason. ac communem aliorum tradunt Menoch. *de retin. possess. remed. 3. à n. 82. & de recup. possess. remed. 1. n. 68.* Valas. *de Jure Emph. q. 18. n. 1. &* 214
6. Fulgos. *consil. 1. n. 3.* Harpprecht. *ad §. 3. Inst. de Locat. n. 254.* Molina *de Just. tr. 2. disp. 12. n. 16.* Probabilor tamen videtur sententia negans, quam tenent Suar. *cit. c. 19. n. 11. & 12.* & Palao *cit. pun. 12. n. 9.* Probatur I. Quia bona Emphyteutica non sunt propria Emphyteutæ : qui enim Emphyteusin concedit, dominium directum penes se retinet ; cùm datio in feudum vel emphyteusin non sit modus transferendi dominij directi, sed potiùs retinendi. *l. 1. C. de Jure emph. cit. l. 1. ff. si ag. vectig.* unde Dominus directus adversùs emphyteutam ob canonem non solutum rei vindicatione ad privationem agere potest, & emphy-

phyteusin recuperare. Anton. Faber. *l.* 4. *C. tit.* 42. *defin.* 7. *n.* 1. Carpzov. *p.* 2. *const.* 38. *defin.* 16. *n.* 2. Igitur Emphyteuta absolutè non potest dici bonum emphyteuticum tanquam proprium vel habere vel possidere, nec in rigore ac proprijssimè est dominus. Atqui verba hujus, de quo loquimur, privilegij strictè interpretanda sunt, & tantùm intelligenda de domino ac possessore proprijssimè dicto, ut patet ex *c.* 8. *h. t.* ubi dicitur, Religiosos habentes immunitatem à solvendis decimis teneri eas solvere de agris, quos conduxerunt & receperunt ad firmam seu ad pensionem; sic autem recipiuntur bona etiam emphyteutica.

214 Probatur II. Si privilegium comprehendit bona emphyteutica, tunc etiam illa, quæ ad longum tempus sunt conducta: atqui hæc non comprehendit. Min. probatur: quia *cit. c.* 8. *h. t.* absolutè negatur, quòd immunitas se extendat ad prædia conducta, neque fit discrimen inter ea, quæ ad breve, & quæ ad longum tempus conducta sunt: quod tamen discrimen fieri debuisset, si Pontifex eam restringere voluisset tantùm ad prædia generis prioris, non item posterioris; cùm hæc postrema æquè propriè dicantur conducta, quàm priora. Probatur etiã major. Conductor longi temporis habet dominium utile & actionem in rem, ut tradit communis DD. cum Bartol. quem referunt ac sequuntur Valasc. *De Jure Emphyt. q.* 29. *n.* 1. Covarr. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 1. Clarus *l.* 5. *sent.* §. *ult. q.* 38. *stat.* 5. *n.* 4. Ant. Gomez *in l.* 40. *Taur. n.* 64. Molina *l.* 1. *de Primogen. c.* 21. *n.* 5. Molina Th. *tr.* 2. *de Just. disp.* 445. *n.* 4. & apertè sumitur ex *l.* 1. §. 3. *ff. de superficieb.* Et idcirco locatio ad longum tempus dicitur alienatio *c.* 5. *& Clem.* 1. *de reb. Eccl. alien.* Ergo si bona emphyteutica comprehenduntur privilegio non solvendi decimas, pariter comprehenduntur bona ad longum tempus conducta: ideò enim illa juxta adversarios comprehenduntur, quia in ipsis emphyteuta habet dictum dominiũ. Cùm igitur non obstante hoc dominio conducta non comprehendantur, neque comprehenduntur emphyteutica.

Hinc non obstant, quæ *n.* 211. 215 pro contraria opinione afferuntur. Negatur enim ex dictis, quòd emphyteuta & conductor propriè dici possit habere rem, quam conduxit, esséque ejus dominus. Leges, quibus dicitur esse dominus, loquuntur impropriè, ut benè observant Harpprecht. *prin. Inst. de R. D. n.* 44. ac alij, nim. ratione ususfructûs, quem in re habet. Hoc autem non est habere rem, aut esse dominum ipsius. Et licèt in multis differat Emphyteusis à Locatione, saltem eâ, quæ fit ad

brevè tempus, revèrâ tamen emphyteuticus fundus dicitur conductus ad firmam, seu ad pensionem; quæ autem sic conducta sunt, vi dicti privilegij à decimis non eximuntur, ut dixi *n.* 213. *in fine.*

216 Explicandum restat, quid operetur forma Privilegij tertio, & quarto loco, adducta *n.* 209. Videtur dicendum, extendi illud ad prædia etiam conducta, si cui Pontifex immunitatem concedat à decimis *laborum suorum* aut *propriorum*: nam si suis manibus aut sumptibus colit agros conductitios, fructus inde percepti sunt de laboribus *suis*, ac *proprijs*, & sic de illis verba rescripti eximentis proprijssimè procedunt.

217 Assert. III. Privilegium immunitatis dictis duobus modis concessum non comprehendit prædia conducta. Ita deciditur *cit. c.* 8. *h. t.* juncto *c.* 10. *eod.* & utroque loco notant Panorm. omnésque Interpretes. Nec oportet, ut notat Suar. *cit. c.* 19. *n.* 8. alias hîc rationes quærere præter voluntatem Pontificis, qui immunitatem illis verbis concessam noluit extendere ad prædia conducta; tum ne Parochiales Ecclesiæ graviter læderentur; tum ne Religiosi, aliique privilegiati in conducendis agris excederent.

Ad rationem in contrarium R. 1. his verbis *de laboribus suis*, *de laboribus proprijs*, non intelligi laborem, seu industriam ac operam, sed ipsos agros, ut patet ex *c. 11. h. t. cit. c.* 10. ibi: *decimas laborum suorum, quos proprijs manibus vel sumptibus colunt, indulsit*: non enim coluntur labores, sed agri laboribus. Dici quidem posset, hanc declarationem solùm cadere in privilegia Jure communi contenta, & ante Alexandrum III. concessa, quia sic iste Pontifex declaravit: non tamen hinc sequi, quòd hoc modo intelligenda quoque sint privilegia à successoribus concessa vel in posterum concedenda: cùm ille non potuerit declarare mentem successorum, utpote de qua ipsi non constabat. Verùm respondetur, successores, si similibus verbis concedunt privilegium, similiter quoque intelligere, cùm non sint ignari, Jure communi hunc sensum illis subesse: unde si aliud non exprimunt, censentur loqui eodem sensu, quo antecessores.

QUÆSTIO VII.

Privilegium non solvendi decimas an prosit colonis, conducentibus agros privilegiatorum?

SUM-

SUMMARIUM.

219. *Status quæstionis.*
220. *Privilegium personale non prodest colono.*
221. *Prodest reale.*
222. *Modus discernendi, sitne reale an personale.*

219 SEnsus quæstionis est, an, si v. g. Religiosi immunes à pendendis decimis, locent suos agros, conductores quoque eâ locantium immunitate gaudeant. Videtur hoc dubium apertè decisum *c. 11. h. t.* ubi dicitur: *Licèt de benignitate Sedis Apost. sit vobis indultũ, ut de laboribus, quos proprijs manibus vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas alijs traditis excolendas.*

220 Assert. I. Privilegium immunitatis à solvendis decimis, si sit personale, non prodest colono, cui privilegiatus fundum locavit. Veritas asserti manifesta est ex *cit. c. 11. h. t.* vi cujus cùm ex locatis agris debeantur decimæ non obstante privilegio locantis, consequens est, illas saltem tunc deberi, quando privilegium solùm est personale. Estque manifestum ex *c. 9. de Privil. c. 7. de R. J. in 6. §. sed & quòd Inst. de J. N. l. 9. §. ult. de Publican.* quòd privilegium personæ concessum ossibus personæ inhæreat, & ad alios se non extendat. Tale privilegium est, quod Jure communi Religiosis concessum est *Can. 47. 16. q. 1. c. 10. 11. & 12. h. t.* quia datum est solùm laboribus, seu prædijs, quæ *proprijs manibus* vel *sumptibus* colunt: at ea, quæ colunt per colonos, non colunt proprijs manibus vel sumptibus. Unde patet, verum esse, quod tradunt Suar. *cit. c. 19. n. 13.* Palao *cit. pun. 12. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 67.* etiam Religiosos, si aliud privilegium, quàm quod Jure communi continetur, non habeant, teneri de fructibus, quos à colonis percipiunt, solvere decimas. Constat ex *cit. c. 11.* ubi non solis colonis obligatio imponitur, sed etiam Religiosis locantibus, cùm absolutè dicatur: *non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas alijs traditis excolendas.* Et ita videntur explicare textum *cit. c. 11.* Abbas antiq. Innocent. Zabarell. Joann. de Anan. Joann. Andr. Ancharan. Ant. Butr. Hostiens. Panorm. ac passim alij, dum universim dicunt, eos, qui habent privilegium non solvendi decimas ex agris, quos *proprijs manibus aut sumptibus* colunt, ad easdem obligari de terris, quas tradunt alijs excolendas. Hinc Barbos. Gonzal. Wagnerek, ac alij in *cit. c. 11.* non benè faciunt mentionem solius coloni, velut

lut iſte duntaxat, & non etiam Religioſi locantes, ad decimas ex agris locatis obligentur.

221 Aſſert. II. Si privilegium non ſolvendi decimas eſt reale, immunis eſt non tantùm locator, ſed etiam conductor ſeu colonus. Sic Gloſſa *in Clem.* 1. *h. t. V. Excolendas*, Anchar. Imol. Cardin. *ibid. q.* 23. Panorm. *in c.* 10. *h. t. n.* 5. Azor *tom.* 1. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 7. Suar. & Palao *l. c.* Olea *de ceſſ. Jur. tit.* 6. *q.* 3. *n.* 2. Gonz. *in c.* 4. *h. t. n.* 9. Unde cùm Religioſi Mendicantes ac alij, hujusmodi privilegium reale habeant, quo non ſolùm ipſi, verùm etiam prædia eorum, à decimis ſolvendis eximuntur, liberi quoque ab illarum præſtatione ſunt coloni, ut ex pluribus Rotæ deciſionibus probat Puteus *decis.* 522. apud Gonzal. *l. c.* non quòd ipſi etiam coloni hoc favore unà cum locatoribus gaudeant, ſed quòd Religioſi poſſint ſibi vendicare decimas ex ſuis prædijs, nim. vel exigendo penſionem majorem, quàm aliàs petere poſſent, ſi colonus ſolvere deberet decimas, vel ſeparatim petendo ordinariam penſionem, ac inſuper aliquid pro decimis. Senſus igitur aſſertionis ſolùm eſt, quòd colonus prædij privilegiati non teneatur ſolvere decimas ordinario decimatori; nõ verò, quòd non teneatur aliquam propterea compenſationẽ facere locatori privilegiato; nam in hujus, & non in coloni cõmodũ conceditur privilegium. Ratio horum patet ex univerſali doctrina, quam de privilegio Reali, & Perſonali tradunt DD. *ad c. Privilegium de R. J. in* 6. *l. un. §. ne autem C. de caduc. toll. l.* 55. *& fin. ff. de V. O. §. finitur* 3. *Inſt. de uſufr. & l. Imperatores ff. de Publican.*

Tota porrò difficultas, & dubium eſt, quodnam in præſenti materia Privilegium ſit Reale, quod Perſonale. Reſpondet Panorm. privilegia Jure commùni contenta ſolùm perſonis concedi, & ideo ad colonos non extendi. Quod utique verum eſt, & ita quidem, ut per illud neque perſonæ privilegiatæ eximantur, ut dixi *n.* 220. Verùm reſtat quæſtio de privilegijs Jure communi non contentis, qualia multi habent Religioſi. Gloſſa cit. ait, inſpicienda eſſe privilegij verba. At de ipſis verbis ſæpe dubitatur, quem ſenſum habeant. Hæc verò quatuor ferè modis concipi poſſunt. Primus eſt, Jure cõmuni uſitatus *de proprijs*, vel *de agris, quos proprijs manibus aut ſumptibus colis.* Sic conceſſum, eſſe perſonale, patet ex dictis *n.* 220. Alter: *Eximimus hos Religioſos & eorum prædia ab onere ſolvendi decimas.* Tertius: *Eximimus, ſive per ſe, ſive per colonos prædia colãt.* Duobus his modis ſi concedatur privilegium, non eſt dubium, eſſe reale. Quartus eſt, ſi abſolutè dicatur: *Non teneantur ſolvere decimas ex ſuis prædijs.* Hac quo- 222

que

que ratione conceſſum, reale eſſe cenſeo cum Suar. *l. c. n.* 17. & Palao *n.* 10. quia ſi tunc coloni tenerentur ſolvere, ipſi Religioſi exempti de ſuis prædijs ſolverent, cùm tamen vi illorum verborum quoad ſua prædia ſint exempti: coloni namque non ſunt immunes, ut dixi *n.* 221. ſed decimas, quas aliàs Eccleſiæ ſolverent, exemptis locatoribus vel ſolvunt in natura, ut dicimus, vel aucta propterea penſione, quia ordinario decimatori ad nihil tenentur; vel aliâ hanc ob cauſam compenſatione ijsdem factâ. Si ergo coloni eas ſolverent ordinario decimatori, jam decederent exemptis, & ſic iſti de ſuis prædijs ſolverent. Accedit, quòd Pontifex, ſi vult, ut v.g. Religioſi non ſint exempti quoad prædia locata, addit: *de prædijs, quæ proprijs manibus aut ſumptibus colunt*, ut patet ex *cit. can.* 47. & *c.* 10. 11. *ac* 12. *h. t.* ergo ſi illa non addit, concedit etiam de locatis. Quintus denique modus eſt *Non ſolvant decimas de fructibus prædiorum ſuorum.* De hoc dicendum eſt, quod de priore: fructus enim etiam illi, quos colonus percipit, ſunt ex prædijs privilegiatorum: ergo ſi decimas ſolverent coloni, jam non conſiſteret immunitas, quæ illis conceſſa eſt de fructibus ſuorum prædiorum; nam non colonus, ut diximus, ſed ipſi exempti ſolverent.

QUÆSTIO VIII.

Quinam habeant Privilegium non ſolvendi decimas?

SUMMARIUM.

223. *Privilegium aliud Juri communi inſertum, aliud non inſertum.*
224. *Conceſſum olim pleriſque Regularibus, variè poſtmodum reſtrictum fuit.*
225. *Nulli Regulares tenentur ad decimas ex novalibus proprio ſumptu cultis.*
226. *Non tenentur ex fœtibus ſuorum animalium.*
227. *Nec ex hortis; niſi hos vel illa elocent.*
228. *Nec ex fundis pro fundatione datis: niſi antè fuerint decimis ſubjecti.*
229. *Quidam Ordines Regulares ab omnibus decimis ſunt immunes.*
230. *Præcipuè Ordo S. Salvatoris.*
231. *Et Societatis Jeſu.*
232. *Pro hujus exemptione aliquoties in judicio contradictorio pronuntiatum fuit.*
233. *Contra eam nunquam.*
234. *Dicti Ordines ſolùm ad illas*

decimas tenentur, quæ speciali titulo privilegij vel præscriptionis alicui debentur.

235. *Regulares à decimis prædialibus exempti multò minùs obligantur ad personales. Usus hujus doctrinæ.*

236. *Exemptio uni Ordini concessa non est communis reliquis. Quod tamen limitatur.*

237. *Quousque se extendat, declaratur.*

238. *Leprosi in commune viventes non tenentur ad decimas ex suis hortis.*

239. *De alijs communitatibus & personis nihil Jure communi expressum est.*

223 POstquam explicatum est, quis immunitatem à præstandis decimis dare possit, & quousque ea porrigatur, dicendum restat, quibus data sit. Privilegia non solvendi decimas alia sunt antiquitus concessa & Juri communi inserta; alia posterioribus seculis certis Ordinibus Religiosis per speciales Bullas aut vivæ vocis oraculo data sunt, sicque Juri communi non inserta. Quia verò posteriora prioribus ferè ampliora sunt, idcirco ad confusionem vitandam de utrisque singillatim agendum est.

224 Assert. I. Jure communi olim ferè omnes Religiosi erant exempti à solvendis decimis tam personalibus, quàm realibus ex suis prædijs, ut patet ex *Can. 47. 16. q. 1. & c. 10. h. t.* Quod tamen privilegium postea variè fuit restrictum, ut constat ex *cit. c. 10. c. 8. & c. 34. h. t.* Postea verò Martinus V. Cisterciensibus generaliter indulsit, ut à decimis essent immunes, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium Lateranense, quàm de cætero habendis, etiam de Novalibus, quandocunque & qualitercunque ea colent; etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus decimas percepit. Chopin. de *sacr. Polit. l. 3. n. 8.* Zypæus *consult. 8. n. 4. & 5.* Quod postea Sixtus IV. confirmavit. Et licèt Zypæus *n. 6.* dubitet, an hoc privilegium in viridi passim observantia sit, quatenus excedit privilegia Corpori Juris inserta, illud tamen defendit Wamesius *h. t. consil. 450.*

Assert. II. Religiosis reliquis 225
vi Juris communis *cit. c. 10. h. t.* & *Clem. 1. eod.* concessum duntaxat est, *ut de novalibus suis, quæ proprijs manibus aut sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant.* I. Igitur, etsi solvere teneantur ex antiquis prædijs, sive suis illa manibus vel sumptibus colant, sive elocent, non tamen solvunt de novalibus, quamdiu ista colunt suis sumptibus, seu per operas & famulos; non item, si per conductores, & colonos.

II. Non solvunt de nutrimentis 226
animalium suorum, sive de fœtibus

ani-

animalium, quæ nutriunt ipsi, ut exponit Gloss. *in Clem. 1. h. t. V. animalibus.* Unde inferunt Ancharan. *in cit. c.* 10. & Rebuff. *q.* 14. *n.* 57. teneri solvere, si alijs dent nutrienda. Verùm, ut notant idem Rebuffus, & Moneta *c.* 5. *n.* 15. etiamsi per alios custodiant, dicuntur nihilominus ipsimet nutrire; modò, ut ajunt, vespere ad Monasterium reducant. Quod existimo procedere etiam tunc, quando per famulos Monasterij custodiuntur & in villis ejusdem ac caulis à Monasterio remotis nutriuntur: partim quia hac ratione sunt *nutrimenta animalium suorum;* partim quia ad hoc, ut dicantur ipsimet Religiosi nutrire, parùm interest, utrùm caula Monasterij intra an extra illud sit. Igitur tunc solùm ad solvendas de suis animalibus decimas obligantur, quando pecora locant, v.g. quando oves aut vaccæ eo pacto locantur, ut conductor quot annis certam de singulis quantitatem lanæ aut butyri & casei solvat, earúmque periculum, & casum præstet. Quæ conventio ab Italis Soccidæ dicitur, à Germanis, apud quos frequentissima est, ferreæ oves & vaccæ vocantur (Eisserne Schaafe / und Kühe) quòd locatori nunquam pereant.

227 III. Non solvunt decimas ex Hortis. Et quia *cit. c.* 10. absolutè eximuntur à decimis suorum hortorum, idcircò, ut notat Gonzal. *ibi n.* 3. non tantùm de oleribus & fructibus arborum nihil debent; sed neque ex frumento, hordeo &c. quæ inde colligunt: cùm nec genus fructuum, nec quantitas, sed qualitas fundi attendatur. Addunt tamen Panorm. *in cit. c.* 10. & *in c. 2. de Eccles. ædif.* Rebuff. *l. c. n.* 58. Moneta *l. c.* 16. & 17. illos etiam ex hortis obligari, si eos, vel elocent, vel ipsi quidem colant, olera tamen vendant: cùm textus intelligendus sit de hortis, quos ad usum proprium habent. De casu, quo locatur hortus, non est dubium, ut colligitur ex *cit. c.* 10. & à paritate cum novalibus, & pecoribus, ex quibus debent decimas, nisi proprijs manibus aut sumptibus colant, ac ipsi nutriant. De altero casu venditorum fructuum multùm ambigo: quia *cit. cap.* absolutè conceditur in hortis immunitas, si eos suis manibus aut sumptibus colant, neque fit discrimen inter fructus ab ipsis Religiosis consumendos & vendendos; uti nec fieri oportuit, cùm per accidens sit, si propter domesticas necessitates aut abundantiam fructuum partem eorum vendant. Neque valet ratio, quam addit Rebuffus *l. c.* nim. non debere Religiosos negotiari & secularia exercere. Negotiatio enim neutiquam est, si vendant superfluos suorum fundorum fructus, ut communissima DD. tradit ad *c. 2. Ne Cler. vel Mon.* & decidit S. Congregatio Trident. referente Card. de Luca *Miscell. Eccles. discur.* 6. à

n. 4. & discur. 52. de Regalib. n. 8. nisi prædia conducant eo fine, ut ex fructibus inde collectis quæstum faciant, ut habetur *c. 6. Ne Cler. vel Mon.*

228 IV. Non solvunt decimas ex agris & vineis, quæ in stipendium habent, ut Moneta *l. c. n. 17.* aliique ajunt, seu, ut interpretamur, quæ habent pro fundatione & in necessariam sustentationem. Ita Glossa ac alij intelligunt textum *can. 46. 16. q. 1.* & patet à sensu contrario ex *c. 2. h. t. in 6.* Quod tamen ex *cit. c.* limitandum est; nisi fundi antea fuerint subjecti oneri decimarum, & per fundationem ac translationem in Monasterium non liberati.

229 Assert. III. Specialibus privilegijs realibus, Juri communi non insertis, bona omnia quorundam Regularium SS. Pontifices exemerunt à decimis prædialibus, & ne teneantur solvere decimam personalem, nec quartam, vel medietatem, vel aliam fructuum partem, aut canonicam portionem Episcopo, Parocho, aut alijs; quamvis isti haberent possessionem cum titulo & immemoriali consuetudine. Patet assertio ex privilegijs Bullatis diversorum Ordinum Religiosorum, quos enarrant Henriquez *The l. Mor. l. 7. c. 27. §. 3. & 4.* Aug. Barbosa *de Offic. Par. c. 28. §. 3. à n. 20. & in c. 10. h. t. n. 5.* Franc. Leo *Thes. For. Eccl. p. 2. c. 12. à n. 63.* Gonzal. *in c. 4. h. t. n. 8.* Miranda *in Manuali tom. 2. q. 49. art. 12.* Pellizar. *in Man. Regul. tom. 2. tr. 8. c. 7. à n. 168.* Ant. Faber *l. 1. Cod. tit. 3. defin. 1.* qui ait, Religiosorum Mendicantium singulare jus esse, ut fructuum in ijs fundis perceptorum, quos proprijs seu manibus seu sumptibus colunt, decimas nullas debeant. Addit, plerisque concessa esse privilegia, ut nullas omnino decimas præstare teneantur. Quo casu, inquit, nec dubitandum est, quin ea immunitate frui debeant.

230 Insigne maximè est privilegium, quod Canonicis Regularibus S. Salvatoris concessit Julius II. in Bulla *Inter cæteros*, edita 2. April. ann. 1512. ubi *§. 40.* dicitur: *Nullusque ab eisdem de quibuscunque possessionibus ubilibet constitutis, quæ in præsenti sunt, vel in futurum erunt, Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum, dictæ Congregationis S. Salvatoris, ac Monialium, sive sororum, & oblatarum personarum hujusmodi utriusque sexûs, quæ illius Prælati, Canonici, Moniales, sive Sorores, & dictæ personæ oblatæ, colunt, seu coli faciunt, & in futurum colent, ac coli facient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium, primitias, decimas, quarteſia, aut quocunque modo nuncupata alia Jura, exigere vel extorquere præsumat, nec ipsi ulla cuipiam solvere sint adstricti.*

231 Insigne pariter est illud, quod concessit Gregor. XIII. Religiosis Soc.

Soc. Jesu 1. Januar. Ann. 1578. in Bulla *Pastoralis Officij*, ubi non solùm confirmat exemptionem eidem Societati concessam à Paulo III. & Pio IV. quoad quascunque decimas, etiam Papales, prædiales, personales, quartas, medietates, & alias fructuum partes, ac subsidia etiam charitativa, vel alia ordinaria onera, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriæ, & aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum instantiam imposita; idque quamvis in ipsa impositione caveatur, quòd nulla prorsus exemptio cuipiam adversùs illam suffragetur, excepto tantùm casu, quo in Litteris Apostolicis plena, expressa, ac de verbo ad verbum fieret mentio de hoc indulto ac concessione hujusmodi, & de eorum Ordine. Sed etiam specialiter ac expressè derogavit capitulo *34. h. t.* quo statuitur, ut quicunque Religiosi non obstantibus privilegijs antea concessis, de terris alienis, & ijs insuper, quas post dictam Innocentij Constitutionem acquirent, sive per emptionem, sive per donationem, vel alio titulo, decimas solvant Ecclesijs, quibus aliàs debebantur. Estque hoc privilegium reale, & ad Colonos, qui Societatis agros conducunt, extenditur, ut patet ex Bulla.

232 Juxta hoc privilegium non semel pro eadem Societate judicatum est Romæ & in Hispania, uti testantur, & decisiones referunt Henriq. *l. c. §. 7. litt. H.* Pellizarius *l. c. n.* 170. Franc. Leo *l. c. n. 69. & seqq.* quibus declaratum est, illo comprehendi omnes decimas etiam prædiales, etiam de bonis in posterum acquirendis, etiam colonorum; non obstante jure quæsito ordinarij decimatoris, ejusdémque præjudicio; nec obstante Brevi Pij V. quo revocavit privilegia Pauli III. & Pij IV. super exemptione à decimis; neque obstante non usu quorundam Collegiorum, uti ostendit idem Leo *à n. 65.*

Affirmat quidem Pignatelli *tom.* 233
1. *consult. 223. n. 15. & 28. ac consult. 355.* à S. Congregatione in causa Cracovienſis Collegij, semel ac iterum post maturam discussionem, & auditis utrimque partibus, judicatum esse, quòd PP. Societatis Jesu, aliique Regulares, teneantur solvere decimas ex prædijs, ex quibus à laicis illæ fuerant solutæ, antequam ad Regulares pervenirent. Verùm contrarias decisiones, ut dixi, referunt Henriq. Franc. Leo, & Pellizar. *ll. cc.* & quidem postremus in eadem causa Cracovienſi, mirúmque profectò est, S. Congregationem contra clarum textum Bullæ Gregorianæ, & plures Rotæ conformes decisiones judicâsse. Unde credibile est, decretum illud S. Congregationis factum esse in casu, quo enormis læsio ex Regularium immunitate Ecclesijs nasceretur.

234 Quin ipse Pignatelli suum assertum universale multùm limitat *tom. 5. consult. 8.* cùm enim *à n.* 1. pro Regularium privilegio multorum Pontificum Bullas, complures Rotæ decisiones & conformes sententias, usum ac consuetudinem, gravésque rationes produxisset, tandem *n.* 10. concludit, hoc privilegium eximere quidem ab illis decimis, quæ Parochijs ac Ecclesijs de Jure communi debentur, non item ab illis, quæ præter Juris communis dispositionem aliquo jure speciali solvuntur. Idque ante ipsum asseruit Cherubin. *in Compend. Bullarij in Gregorio XIII. c. 51.* agens de dicto privilegio Societatis, addénsque, ita censuisse Rotam Romanam a. 1598. At verò Regulares ultrò fatentur, si cui speciali titulo, v.g. præscriptionis, vel privilegij Apostolici, decimæ debentur, illi non nocere immunitatem alteri concessam, cùm peculiaria Jura censeatur ignorare Pontifex *c. 1. de Constit. in 6.* & sic ijsdem non velle derogare, nisi exprimat, ut cum Panorm. *in c. Dudum de Privileg.* ac communi aliorum tradunt Covarr. *lib. 1. var. c. 17. n.* 14. Suar. *de LL. lib. 8. c.* 14. *n. 8. c. 22. in fin. c. 28. n. 8. &* 10. Saà *V. Gratian. n.* 14. Palao *tr. 3. disp. 4. pun.* 10. *n.* 11. Hinc malè cohærent, quæ idem Pignatelli addit *n.* 11. hoc privilegium non procedere adversùs Parochos, qui ante illud erant in continua possessione: ex eo enim, quòd procedit de decimis Jure communi debitis, ut procedere ipse concedit, necessariò sequitur, quòd procedat de illis, in quarum continua possessione fuerunt Ecclesiæ; nam vel maximè in earum jugi possessione sunt Ecclesiæ. Illud verò, quod *n.* 12. addit, neque amicè, neque cum veritate dictum est, ex eo, quòd in privilegio Pontifex se inclinatum supplicantium Regularium precibus dicit, apparere, quòd potiùs impetratum sit importunitate petentium, quàm motu proprio Principis: nam constat, motus, ut vocant, proprios à summa Sede sæpe pròdire, quamvis supplicârint ij, quibus favor conceditur; quin propterea illis vis, quam motus proprij habent, jure negari, ac dici possit, importunè extortos esse. Rationes, quas contra Regulares profert, infirmæ prorsus sunt, si componantur cum ijs, quas pro ijsdem antè produxerat, ut consideranti patebit.

Ex dictis apparet, Religiosos spe- 235
ciali privilegio munitos de non solvendis decimis realibus, à fortiori non obligari ad personales. Cujus exemptionis utilitas (ut benè observat Laymannus *l. 4. Th. Mor. tr. 4. c. 3. n. 4. §. Ex quibus*) non tam in eo consistit, quòd non teneantur ad decimas personales ex lucris propriæ industriæ (nam ad has etiam laici ex desuetudine plurimis in locis non tenentur) sed maxi-

maximè in eo, quòd immunes sunt à decimis ex illis terris, quæ antequam ad ipsos pervenirent, nullos aut exiguos fructus ferebant, ideóque nullis vel modicis decimis Ecclesiæ Parochiali pendendis obnoxiæ erant, ut tradunt Glossa recepta *in c. 4. h. t.* & *in c. 21. de V. S.* Abulens. *in c. 23. Matth. q.* 194. ac patet ex dictis *n.* 183.

236 Dubium hìc incidit, an dictum privilegium uni Ordini Religioso concessum, ijs omnibus sit commune, qui cum illo de privilegijs participant? Negat Barbosa *cit. §. 3. n.* 31. idque non unâ Rotæ sententiâ decisum esse ait. Verùm, ut observat Engel *h. t. §. 3. n. 4.* quoad hujusmodi decisiones notandæ sunt aliquot limitationes, quas ex alijs Rotæ decisionibus affert Pasqualig. *in annot. ad Lauret. de Franchis tr. de controv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 72. àn.* 10. nim. in generali communicatione Privilegiorum venire etiam exemptionem à decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia, saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet, mentem Pontificis se extendere etiam ad reliqua non expressa. Neque opus tunc est, ut in communicatione specialiter derogetur Capitulo *Nuper de decim.* sine qua derogatione non subsistit exemptio à decimis: sufficit enim, si derogatio facta sit in privilegio communicato; tunc enim implicitè continetur in ipsa communicatione, ut cum Glossa *in c. Ut circa de Elect. in 6.* Casarub. ac Mandos. tradit idem Pasqualig. *n.* 12. præsertim si in rescripto communicante habetur clausula *Quorum tenorum* &c. hæc enim operatur, ut privilegia communicata censeantur communicationi de verbo ad verbum inserta. Hinc quia privilegium Societati JEsu concessum, de quo paulò antè, non habet restrictionem Incommunicabilitatis, non apparet, cur illo uti non possint cæteri Religiosi Mendicantes, aliíque, qui de privilegijs dictæ Societatis participant; modò in communicationis rescripto ea contineantur, quæ modò diximus requiri ad universalem omnium privilegiorum communionem. Quod maximè locum habere videtur, si ratio, propter quam uni Ordini concessum est privilegium, pugnet etiam pro alijs. Ratio autem concedendi sunt labores, quos Religiosi sustinent in Sacramentis administrandis, prædicando &c.

Quâ porrò ratione dicta Regula- 237
rium privilegia interpretanda sint, & quousque se extendant, abundè explicavimus hoc capite. Nimirum strictæ quidem interpretationis sunt, ut diximus *q.* 2. ad decimas tamen ex antiquis prædijs solutas se extendunt juxta dicta *q.* 3. Nec non ad decimas Novalium, ut assertum est *q.* 4. Ad prædia quoque post obtentum privilegium acquisita

sita, nisi specialiter limitentur ad priùs possessa, ut resolvimus *q. 5.* Non tamen ad bona conducta & emphyteutica: nisi horum specialis mentio in rescripto immunitatis fiat, ut decidimus *q. 6.* Denique juxta tradita *q. 7.* non extenduntur ad prædia locata: nisi sint privilegia realia.

238 Assert. IV. Leprosi in commune viventes non tenentur de suis hortis, qui sunt in circuitu domûs, & de animalibus, quæ nutriunt, decimas solvere. Ita refertur *c. Cùm dicat 2. de Eccles. ædif.* ubi cùm præmissum fuisset, posse ipsos propriam sibi Ecclesiam & Cœmeterium construere & proprium habere Presbyterum, sine præjudicio tamen veterum Ecclesiarum &c. additur: *Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.* Rationem dat Glossa: quia proprio Sacerdoti eas præstare tenentur. Unde ad immunitatem à decimis Ecclesiæ Parochiali solvendis requirere videtur, ut habeant propriam Ecclesiam, cœmeterium, & Sacerdotem. Idem requirunt Laym. *cit. c. 3. n. 4. §. Porrò.* & Wagnereck *in c. 10. h. t. not. 2.* Verùm hujus conditionis nec Panorm. aliique Interpretes antiqui, nec Vivian. Algona, Barbosa, ac alij RR. mentionem faciunt, neque ex *cit. cap.* erui potest; sed videtur ipsis exemptio absolutè esse concessa intuitu pietatis, ac misericordiæ, & quia cum alijs fidelibus propter contagium se immiscere nequeunt, ut ait Gonzalez *in cit. cap.* Quæ ratio procedit, etiam quando non habent proprium Sacerdotem & Ecclesiam. Addit tamen Barbosa *c. 28. de offic. Paroch. §. 3. n. 48. & in cit. c. 2. n. 2.* censuisse Rotam Roman. Leprosos, ut hac immunitate gaudeant, debere ita communiter vivere, ut si esset aliquod Hospitale, in quo curarentur leprosi, simúlque alij infirmi, immunes à decimis non essent, quamvis in ejusmodi Hospitali separati forent ab alijs infirmis.

An aliæ communitates præter 239
recensitas habeant immunitatem à decimis, & an privatæ quædam personæ, non est nostrum hîc examinare, tum quia Jure communi nihil de hoc expressum est, tum quia nec necesse nec possibile ferè 240
est, statuere, quænam in particulari vel communitates vel singulares personæ exemptæ sint. Illud addidisse sufficiat, vi Juris communis exemptos non esse Clericos, etiamsi in commune vivant. Neque enim admittendum est, quod absque dubio tenendum esse asserit Moneta *c. 5. n. 6.* Canonicos, si nunc communiter viverent, prout in primitiva Ecclesia faciebant, non fore obligatos ad decimas de laboribus ac nutrimentis suis. Textus enim Canonis 47. 16. *q. 1.* quem adducit, non loquitur de Clericis secularibus, sed Regularibus, & paupertatem in comuni profitentibus.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Privilegium non solvendi decimas quomodo amittatur?

SUMMARIUM.

240. *Cessat Privilegium prædij, si hoc alienatur à privilegiato in non privilegiatum. Quod alienato substituitur, sit privilegiatum.*
241. *Cessat exemptio, si inde enormis læsio alteri nascatur.*
242. *Ut cesset, necesse est hanc læsionem intervenire.*
243. *Non est ista metienda à multitudine Conventuum Regularium, sed à paupertate Parochiarum.*
244. *Declaratur, quando circa eam opus sit decisione Judicis.*
245. *Amittitur exemptio per non usum.*
246. *Si per hunc decimator contra privilegiatum præscribit.*
247. 248. *Solutio oppositorum.*
249. 250. *Ad præscribendum contra exemptam Ecclesiam requiruntur 40. anni: contra privatos tempus ordinarium.*
251. *Exemptio concessa sine mentione pacti contrarij invalida est.*
252. *Tollitur per subsequens pactum de solvendo.*

240 ANtequam tradamus modos, quibus hoc privilegium extinguitur, præmittendum est, si Religiosi vel alij privilegiati sua prædia immunia alienent in non privilegiatos, cessare privilegium, quamvis reale. Ratio patet: quia privilegium etiam reale semper personam respicit, cùm sola persona capax sit favoris & beneficij per privilegium concessi. Eo ipso igitur, quòd prædium favore Religiosi Ordinis vel alterius Communitatis exemptum, transit ad alium possessorem, qui par privilegium non habet, desinit esse exemptum; cùm totus ille favor sit Religioni factus, non item in commodum aliorum, qui simile privilegium non habent. Neque Communitas, cui favor concessus est, illum pro arbitrio in alios transferre potest, nisi id specialiter concessum ipsi sit. Si tamen privilegiatus prædium alio permutet, aut vendat, ut pretio inde redacto aliud emat, illud priori substitutum ac privilegiato acquisitum, exemptum erit, uti exemptum erat prius. Quod verum est, uti benè observat Suar. *c. 20.* etiamsi privilegium non sit datum pro bonis post ejus concessionem acquirendis, sed solùm pro illis, quæ privilegiatus tempore con-

cessi favoris possidebat: quia prædium priori substitutum non est simpliciter acquisitum de novo, sed alteri solùm subrogatum, ac idcirco sortitur naturam & conditionem illius, cui substituitur. Ratio ulterior est, quia restrictio privilegij ad prædia tempore concessionis possessa, odiosa est, & sic explicanda de acquisitione omninò nova, qualis non est, si prædia non multiplicantur, sed priori tantùm substituitur aliud: cùm *c. 34. h.t.* immunitas à decimis quibusdam Religiosis concessa, restringatur ad prædia jam possessa, & negetur *de terris alienis & amodò acquirendis* solùm ideò, *ne occasione privilegiorum Ecclesia ulteriùs prægraventur*: at istæ non prægravantur, saltem non notabiliter, si prioribus prædijs tempore concessi favoris jam possessis, alia substituantur; sic enim non ditescit privilegiatus cum præjudicio aliorum, sed solùm censetur retinere id, quod antè habuit, & pro quo accepit privilegium.

241 Assert. I. Privilegium non solvendi decimas cessat, si ex illa enormis læsio ac gravamen nascatur Ecclesijs, vel alijs, quibus jus decimandi competit vel Jure communi, vel speciali titulo, v.g. privilegij, aut præscriptionis. Patet ex *c. 9. h.t.* & tradunt ibi Panorm. Joann. Andr. aliique omnes. Ratio quoque patet: quia non est mens concedentis cum magno dispendio illorum, quibus jus quæsitum est, cuiquam conferre privilegium: foret enim ejusmodi concessio injusta. Hinc invalida est concessio, si cedat in enormem læsionem. Solùm igitur dubitatur, quandonam læsio censeatur esse gravis seu enormis? Secundò, an mox ipso facto extinguatur privilegium, si læsio inde oriatur; an verò opus sit sententiâ Judicis saltem declaratoriâ læsionis & extincti privilegij?

Primum dubium tollit Pignatelli 241
tom. 8. consult. 8. n. 22. dum ait, nullâ ampliùs discussione opus esse, graviter an modicè privilegia lædant: cùm S. Congregatio censuerit *à Regularibus* non obstantibus, quæ produxerant, privilegijs, *solvendas esse Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ solvebantur à laicis, priùsquàm bona in ipsorum Regularium proprietatem fuerunt translata.* Verùm ex una alterave decisione inter certas personas, & certis in circumstantijs facta perperam infertur universalis conclusio, Regulares à decimis, quas laici antè solverant, non esse immunes. Fatetur ipse *n. 23.* S. Congregationem nihil de novo constituisse, sed tantùm declarâsse dispositiones Apostolicas, & privilegia. Cùm igitur privilegia sint clara, & comprehendant omnes decimas, ut patet ex dictis *à n. 229.* non universim illa declaratio facta est (sic enim non fuisset declaratio sed 243

nova

nova constitutio & privilegiorum abrogatio) sed solùm in illa controversia Polonica, & speciali casu facta est, haud dubiè, quia Parochiæ, cum quibus litigabant Regulares, enormem se læsionem pati ostendebant, vel quòd ibi privilegia contrario usu sublata, aut recepta nunquam fuerant &c. Unde neque obest Breve Innocentij X. quod producit *n.* 21. illo enim non fit aliqua decisio generalis adversùs Regulares, sed solùm confirmatur illa S. Congregationis declaratio.

143 Addit idem Auctor *n.* 12. læsionem metiendam non esse à paupertate Parochialium Ecclesiarum, quibus per Regularium privilegia decimæ decedunt, sed à multiplicatione Conventuum & Collegiorum, & ex acquisitione, quibus valdè divites facti sunt quidam Regulares. Censet igitur, eo ipso cessare privilegia, si bona multiplicent, & divites fiant. Probat ex *cit. c. 9.* ubi Pontifex quibusdam Religiosis privilegiatis mandat compositionem cum decimatoribus, ob causam ibi adjunctam: *nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, uti erant raræ Abbatiæ vestri Ordinis, quòd exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentatæ sunt, ac possessionibus ditatæ, quòd multi Viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpe proponunt.* Unde cùm habeamus, inquit Pignatelli, textum rotundissimum, non tenemur recurrere ad glossas & interpretationes Doctorum. Verùm hanc rotunditatem textûs nemo Interpretum præter ipsum (nisi fortè Malderus) vidit, éstque hæc *enormis læsionis* explicatio nova & antea inaudita. Longè aliter hanc læsionem exponit Alexand. IV. *c. 2. §. 2. h. t. in 6.* dum ait: *ubi autem per hujusmodi concessiones decimarum parochiales Ecclesias adeò gravari contingit, quòd earum Rectores de ipsarum reditibus congruè sustentari, & commodè Jura Episcopalia exhibere non possunt: provideatur per locorum Ordinarios, & ordinetur taliter, quòd ijsdem Rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus, quòd exinde competentem sustentationem habere & Episcopalia Jura solvere valeant, aliáque onera debita supportare.* Igitur tunc solùm est læsio gravis, cessántque exemptiones, quando Ecclesiarum Rectores, quibus aliàs decimæ deberentur, non possunt sine illis congruè se sustentare. Quæ decisio cùm sit posterior illà Alexandri III. *cit. c. 9.* eandem declarat, ostenditque non esse metiendam læsionem ex divitijs exemptorum Regularium, sed ex gravamine Parochialium Ecclesiarum, quæ aliàs congruam sustentationem non haberent. Ita quoque explicatur gravis læsio *c. 21. de Privil. & c. de Censib.*

244 De altero dubio, an videl. in casu enormis læsionis amittatur privilegium ipso jure, an verò necessaria sit declaratio vel revocatio Superioris, fusè agunt Panorm. *in cit. c. 9. c. 16. de Cler. non resid. n. 8. c. 21. de V.S.* Joan. Andr. & Felin. in *c. 8. de Constitut.* Ego cum Suar. *c. 20. n. 1. & 2.* Palao *pun. 13. n. 1. & 2.* Pellizar. *Man. Regul. tr. 8. c. 7. sect. 5. q. 12.* Gonzalez *in cit. c. 9. h. t.* Pirrhing *h. t. n. 73. & 74.* breviter sic statuo. I. Si manifesta est enormis læsio, & de ea constet exempto, non potest suo privilegio uti, & utendo justitiam lædet. Ita cit. DD. cum Glossa *in c. 15. 25. q. 2.* Panorm. ac alijs. Ratio patet: quia voluntas concedentis ad hunc casum læsionis se non extendit, inéstque privilegio semper tacita hæc conditio, *si & quamdiu Ecclesia inde graviter non læditur.*

II. Etiamsi gravis læsio sit manifesta, non poterit tamen ordinarius decimator propria auctoritate exemptum cogere ad solvendas decimas, sed necessaria est Judicis sententia: quia jus sibi ipse dicere non potest, quamdiu adiri potest Judex competens, ut manifestum est. Non poterit tamen Judex SS. Pontifice inferior privilegium moderari: cùm enim tunc omninò nullum sit, nequit ab inferiore, utpote potestatem conferendi privilegij non habente, vel totum vel quoad partem restaurari.

III. Si enormitas læsionis manifesta non est, ac idcirco necessarium arbitrium, adeundus est SS. Pontifex, ut decernat, an privilegium eo casu locum habeat: nam solus ille, qui privilegium concessit, de vi ejusdem cognoscere potest. *c. 12. de Judic. l. 191. ff. de R. J. l. 43. ff. de vulg. & pup. subst.* Manifestum porrò est illud, quod Gonzal. *l. c.* sumè notandum esse dicit, SS. Pontificem, etsi judicet læsionē esse enormem, nihilominus non teneri, privilegiū omninò tollere, sed posse illud moderari, ita ut magnum gravamen non inferat; cùm potuerit initio illud sic temperatum licitè, & validè concedere.

IV. Si non est manifesta læsio enormis, sed dubia, inire compositionem cum decimatore potest exemptus. Patet ex *cit. c. 8. & 9. h. t.* Difficile verò est, quod insinuat Suar. *l. c. n. 2.* posse compositionem fieri, tametsi læsio manifesta sit, dum ait, illam maximè locum habere, quando enormitas læsionis manifesta non est. Hæc enim si manifesta est, certum est jus decimatoris: compositio verò locum non habet, nisi quando jus litigantium est dubium. Verùm dici potest, adhuc locum esse compositioni: quia potest SS. Pontifex etiam in casu enormis læsionis moderari privilegium, ut modò diximus, & ita restringere, ut graviter non lædat: poterit igitur, quia moderatio est dubia & incerti eventûs, compositio tanquam de re con-

controversa fieri. Patet ex *cit. c. Dilecti 8. h. t.* ubi cùm Pontifex dixisset, decimatores enormiter gravari ob prædia à privilegiatis conducta, & decimas inde non solutas, addit: *Mandamus, quatenus de prædijs, quæ conduxistis in Parochijs suis, de quibus consueverunt* (decimatores) *decimas percipere, plenariè solvatis eisdem, vel cum ipsis amicabiliter componatis.*

245 Assert. II. Privilegium non solvendi decimas amittitur per non usum, seu per solutionem decimarum. *c. 6. & 15. de Privil.* Quot actus solutionis requirantur, ut amittatur, controversum est. Sufficere unicum videtur constare ex *c. 8. de Constitut.* ubi statutum cujusdam Ecclesiæ Tullensis de non eligendo Primicerio, quamvis auctoritate Sedis Apost. confirmatum, dicitur cessâsse, si Canonici illius Ecclesiæ contravenerint, aliquem in Primicerium eligendo. Unde inferunt communiter D D. cum Glossa *ibi*, privilegium negativum, quale est immunitatis à præstandis decimis, tributis &c. cessare per unicam contraventionem seu actum ipsi contrarium, si contra privilegium operantes ei renuntiare possint.

246 Verùm dicendum est, non cessare hoc privilegiũ per solutionem decimarum semel factam. Patet assertio ex communi doctrina de Privilegijs in communi, quam latè firmant Greg. Lopez *lib. 42. tit. 18. p. 3.* Suar. *de LL. c. 35. n. 10*, Salas *eod. tract. sect. 13. n. 66.* Basil. Pont. *lib. 8. c. 18. §. 3. n. 27.* Layman. *l. c. n. 11.* Palao *tr. 3. disp. 4. pun. 19. n. 3.* Bonacina *disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 6. n. 12.* nim. privilegia, quæ in aliorum gravamen cedunt, & tractum habent successivum, eò quòd dentur ad plures actus, non amitti etiam pluribus actibus, nisi ex parte illorum, qui gravati sunt, detur præscriptio. Quæ doctrina clarè deducitur ex *cit. c. 6. & 15. de Privil. l. 2. ff. de Privil. Veteran. l. 12. C. de excusat. tutor. l. 1. & 2. C. de ijs, qui mun. sponte susc.* Ratio est, quia hujusmodi actus non sunt contrarij toti privilegio, cùm non sint contrarij omnibus actibus, ad quos privilegium se extendit. Igitur per actum contrarium immunitas solùm perditur quoad ipsum, nim. ut repetere exemptus non possit, quod contra suam immunitatem solvit, ut tenet communis D D. & patet ex *c. 3. de his, quæ fiunt à maj. & c. 20. de off. Deleg.* Jam verò immunitas à decimis est privilegium successivum: non ergo amittitur, nisi per præscriptionem partis gravatæ.

Dices: Potest præscribi per unicum actum, ergo decimator contra exemptum præscribit, etiamsi hic tantùm semel decimas solverit. Respondetur, antecedens tunc solùm esse verum, quando actus ille est continuatus, & non retractatur. v. g. si quis passus est se eligi 247

ad munus publicum, à quo erat immunis, aut passus est, electionem fieri absque suo suffragio, ad quod jus habebat, aut gabellam vel semel solvit, & post hunc actum suâ immunitate tempore ad præscribendum sufficienti usus non est, quia non erat occasio utendi. Contrarium dicendum est, si gabellam vel decimas semel aut iterum solvit, postea tamen intra tempus ad præscriptionem requisitum suâ immunitate usus est non solvendo, ut explicant Suar. *de LL. c. 35. n. 20.* & Palao *tr. 3. disp. 4. p. 19. n. 8.*

248 Ad casum *c. 8. de Const it. n. 245.* adductum, Respondetur, concessum fuisse illi Capitulo, ut Primiceriatûs dignitatem extingueret: quæ concessio unico actu extinctionis complebatur; unde si Capitulares postea Primicerium sponte elegerunt, adeóque dignitatem illam, quæ suapte naturâ perpetua est, resuscitârunt, censendi erant unico illo actu penitùs renuntiâsse indulto Pontificio. Quidquid sit de alijs privilegijs, certum est ex *cit. c. 6. & 15. de Privil.* immunitatem à decimis non amitti, nisi exemptus eas solvat toto tempore ad præscribendum requisito.

249 Quæstio restat, quantum tempus requiratur ad præscribendum huic privilegio. Pugnare hîc inter se videntur *cit. c. 6. & c. 15.* nam *c. 6.* dicitur, debere exemptos Religiosos imposterum solvere decimas, si privilegio suo non usi per annos 30. solverunt. At *c. 15.* dicitur, debere eos posthac solvere, si per 40. annos solverunt. In priore ergo ad amissionem privilegij requiruntur anni solùm 30. in posteriore verò 40. tot videl. quot ad præscribendum contra Ecclesiam requiruntur juxta *c. 4. 6. & 8. de Præscript.* Varias hîc conciliationes moliuntur tam Th. Th. quàm Jurisperiti, præcipuè Garcias *de Nobilit. Gloss. 6. n. 35.* Barbola *de potest. Episc. alleg. 26. & in c. 6. de Privil. à n. 2.* Gonzal. *eod. n. 7.* Suar. *cit. c. 35. n. 21. & c. 20. de Decim. 4.* Multi cum Panorm. & Glossa ajunt, illud prius requirens annos solùm 30. correctum esse per posterius. Alij dicunt, in posteriore solùm agi de facto, & decidi amissum fuisse privilegium, quia exempti solverant per annos 40. non verò negari, minus tempus sufficere. Alij, ut Barbosa & Gonzal. dicunt, illa capitula loqui de diversis casibus. Mihi dixisse sufficiat, juxta communem DD. ad præscribendum contra Religiosos exemptos requiri annos 40. idque usu confirmatum esse, ut testatur Suar. *cit. c. 35. n. 21. in fine, & cit. c. 20. n. 4.*

Illud non placet, quod Barbosa 250
tenet in *cit. c. 6. n. 7.* sufficere ad amissionem privilegij, etiam Ecclesijs concessi longum tempus seu decennium, eò quòd censeantur renuntiâsse, si intra hoc tempus illo usæ non sunt. Nam imprimis *cit. c. 6. & 15.* non pauciores,

quàm

quàm 30. aut 40. anni requiruntur: non ergo sufficiunt 10. Secundò, si intra decennium perditur, tunc vel vi præscriptionis, vel solùm ratione tacitæ renuntiationis? Non priùs: quia contra Ecclesiam non præscribitur, nisi 40. annis, ut patet ex *c. 4. 6. & 8. de Præscript.* vel saltem in hoc particulari casu de decimis annis 30. juxta *c. 6. de Privil.* nullibi enim ad præscribendum contra Ecclesias minus tempus requiritur. Non posterius: partim quia in hoc privilegio non habet locum expressa renuntiatio (ut multi tenent) cùm sit in favorem Ecclesiæ & Religionis concessum; & consequenter multò minùs sufficit tacita renuntiatio, quam etsi facere possit totus Ordo Religiosus, non tamen privata domus, ac Prælatus: partim quia si tacita & præsumpta renuntiatio absque præscriptione decimatoris sufficit, neque longo tempore seu decennio (quod tamen Barbosa requirit) opus erit, cùm illa præsumi possit intra tempus longè minus & ex paucis actibus non interruptis. Neque ipsi favet communis opinio, quam adducit ex Gabrielio *tit. de Præscript. concl. 1. n. 3.* illa enim solùm dicit, quòd post decennium præsumatur interveniisse debita solemnitas in alienatione rerum Ecclesiæ. Qui casus, ut patet, nihil paritatis habet cum nostro. Hæc de immunitate Religioni & in favorem Ecclesiæ concessa. Si conceditur privatæ personæ, haud dubiè breviori tempore amittitur; partim quia contra hanc minore tempore præscribitur; partim quia non tantùm expressè suo favori renuntiare potest, sed etiam tacitè, cùm talis renuntiatio non sit contra, sed in favorem Ecclesiæ.

Assert. III. Privilegium non 251
solvendi decimas cessat contrariâ partium conventione, & pacto. Hunc modum tollendi privilegium assignant Alensis *p. 3. q. 51. memb. 7. a. 2.* Angel. Sylvest. aliique Summistæ *V. Decima*, & Canonistæ *in c. 3. h. t.* Certum imprimis est, si pactum de solvendis decimis fuit anterius privilegio, & in hujus petitione facta non est mentio pacti, ejus concessionem, tanquam subreptitiè obtentam, esse invalidam, ut deciditur *cit. c. 3.* Etsi enim privilegium ita semper interpretandum sit, ut aliquid de novo conferat ultra id, quod jure proprio competit illi, cui conceditur, ut constat ex *c. 30. de Privil. & c. 10. eod. in 6. c. 19. de Appell. l. 109. de Legat. 1.* quando tamen jure speciali vel privilegij, vel compositionis aliquid alteri competit, non censetur Princeps cum ejus detrimento privilegium cuiquam concedere, nisi factâ juris illius speciali mentione, ut suprà dixi. Imò, ut observant Gloss. *in l. 12. & l. fin. ff. ad S. C. Trebell.* ac alij, etiamsi Princeps expressè dicat, se concedere etiam cum præjudicio tertij, intelligi

ligi debet de præjudicio solùm modico; unde si hoc sit magnum, privilegium etiam sic concessum erit invalidum, saltem quatenus infert magnum præjudicium.

252 Quando verò pactum vel compositio sequitur privilegium ritè & validè obtentum, dubium videri potest, an per illam tollatur immunitas, si hæc in favorem Religionis data sit, videl. alicui Ecclesiæ vel Ordini Religioso. Ratio dubitandi est: quia tunc illa conventio ex parte Religionis foret expressa privilegij renuntiatio, quæ juxta multos DD. ut paulò antè dixi, fieri non potest. Verùm dicendum est, tale pactum validè & licitè fieri posse, & quod consequens est, per illud tolli immunitatem. Ratio patet: quia non est pactum naturâ suâ malum; non enim est Simoniacum, eò quòd ista immunitas non sit aliquid spirituale; nec, uti ponitur, pro illa tollenda aliquid spirituale datur, nec aliunde Juri Naturæ, vel Divino, ac Justitiæ repugnat. Neque est vetitum Jure humano; imò hoc in multis casibus hujusmodi compositionem suadet ac mandat, ut patet ex *c. 8. & 9. h. t.* Neque obstat ratio in contrarium allata de renuntiatione: non enim est renuntiatio absoluta & liberalis (quæ sola vetita est) sed justa conventio, & Religioni, vel ad vitanda scandala, querelas, lites, vel alio ex capite, utilis & conveniens. Hinc ad eam non videtur necessaria confirmatio SS. Pontificis, vel alterius, nisi illius, qui ordinariam potestatem habet ad similia pacta debito modo ac cum, præscripta solemnitate facienda, ut benè observat Suar. *cit. c. 20. n. 5.*

CAPUT III.

De Exemptis per Consuetudinem.

QUÆSTIO I.

An à decimis eximat consuetudo non solvendi?

SUMMARIUM.

253. *Quæstionis difficultas & opinionum varietas.*

254. *Opinio quorundam, nec personales nec reales decimas consuetudine abrogari posse.*

255. *Alia, tenens, posse personales, non verò reales.*

256. *Tertia, posse etiam reales, sed non totas.*

257.

257. *Quarta, posse utrasque omnino abrogari.*
258. *Decimæ, ut sunt necessariæ ad sustentationem Cleri, nequeunt ullâ consuetudine tolli.*
259. *Ne quidem personales.*
260. *Possunt utræque tolli & totæ, si Clero aliunde provisum est.*
261. 262. *Rationes assertionis.*
263. *Non obstat jus quæsitum Ecclesijs.*
264. *Non est irrationabilis etiam omnimoda exemptio.*
265. *Esset verò, si aliunde Clericis non esset provisum, quàm ex suo patrimonio vel industriæ lucris.*
266. *Consuetudo etiam legitimè inducta tolli ab Ecclesia potest.*
267. *Non peccant, qui propter desuetudinem non solvunt.*
268. *Non possunt exigere Clerici post consuetudinem à subditis legitimè præscriptam.*
269. *Nisi provisio, quam aliunde habebant, perierit.*
270. *Successor exigere potest, etsi antecessor vivendo ex proprijs nihil postulavit.*
271. *Induci consuetudine potest, ut pars minor decimâ solvatur, aut de certis solùm fructibus.*
272. *Aut, ut debitæ uni Ecclesiæ, solvantur alteri.*
273. *Consuetudo jus decimandi explicat.*
274. 275. *Solvuntur contraria.*

253 De Consuetudine solùm hìc agimus, acturi seq. cap. de Præscriptione. Quamvis enim sæpe, imò passim, à Juris Interpretibus promiscuè usurpentur, teste Zasio *in l. 32. ff. de Leg.* & Aretino *Consil. 22.* re ipsâ tamen plurimùm differunt, ut præter alios ostendunt Balbus *p. 1. de Præscr. q. ult.* & Moneta *de Decim. c. 5. q. 4.* Nam 1. Consuetudo est jus quoddam moribus utentium approbatum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit Lex, ut dicitur *c. 5. dist. 1.* & sumitur ex *c. 6. de Test. cog.* Usucapio verò seu Præscriptio (hæc enim hodie idem sonant) est adjectio dominij per continuationem possessionis temporis à Lege definiti, ut ait Modestin. *l. 3. ff. de usurp. & usucap.* 2. Consuetudo inducitur à Communitate, & jus tribuit immediatè Communitati; privatis verò solùm, ut sunt pars ejusdem. Præscriptio verò solùm à privatis fit, vel Universitate, Collegio, vel Ecclesia solùm prout habet rationem privatæ personæ. 3. Ad consuetudinem requiritur non solùm consensus majoris partis populi, volentis obligationem tollere aut inducere; sed etiam legalis consensus Principis. Præscriptio non requirit consensum adversarij. 4. Consuetudo non requirit titulum, requirit verò Præscriptio. 5. Ut vim habeat Consuetudo, non opus est bonâ fide, ut tradit communior DD. opus verò illà est ad præscribendum. 6. Consuetudo lege Superio-

perioris tollitur, non item dominium præscriptione acquisitum. 7. Consuetudo est favorabilis & latæ interpretationis, odiosa verò Præscriptio. Has aliásque differentias ex Bald. Innoc. Hostiens. Butr. Joan. Andr. & Felin. latè tradunt ac legibus firmant Balbus & Moneta *ll. cc.* An verò consuetudine acquiri possit immunitas à solvendis decimis, difficillima quæstio est, ut ait Guttier. *l. 2. can. qq. c. 21. n. 31.* & confusè à multis, à multis imperfectè, universim magna opinionum varietate, agitata. Illi præcipuè Canonistæ in ea multùm sunt implicati, ut ait Azor *tom. 1. l. 7. c. 26. q. 2.* qui tenent, decimas esse Juris Divini; cùm ex una parte fateri debeant, consuetudinem non valere contra Jus Divinum: ex altera verò parte videant, eas in multis Provincijs, in Italia nim. & Græcia, Clericis vel Ecclesijs non solvi. Unde Anton. Butrio in *c. 14. h. t.* ait: *Nescio, quid dicam, nisi quòd omnes damnantur non solvendo.* Pariter Andr. Hispan. *reg. 1. de Decim.* liberè pronuntiat, quòd omnes non solventes sunt filij perditionis, non obstante quacunque consuetudine, uti refert Rebuff. *q. ult. n. 26.* Verùm longè satius est, damnare illam Veterum opinionem, quæ tenet, decimas Jure Divino deberi, quàm homines non solventes: rejectâ autem hac opinione, uti cum comuni hodie DD. eam rejeci à *n. 36.* nihil est, quod damnationem suadeat eorum, qui ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio illas non solvunt.

I. Igitur aliqui universim docent; decimas nec prædiales nec personales tolli consuetudine posse, vel totas vel ex parte. Ita Innoc. Gloss. ac alij in *c. 32. h. t.* Marta *de Jurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 24. n.* 22. Nicol. Reûsner. *vol. 2. consil. 11. n. 49.* Hunn. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 8. n. 5.* ac latè propugnant Perez in *l. 1. ordin. tit. 5. l. 5.* & Andr. Hispan. *de Decim. q. 1. n. 13. & 15.* Limitant tamen assertionem & dicunt; nisi à Romano Pontifice sit approbata. Quæ limitatio gratis fit. Vel enim dicunt, decimarum obligationem esse Juris solùm humani? Et tunc consuetudine tolli potest absque Pontificis approbatione, cùm ad illam opus non sit consensu Principis nisi legali. Si plus non velint, nemo est, qui refragetur. Vel asserunt, uti asserunt, imò supponunt, illas deberi Jure Divino? Et sic non proderit Pontificis approbatio, cùm hic neque ex parte legem Divinam tollere possit, ut fusè probat Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8.* Dicent fortassis, posse Pontificem suo & Ecclesiarum jure cedere, sicque approbare consuetudinem, non directè mutando Jus Divinum, sed indirectè, subtrahendo videl. ejus materiam; sicut qui remittit jus sibi ex alterius promissione natum, tollit promittentis obligationem, quin faciat mutationem Juris naturalis

turalis, vi cujus ad implenda promissa tenemur. Verùm negatur paritas inter hunc casum & nostrum: nam Jus naturale non obligat absolutè ad standum promissis, sed solùm, si ille velit, cui jus ex contractu quæsitum est, vel qui habet dominium: potest enim iste cæteris paribus illo se abdicare pro arbitrio. At verò si Jure Divino debentur decimæ, Deus earum solutionem præcepit non solùm in commodum suorum ministrorum, sed etiam in recognitionem supremi sui dominij, & pro cultu divino, construendis & ornandis Ecclesijs, alimentis pauperum &c. quos fines à Deo intentos tollere, non videtur esse in potestate Ecclesiæ.

255 II. Alij ajunt, decimas prædiales ne minui quidem posse: posse verò tolli totas personales. Ita Hostiens. Roch. Curt. Felin. Turrecrem. Parisius, Baldus, aliique, quos referunt Covarr. *l.* 1. *var. c.* 17. *n.* 8. & Fern. Vasq. *l.* 2. *controv. c.* 87. *n.* 8. Deducunt istud ex sua illa opinione, quâ dicunt, prædiales decimas esse Juris Divini, personales solùm humani.

256 III. Panorm. Fulgos. Socin. ac alij, quos refert idem Vasq. *l. c.* & Guttier. *l. c. n.* 31. asserunt, tolli nec has nec illas consuetudine posse; posse verò minui, ita ut loco decimæ vigesima, vel trigesima pars præstetur. Idem sentire videtur S. Thomas 2 2. *q.* 87. *art.* 1. *& quodl.* 2. *art.* 8. & communem esse testatur Boërius *in consult. Bituric. tit. de consuet. §.* 12. eandémque sequitur Guttier. *l. c. n.* 34. Marta *de Jurisdict. p.* 4. *cent.* 1. *c.* 24. *n.* 22. Sichard *ad rubr. C. quæsit longa consuet.* Nicolaus Reûsnerus *vol.* 3. *consil.* 11. *n.* 49. Hunn. *Encyclop. p.* 5. *tit.* 2. *c.* 8. *n.* 5.

IV. Denique alij sentiunt, decimas abrogari consuetudine totas posse, modò aliunde Clerici congruam sustentationem habeant. Hanc Guttier. *cit. n.* 34. ait teneri à Menchaca, essèque singularem, neque veram, vel tenendam. Sed reverâ communis est, si accipiatur intra limites, intra quos eam proponemus, & sequemur. Extra illos verò nemo eam unquam videtur tenuisse. 257

Assert. I. Consuetudo quantumcunque longa non potest tollere obligationem decimas solvendi, in quantum hæ necessariæ sunt ad congruam sacrorum Ministrorum sustentationem. Ita cum S. Thoma *cit. quodlib.* 2. *n.* 8. omnes Canonistæ, & Theologi. Ratio patet: quia Jure Divino tam positivo, quàm naturali, debetur Ministris sacris stipendium suorum laborum, & congrua ac honesta sustentatio. Atqui Jus Divinum tolli consuetudine non potest: hæc enim est lex humana non scripta, & sic tam parùm tollere potest Divinam, quàm parùm hæc tolli potest Lege scripta humana. 258

259 Limitat hanc assertionem Moneta *l. c. n.* 92. quoad decimas personales, atque has Jure tantùm humano introductas esse etiam quoad substantiam, ac idcirco consuetudine absolutè tolli posse: addens, hanc esse opinionem Hostiens. Felin. Covarr. Paris. Rebuff. ac communem Canon. & Theologorum. Verùm hæc limitatio nec necessaria est, nec absolutè vera. Qui enim asserunt, abrogari posse decimas personales, supponunt, ex prædialibus vel aliunde sufficientem sustentationem habere Ministros Ecclesiæ. Unde si alicubi prædiales ad eandem vel non sufficerent, v. g. ubi pauca sunt prædia, & lucrum ferè omne ex negotiatione habetur, vel consuetudine essent sublatæ, solverentur verò personales, hæ non possent abrogari, nisi aut resuscitarentur prædiales, aut aliunde dictis Ministris provideretur. Igitur quoad præsentem casum non est discrimen inter prædiales & personales decimas, sed hæ æquè ac illæ necessariò & non obstante contraria consuetudine solvendæ sunt, si ad dictam sustentationem sunt necessariæ; sicut è contrario etiam prædiales abrogari possunt, si ad dictum finem necessariæ non sunt.

260 Assert. II. Decimæ tam prædiales quàm personales consuetudine tolli absolutè & totæ possunt, si aliunde ex bonis fidelium & reditibus Ecclesiasticis honestè vivere Clerici possunt. Ita tradunt Glossa in *c. 6. 10. q. 3. & in c. 32. h. t.* Abulens. in *c. 22. Matth. q. 105.* Menchaca *l. 2. Contr. Illustr. c. 89. n. 8.* Sotus *l. 9. de Just. q. 4. a. 1. ad 4.* Covarr. *cit. n. 8.* Azor *cit. q. 2.* Fern. Vasq. *l. c.* Gabr. Vasq. *tr. de Benef. dub. 2. n. 13. 15. & 16.* Suar. *c. 12. n. 8.* Barbosa *de off. Par. c. 28. §. 3. n. 64.* Ant. Faber *l. 1. Cod. tit. 3. de fin. 21.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 2. n. 1. & 20.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 4. n. 1.* Gonzal. *in c. 20. h. t. n. 2.* aliique. Nec dissentit Rebuff. quamvis longè aliter loqui videatur: ait enim *q. 13. n. 43. & 44.* non valere consuetudinem non solvendi decimas, nisi eadem consuetudo habeat, ut detur aliquid pro ipsis decimis, quo videl. honestè sustententur Ecclesiæ Ministri. Idem re ipsâ sentiunt omnes illi, qui tenent, decimas quidem totas abrogari consuetudine non posse; posse verò quoad quotam: supponunt enim, si totæ tollantur, non fore Clero sufficienter provisum de honesta sustentatione, quæ ipsi Jure Divino debetur.

Probatur I. ex *c. 32. h. t.* ubi 261
dicitur, ab aliquibus Gentibus decimas de more non solvi, quamvis censeantur nomine Christiano. Neque hæc earum consuetudo reprobatur. Eod. *cap.* sic statuitur: *Illæ quippe decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex Lege Divinâ, vel loci consuetudine approbata*; ergo illæ non sunt necessariò sol-

solvendæ, contra quas stat loci consuetudo; nisi debeantur Jure Divino. At hoc Jure non debentur, nisi necessariæ sint ad honestam Clericorum sustentationem. Accedit, quòd juxta *c. 4. c. 18. c. 20. h. t.* in controversijs circa decimas est recurrendum ad consuetudinem. Cùm igitur consuetudo in decimis multum possit, & vi ejusdem solvi illæ possint non illi, cui de Jure debentur, sed alteri, non est ratio, cur per eandem non possint eximi domini prædiorum. Imò à fortiori, si per consuetudinem decimæ transferri possunt, & illi tribui, cui de Jure non competunt, liberari vi illius possunt domini prædiorum, cùm plus sit alicui jus positivum concedere, quàm tantùm immunitatem ab obligatione.

262 Probatur II. ratione. Decimæ in lege Gratiæ debentur lege tantùm Ecclesiastica: ergo abrogari hæc poterit contraria consuetudine, sicut aliæ Leges Ecclesiasticæ. Neque enim vel ratio vel Jura suadent, consuetudini minorem vim inesse quoad hanc legem de decimis, quàm quoad alias; cùm universim & contra omnem legem humanam valeat, nisi in aliquo casu Legislator eam expresè reprobet, & introduci vetet, irritam ac invalidam declarans. Nullibi autem Jura invalidam declarant consuetudinem non solvendi decimas, sed potiùs eidem vim expresè tribuunt juxta dicta *num. præced.* Itaque si Clerus in aliquo loco congruam & decentem sustentationem habet, videl. vel ex primitijs aliisque oblationibus, vel ex prædijs & bonis immobilibus fructiferis, vel ex censibus per pia legata alióve modo Ecclesiæ relictis, non est ratio, cur Parochiani ab onere solvendi decimas per consuetudinem liberari non possint. Hinc teste Fern. Vasq. *cit. n. 8.* in Indijs Regi Hispaniarum subjectis non solvuntur decimæ, quia congrua dote Ecclesijs, & earum Ministris aliunde provisum fuit.

Neque valet, si dicas, consuetu- 263
dini vim quidem esse tollendæ legis, si per hanc nulli quæsitum sit aliquod jus; secùs, si sit quæsitum, uti tum per legem de decimis, tum per diuturnam possessionem juris decimandi quæsitum est Parochis. Respondetur enim, non aliter quæsitum esse jus, nisi per legem, & quamdiu illâ fideles obligantur. ergo si cessat illa lex vel per privilegium, vel per consuetudinem, pariter cessat jus Ecclesijs per illam concessum: præterquam quòd non minor vis est consuetudinis, quàm præscriptionis: atqui per hanc tolli potest jus alterius, ergo etiam per illam.

Limitat quidem hanc doctrinam 264
Covarr. *cit. n. 8.* dicens, *irrationabilem & omnino inquam esse eam consuetudinem, quæ laicos omnino ab omnium decimarum, personalium & prædialium, solutione in*

aliqua regione provinciave eximeret: etiamsi Sacerdotes ejusdem ibidem spiritualia ministrantes, aliunde quàm à decimis congruè possent alimenta percipere. Rationem addit: *Nimia etenim hæc exemptio est: siquidem ex ea tollitur illa recognitio, quam justissimum & æquissimum est Sacerdotibus ministrantibus spiritualia exhiberi aliquo præstito servitio.* Verùm nec consequenter ista dicta sunt, nec adjecta ratio valet, nisi eo, quem mox subijciemus, sensu accipiatur.

265 Assert. III. Non potest consuetudine induci, ut ab aliqua communitate Parocho & alijs Ecclesiæ Ministris nec decimæ solvantur, nec loco earum alij reditus assignentur, tametsi ex proprio vel patrimonio vel industria ac arte habeant, unde decenter vivant. Ita Gabriel Vasq. *l. c. n. 18.* & Suar. *l. c. n. 8.* estque indubitata omnium sententia. Sic intelligendum est, quod modò ex Covarr. attuli. Ratio est: quia talis consuetudo est irrationabilis; cùm sit contra Legem Divinam tam naturalem, quàm positivam, vi cujus dignus est operarius mercede sua, & vivere de Altari debet, qui Altari deservit. Et quidem debentur alimenta Ministris Ecclesiæ, etiamsi aliunde, quàm de reditibus Ecclesiasticis sese alere possint. Ex his igitur provisum illis esse debet ad hoc, ut decimæ aboleri consuetudine possint: quia, ut fideles alimenta præbeant operarijs sacris, à quibus spiritualia percipiunt, Juris est Divini; at verò, ut præbeant hoc certo modo, videl. per decimas, Juris est solùm humani: ergo hoc ultimum consuetudine abrogari potest, non item prius.

Assert. IV. Consuetudine nun- 266
quam ita tolli potest obligatio solvendi decimas, ut Ecclesia careat potestate vim illi adimendi, & imperandi decimas. Ita S. Thomas *cit. q. 87. a. 1.* & *quodlib. 6. a. 10. ad 2.* Et in hoc sensu verum est, quod dicitur, præceptum decimarum non posse tolli aut diminui per consuetudinem, nisi à SS. Pontifice sit approbata, vel saltem non reprobata. Ratio patet: quia dum legislatores Pontifices & Imperatores vim concesserunt consuetudini inducendi obligationem & tollendi, nec voluerunt nec potuerunt sibi adimere potestatem vel impediendi, ne consuetudo introducatur, vel introductam abrogandi: cùm semper habere debeant potestatem ferendi leges, & latas abrogandi, si bonum Reipublicæ exigat, ac idcirco habent facultatem etiam consuetudinem tollendi, utpote quæ est lex non scripta, & quidem etiam lex ipsius Principis, propter consensum legalem, sine quo ipsa vim non haberet.

Ex dictis placet pro praxi non- 267
nullas consecutiones deducere. Itaque sequitur I. verum esse, quod ait

S. Ino-

S. Thomas *cit. a.* 1. *ad* 5. non peccare eos, qui propter desuetudinem decimas non solvunt. Difficilis verò videri potest limitatio, quam addit: *nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur.* Si enim consuetudine abolitæ sunt decimæ, liberi sunt fideles ab ijs præstandis: unde sicut tunc exigere Clerus jure non potest; ita si illi petitas renuant solvere, nec obstinatum habent animum nec peccant. Verùm explicari S. Doctor potest ac debet de casu, quo illæ vel necessariæ sunt pro honesta Clericorum sustentatione, vel quo consuetudo à SS. Pontifice tollitur & lex solvendi renovatur.

268 Sequitur II. si datur consuetudo non solvendi decimas legitimè præscripta, non posse Clericos eas exigere, & injustè agere, si eas velint extorquere, ut ait S. Thom. *quodlib.* 2. *art.* 8. quia per illam fideles legitimè consecuti sunt jus non solvendi, quod nec Episcopi nec alij Prælati Ecclesiæ, multò minùs Principes seculares adimere possunt, sed solus SS. Pontifex, ut benè observant Gabr. Vasq. *l. c. n.* 15. & Suar. *cit. c.* 15. *n.* 11. Ratio est, quia hoc est juxta jus commune: Episcopi autem non possunt contra jus commune disponere, præsertim in re tam gravi & fidelibus onerosa. At verò SS. Pontifici semper manet integra hæc potestas; tum ex ratione universali, quam dedi *n.* 266. quia semper potest juri communi derogare; tũ quia ejus potestas imperandi est divina, seu immediatè à Deo data, ac idcirco nulla consuetudine tolli aut minui potest. Hinc sicut ante consuetudinem contrariam potuit imponere obligationem solvendi, ita pariter potest post illam introductam. Et licèt semper possit cedere suo jure & Ecclesiarum (salvâ tamen semper necessariâ Cleri sustentatione) consuetudinem vel permittendo vel privilegia dando: nunquam tamen privare se potest potestate statuendi hoc jus de novo, quando & ubi expedire censuerit. Ita communissima DD. tradit cum S. Antonino *p.* 2. *tit.* 12. *c.* 3. §. 16. Sylvest. *V. decima q.* 4. §. *quantum*, Covarr. *cit. c.* 17. *n.* 12. & Guttier. *cit. c.* 21, *n.* 51.

Sequitur III. si fortè aliqua Ec- 269
clesia priùs habuit propria prædia vel alios redditus, ex quibus ali poterant Ministri, ac postea injuriâ temporum illis facultatibus labatur, ut eosdem alere non possit, posse non obstante contraria consuetudine peti decimas, etiam absque SS. Pontificis auctoritate, & teneri fideles ad solvendum. Ratio patet: quia hoc casu obligantur Jure divino; quod jus cùm certum sit, si certa est illa indigentia & paupertas Ecclesiæ, opus non est declaratione aut decreto Judicis.

Sequi-

270 Sequitur IV. si Ecclesia fuit egens, & nihilominùs antecessores Parochi decimas non postulàrunt, sed ex suo patrimonio vel industriâ propriâ ac labore victũ & vestitũ sibi comparârunt, posse nihilominus eorum successores decimas exigere, vel totas, si Fideles legitima consuetudine nondum præscripserunt, vel si præscripserunt, in ea quantitate, quæ ad honestam sustentationem requiritur, aut ut aliunde sibi fiat compensatio, quanta ad dictum finem est necessaria; ac consequenter peccare Parochianos, si renuant dare, quod hac ratione petitur.

271 Sequitur V. & quidem à fortiori, posse consuetudine minui decimas, ut videl. loco decimæ partis solvatur solùm duodecima, vigesima &c. Item induci consuetudine posse, ut non solvantur decimæ, quas vocant minutas, v. g. de fœno, fructibus arborum &c. quam consuetudinem passim in Orbe Christiano vigere testantur Covarr. *n.* 8. §. *septimò*, & Ant. Faber *l.* 1. *C. tit.* 2. *def.* 44. Valet item, ut non solvantur de fructibus hortorum, vel oleo, avena, fœtibus animalium &c. Item ut non certo modo, quo aliàs jure communi solvi deberent, v. g. ut deductis priùs expensis, vel primùm, postquam horreis illatæ sunt fruges. Quæ omnia insuper patent ex praxi plurimorum locorum.

Sequitur VI. & constat insu- 272
per ex *c.* 13. 18. 20. & 29. posse consuetudine induci, ut decimæ uni Ecclesiæ aliàs debitæ solvantur alteri. Hoc tamen Rebuffus *q.* 13. *n.* 48. & Moneta *cit. c.* 5. *n.* 98. ajunt non procedere de decimis prædiorum, quæ limitibus utriusque Parochiæ proxima sunt: limites enim, inquiunt, non præscribuntur, ut habetur *c.* 4. & 5. 16. *q.* 3. *c.* 4. *de Paroch.* Verùm supponunt, non posse præscribi decimas limitanei agri, quin simul præscribatur ipse limes: quod tamen nec jura nec ratio docent, videturque tam parùm esse verum, quàm quòd cum jure decimarum simul præscribatur ager.

Sequitur VII. si dubitatur, cui 273
de jure debeantur decimæ, quo modo sint solvendæ &c. standum esse consuetudine, tanquam justissimo interprete. Benèque observat Covarr. *l. c.* post Innocen. Felin. Hostiens. ac communem aliorum, in tali casu ad consuetudinem sufficere decennium; sic enim non est contra jus, sed solùm juris dubij interpretatio.

Duo tantùm sunt, quæ dictis ob- 274
stare videntur, quorúmque solutio indidem obvia non est. Objici potest 1. Consuetudine, vel præscriptione nemo liberatur ab obligatione solvendi tributum Principi. *l.* 6. *C. de Præscript.* 30. *an.* ergo multò minùs liberari potest à solutione tributi divini, qualis est

decima,

decima, juxta *c.* 26. *h. t.* R. cum Panorm. & Felin. *in c.* 13. *de Præscript.* N. conseq. quia tributa immediatè solvuntur in recognitionem regiæ potestatis, decimæ verò immediatè ac per se in sustentationem & commodum ministrorum; professio verò divini dominij, & cultus Numinis est solùm finis secundariò ex constitutione Ecclesiæ annexus: unde cùm per alios actus, nim. per Sacrificia, Orationes &c. primariò & multò perfectiùs exhibeatur, quàm hoc speciali modo per decimas, mirum non est, quòd consuetudine mutari possit. Absolutè dici potest (quidquid sit de ratione intrinsecâ) Jure Civili non permitti consuetudinem, aut præscriptionem contra tributa, permitti verò Jure Canonico contra decimas.

Obijc. II. Laici non possunt consuetudine vel præscriptione acquirere jus decimandi, ergo neque jus retinendi decimas, quas solvere deberent: quia non solvere decimas idem est, ac ex suo fundo eas colligere. R. neg. conseq. quia jus colligendi decimas est de se spirituale, & idcirco non cadit in laicos; onus autem solvendi est temporale, & idcirco etiam immunitas ab hoc onere est commodum solùm temporale, ac universim libertas & exemptio à Jurisdictione alióve alterius Jure spirituali nihil continet spirituale. Aliud argumentum, quod hîc opponi potest, dissolvi *n.* 161. 275

QUÆSTIO XI.

Qualis Consuetudo à solvendis decimis eximat.

SUMMARIUM.

276. *Requisita legitimæ Consuetudinis.*
277. *Quando sit rationabilis.*
278. *Videtur requiri, ut sit introducta bonâ fide.*
279. *Non requiri statuitur.*
280. *Non requiritur à SS. Canonibus.*
281. *Ad consuetudinem, quâ lex Ecclesiastica tollatur, alij requirunt 40. annos.*
282. *Alij tantum decennium.*
283. *Consuetudo eximens à decimis debet esse continuata 40. annis.*
284. *Tempus diuturnum non semper est decennium.*
285. *Ad consuetudinem 40. ann. non est opus titulo.*
286. *Lex deficit, si non observatur sciente Principe & tacente.*
287. *Sciente SS. Pontifice, non solvi decimas, & tacente, non requiruntur 40. anni ad inducendam exemptionem.*

276 CONstat ex *c. ult. de Consuet.* Consuetudinem non posse Juri communi derogare, nisi, ut ibi dicitur, *fuerit rationabilis & legitimè sit præscripta.* Quod cùm procedat de omni consuetudine, quâ obligatio vel imponitur, vel tollitur, maximè locum habet in præsenti materia, cùm lex de solvendis decimis sit Ecclesiastica, & æquissimo Jure ad exemplar legis Divinæ antiquæ statuta, simúlque per eam acquisitum jus particularibus Ecclesijs & personis. Unde fieri non potest, ut illis derogetur per consuetudinem, quæ caret vel unâ ex illis qualitatibus, quibus eam munitam esse voluerunt Legislatores. Itaque certum est, & constat tum ex *tot. tit. 4. lib. 1. Decretal.* tum ex communi omnium DD. quòd 1. introducta esse debet à communitate, hoc est, à majori parte populi. 2. actus, per quos inducitur, debent esse plures, & frequentati, saltem extra casum, quo Princeps scit legem suam non observari, nec tamen, cùm posset, contradicit. 3. debent illi actus esse voluntarij, id est, nec ex metu, nec ex ignorantia legis facti 4. non interrupti. 5. debent poni animo abrogandi legem. 6. debet intervenire legalis consensus Principis, contra cujus legem actus ponuntur. Datur hic consensus eo ipso, dum fertur lex, & simul non damnatur quælibet consuetudo contra eam introducenda. Qui enim sic fert legem, permittit vim, quam Jura consuetudini concedunt ad abrogandam legem. 7. debet consuetudo esse rationabilis. Denique 8. legitimè esse præscripta, id est, legitimo tempore continuata. De prioribus sex conditionibus non occurrit hic specialis difficultas, benè autem de duabus postremis. Ita ut de septima initium faciamus. 278

Rationabilis consuetudo esse 277
censetur, quæ lege statui potest, sive, quæ justa censeretur, & obligaret, si lege statuta esset; sive, ut alij, eodem tamen sensu, explicant, quæ est de re honesta & utili Reipublicæ. Quod alij ulteriùs sic explicant. Consuetudo rationabilis est, quæ nec legi Naturali, nec Divinæ adversatur, nec Jure humano reprobatur, & peccandi ansam non præbet, nec alia ratione bono publico contraria est. Ex quibus facilè eruitur, consuetudinem non solvendi decimas esse rationabilem, dummodo per eam non subtrahatur Clero congrua ac decens sustentatio; sic enim nec Juri Divino vel naturali vel positivo adversatur, nec reprobatur Jure Ecclesiastico, neque peccandi occasionem præbet; immunitate enim per privilegium, præscriptionem, vel consuetudinem legitimè obtentâ non peccat, qui non solvit, utpote sublatâ legis obligatione, neque hac immunitate exponitur periculo alterius

terius cujuspiam legis violandæ. Nec bono publico adversatur: illud enim solùm requirit, ut Clero de congrua sustentatione & Divino cultui provisum sufficienter sit; his autem provisum quandoque esse potest ex alijs reditibus Ecclesiasticis absque decimis.

278 Solùm dubitatur, an ad hoc, ut consuetudo non solvendi decimas sit rationabilis, requiratur, bona fide introductam esse. Affirmant Laym. *l. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 6. n. 11.* Pirhing *h. t. n. 131.* Lud. Engel *eod. tit. §. 3. n. 5.* Rationem dant, quia Jura sacra consuetudinem malâ fide inductam reprobant, dum dicunt *c. 5. de eo, qui duxit in matr. quòd diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet,* & *c. ult. de Consuet.* quòd *tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.* Ratio videtur esse manifesta: quia Consuetudo nihil aliud est, quàm actus frequentati; ergo si isti non sunt rationabiles, uti reverà non sunt, si malâ fide fiunt, neque consuetudo potest esse rationabilis.

279 Assert. I. Ut consuetudo non solvendi decimas rationabilis sit & obligationem solvendi tollat, necesse non est, inductam esse bona fide. Ita sentiunt Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 13. n. 8. & 9.* Less. *l. 2. de Just. c. 39. n. 26. §. adverte.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 2. n. 19.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 4. n. 6.* ac universim de omni consuetudine tradunt Suar. *l. 7. de Leg. c. 18. n. 8. & 25.* Haunold. *de Just. tr. 1. proem. c. 3. n. 136.* Palao *tr. 3. disp. 3. pun. 2. §. 1. n. 3.* Gibalin. *l. 6. Scient. Can. c. 2. q. 2. n. 11. & 20.* & hoc teste passim alij. Ratio est: quia si consuetudo non sit contraria legi Divinæ, vel bono publico, ordinariè non expedit vigere legem, nam potiùs poneretur populo lapis offensionis, & petra scandali, ejúsque vis jam non tenderet in bonum publicum, sed ad fovenda peccata, & ruinam spiritualem subditorum, cùm consuetudo talem in ipsis causet mutationem, ut per eam fiant quodammodo inepti ad legem, utpote quæ stante consuetudine foret difficillima, cùm tamen lex debeat esse facilis & moribus conformis. Atqui hæc ratio, ut patet, pariter procedit de casu, quo consuetudo cœpta est per actus malos seu scienter contra legem factos, ac de illo, quo subditi bonâ fide contra eandem agunt. Accedit, quòd consuetudo ad hoc, ut tollat legem, induci debet animo abrogandi legem, ut tradunt communissimè DD. & manifestum est ex eo, quia consuetudo est lex, lex autem uti statui non potest sine animo obligandi, ita nec tolli sine animo deobligandi. Atqui animum tollendi legem habere subditi non possunt, nisi sciant vigere legem, ac idcirco non inducitur consuetudo per actus ex ignorantia & errore

factos, ut fusè demonstrat Suar. *l.7. de Leg. c.12.* Si verò sciunt legem dari, séque contra eam agere, peccant. Igitur necesse est ad inducendam consuetudinem, ut primi saltem actus mala fide ponantur.

280 Neque obstat, quod ex *c.5. de eo, qui duxit*, & ex *c.ult. de Consuet.* allatum est: ibi enim loquitur Pontifex de actibus contra legem Divinam factis. Præterea sermo est de actibus nondum completâ consuetudine positis; nam si hæc completa est, seu legitimo tempore continuata, tollit legem, ac per consequens malitiam actuum contra eam positorum. Ad rationem adjunctam R. etsi initio non sint rationabiles actus, qui contra legem fiunt, fieri tamen paulatim rationabilem consuetudinem & irrationabilem legem, utpote ad quam observandam in his circumstantijs non expedit subditos adstringi.

281 Difficilior quæstio est, quantum temporis ad hanc consuetudinem requiratur. Receptior opinio est eorum, qui dicunt, de Jure Canonico ad consuetudinem, quæ est præter jus, seu, quâ obligatio inducitur, sufficere decennium; ad eam verò, quâ lex tollitur (qualis est illa, de qua modò agimus) opus esse 40. annis. Ita cum Gloss. & Panorm. *in c. ult. de Consuet. n.11.* Jasone, Tuscho, ac alijs tradunt Suar. *l.7. de LL. c.15. n.2.* Steph. Gratian. *disc. for. c.395. n.6.* Gaillius *l.2. obser.31. n.3.* Hunn. *Encyclop. p.1. tit. 4. n.25.* Verùm hæc opinio non alio fundamento nititur, quàm quòd ad præscribendum contra Ecclesiam 40. anni requirantur. Quod fundamentum non consistit: tum quia consuetudo nec ipsa est præscriptio, nec præscriptionem involvit; aliàs sicut ad hanc requiritur bona fides, & titulus, ita pariter requireretur ad illam: tum quia aliàs ad consuetudinem contra leges universalis Ecclesiæ requirerentur non jam 40. sed 100. anni, quia contra Romanam Ecclesiam minore tempore non præscribitur. Limitant tamen multi hanc opinionem, ajúntque, etsi ad abrogandam legem, quæ in usum deducta jam fuit, requirantur 40. anni: ad desuetudinem tamen, seu ad tollendam legem nondum receptam moribus utentium, sufficere decennium. Ita latè Felin. *in c.1. de Treug.* Covarr. *l.2. var. c.16. n.6.* Navarr. *l.5. tit. de Excomm. consil.8.* Azor *l.5. c.4. q.3.* ac alij cum Imol. Butr. Jasone, & Zabarella.

Alij universim ad consuetudi- 283
nem, etiam illam, quâ tollitur lex Ecclesiastica, moribus utentium jam recepta, censent sufficere decennium. Ita Delbene *de Immun. Eccl. c.8. dub.29. sect.2. n.17.* Palao *tr.10. disp. un. pun. 4. n.2.* Card. de Lugo *de Just. disp.7. sect.4. n.94.* Haunold. *de Just. tr.1. proem. c.3. n.130.* ubi communiorem dicit, & omninò veram reputat, Gibalin. *l.6. Scient. Canon. c.2. q.2. n.22. in fin.*

fin. qui ipse quoque communiorem dicit. Rationem dant: quia ad consuetudinem, quæ legem Canonicam abroget, nullum tempus in Jure Canonico determinatum est, ubi enim SS. Canones 40. annos vel tempus immemoriale requirunt, non de Consuetudine, sed de Præscriptione loquuntur: ergo determinatio temporis desumenda est ex Jure Civili; hoc autem requirit tantùm longum tempus *C. Quæ sit longa consuetudo.* longum verò tempus sunt decem anni, juxta *l. 1. 2. ac 3. C. de Præscript. long. temp.* & tradunt Bart. Bald. Angel. Panorm. ac alij apud Mynsing. *cent. 5. observ. 41. n. 10.* Ratio ulterior est: quia decem anni sufficiunt, ut censeatur Princeps secularis consentire in consuetudinem suæ legi contrariam: ergo pariter sufficiunt, ut censeatur consentire Pontifex, cùm nullibi contrarium expresserit. Verùm etsi hæc opinio probabilissima videatur, si agatur solùm de abroganda lege Ecclesiastica, & non tollendo simul jure tertij, aliud tamen dicendum videtur, si per legem jus alicui quæsitum sit.

283 Assert. II. Consuetudo non solvendi decimas non dat immunitatem, nisi 40. annis sit continuata. Ita cum Panorm. Felin. Paris. Archidiac. Alexand. Balb. Decio, aliisque Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. §. Decimò his,* & Suar. *c. 13. n. 7.* ubi ait, ab omnibus Auctoribus hoc tempus requiri. Lessius quoque, etsi in genere admittat, decennium sufficere ad consuetudinem, videtur tamen velut certum supponere *l. c. n. 47.* si illa sit contra jus Ecclesiæ, requiri annos 40. Ratio est: quia licèt de tanto tempore Jure communi nihil expressum sit; nam *c. ult. de Consuetud.* solùm requiritur, ut consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, nec exprimitur, quantum tempus ad legitimè præscribendam requiratur; alia verò Jura, quæ requirunt 40. annos cum titulo, & sine hoc tempus immemoriale, loquuntur non de Consuetudine, sed de Præscriptione propriè dicta: nihilominus quia hæc, de qua agimus, consuetudo non est solùm contra legem Ecclesiæ, sed insuper adversùs jus, & in grave damnum eorum, quibus decimæ debentur, prudenter præsumi non potest, quòd SS. Pontifex, sine cujus consensu illa nihil operatur, decennio eam induci velit, etsi daremus hoc tempus sufficere ad inducendam consuetudinem contra leges Ecclesiæ, quibus nullum jus cuiquam acquiritur: Princeps enim suâ lege, statuto, vel privilegio censetur solùm suo juri, non verò privatorum derogare, nisi hoc exprimat; unde in communi solùm facultate, quam contra suam legem concedit, non est censendus velle aliquid detrahere juri alterius.

Accedit, quòd longum tempus 284

non semper est decennium, ut supponunt, qui consuetudinem admittunt decennalem: usurpatur enim diuturnitas temporis pro 40. annis *l. Qui in Provincia §. 1. ff. de Rit. Nupt.* quod ex alijs quoque legibus probat Cujacius *l. 18. observ. c.* 28. Hinc nihil certi ex Jure sive Civili sive Canonico colligi posse contendunt & totum judicio prudentum permittunt Cujac. *l. 2. observ. c.* 1. Duaren. *de Leg. c.* 11. Gabr. Vasq. 1. 2. *disp.* 177. *c.* 5. Valent. 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. Salas *de Leg. sect.* 4. Molina *tr.* 2. *de Just. disp.* 77. Basil. Pont. *l.* 6. *de Matr. c.* 5. *n.* 9. Gibalin. *l. c. n.* 22. ac alij. Sic juxta communem quoque DD. de qua Gaill. *l.* 2. *observ.* 31. *n.* 13. non potest dari certa regula, quæ consuetudo sit rationabilis, sed arbitrio Judicis committendum est, sitne ratione fundata, an corruptela. Si autem nihil legibus definitum, sed Judicis arbitrio standum est, æquitas non patitur, ut hic tam modico decem annorum spatio consuetudinem circumscribat, quando agitur de præjudicio tertij, cùm dubium sit, an illud tempus sufficiat etiam ad illam consuetudinem, quâ lex tollitur absque aliorum præjudicio.

285 Assert. III. Ut consuetudine non solvendi decimas 40. annis continuatâ obtineatur immunitas ab ijsdem, non est opus titulo. Ita cum Felin. Anton. ac alijs Covarr. *l. c.* Suar. *cit. c.* 13. *in fin.* Gabr. Vasq. *tr. de Benefic. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 19. Molina *tr.* 2. *de Just. disp.* 75. *n.* 6. Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 39. *n.* 26. Palao *cit. punct.* 4. *n.* 6. Reginald. *tom.* 2. *l.* 20. *c. ult. sect.* 3. *q.* 4. *n.* 96. Delbene *cit. dub.* 29. *sect.* 3. *n.* 4. aliique, quos refert, & sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 42. Ratio est: quia Jura Consuetudini absolutè tribuunt vim abrogandæ legis, neque ullibi mentionem faciunt tituli. Unde minus ad illam requirunt, quàm ad præscriptionem: quia frequens & diuturnus usus Comunitatis, accedente consensu legali Principis, habet vim legis: ad legem autem titulus non requiritur; sed solùm, ut sit æqua & utilis Reipublicæ. At si per quadraginta annos observata non est lex, desuetudo contraria jam est æqua, & utilis, quia postquam tanto tempore observata non est, ordinariè non expedit, ut ampliùs vigeat.

Hactenus dixi de immunitate à 286
solvendis decimis, quæ obtinetur immediatè vi consuetudinis. Quod tunc fit, quando illa inducitur ignorante Principe: nam si iste scit suam vel antecessorum legem non observari, nec urget populum ad observandum, cùm facilè posset, censetur consentire in actus legi contrarios, & sic non ampliùs habere voluntatē obligandi; quæ intentio si deficit, unà deficit lex, & idcirco hæc, non tam vi consuetudinis, quàm voluntate Principis abrogata censetur. Unde de hoc quoque casu modò agendum est.

Assert.

287 Assert. IV. Si SS. Pontifex scit ab aliqua Communitate non solvi decimas, non requiruntur ad acquirendam immunitatem 40. anni, sed sufficit minus tempus. Ratio patet: quia si SS. Pontifex non vult obligare, cessat obligatio; hic autem consensus potest præsumi etiam ante lapsum 40. annorum. Unde universim de consuetudine, sciente & tacente Legislatore inductâ, cum Panorm. *in c. ult. de Consuet.* & Sylvest. *V. Consuetudo n. 6.* docent Less. *l. 2. de Just. c. 6. n. 45.* Palao *l. c. n. 2.* Delbene *l. c. n. 16.* & passim Theologi & Canonistæ, sufficere tempus decennio minus; quin sufficere, bis terve contra legem actum esse. Verùm cùm non semper ex duobus tribúsve contrarijs actibus sciente & dissimulante Principe factis præsumi possit ejusdem consensus in cessationem legis, maximè, si ex hac quæsitum sit jus alteri, uti quæsitum est Ecclesijs per legem de decimis, idcirco Judicis erit arbitrari, quandonam censeri possit Princeps consensisse.

CAPUT IV.

De Exemptis per Præscriptionem.

QUÆSTIO I.

An præscribi decimis possit?

SUMMARIUM.

288. *Exemptionem à decimis Clerici præscribunt.*
289. *Negant hoc multi de laicis.*
290. *Rationes negandi.*
291. *Plenam exemptionem etiam laici præscribere possunt.*
292 293. 294. *Ratio assertionis.*
295. *Solutio contrariorum.*

288 IMmunitatem à solvendis decimis præscribere Clericos posse, receptum esse dicit Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 10.* Verùm etiam ab ipsis omnimodam exemptionem, seu, ut nullas solvant decimas, præscribi non posse, etiamsi quis per mille annos viveret, asserunt Domin. *in c. 2. de Præb. in 6. col. ult.* Barbat. *vol. 2. consil. 35. col. 6.* Berlich. *p. 2. concl. 4. n. 24.* iique omnes, qui tenent, decimas deberi Jure Divino, etiam formaliter sumptas, seu prout sunt determinata fructuum pars.

pars. Alij tamen omnes hanc facultatem præscribendi concedere ipsis videntur, & satis manifestum est ex *c. 6. de Præscript. & c. 1. eod. in 6.* vi quorum Ecclesia contra Episcopum præscribere decimas potest: poterit igitur à fortiori præscribere decimis, cùm plus sit easdem colligere, quàm non solvere.

289 Igitur Controversia maximè de laicis est. Non posse hos per præscriptionem se eximere ab obligatione præstandi decimas, tradit comunissima Canonistarum, præcipuè antiquorum, sententia, quos sequuntur Guido Papæ *decis. Gratianop. 284. n. 3.* Duaren. *tr. de sacr. minist. benef. l. 7. c. 1.* Rebuff. *de Decim. q. 13. n. 55.* Andr. Hispan. *regul. decim. q. 1. à n. 11.* Borellus *in sum. decis. tom. 1. tit. 19. n. 49.* Bellamera *decis. 40. n. 30.* Bellon. *vol. 1. consil. 55. n. 7.* Hunn. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 2. n. 57.* ubi hanc sententiam judicat verissimam, Crescent. *decis. Rot. Rom. h. t. decis. 108. n. 2.* ac alij. Bern. van Espen *p. 2. Jur. Eccles. tit. 33. c. 7. n. 3.* ait, laicum difficulter se eximere posse à decimarum solutione, refértque ex Broudæo *ad Lovetium lit. D. n. 9.* non semel judicatum esse in Gallijs, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tametsi à tempore immemoriali eas non solvissent. Idem refert ex Michaële du Peray & Fevretio. Rationes pro hac sententia adduci solent ferè istæ.

290 I. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. reg. 2. Jur. in 6. & c. fin. de Præscript.* At is, qui non solvit decimas, est in mala fide, saltem præsumptione Juris, cùm contra jus agat. *l. 7. C. de agric. & c. 82. de R. J. in 6.* II. Non solvere decimas idem est ac decimas ex suis agris colligere. Atqui jus colligendi possidere non potest laicus *c. 7. de Præscript.* ergo nec præscribere: cùm præscriptio supponat possessionem. III. Decimæ sunt tributa egentium animarum, seu alimenta pauperum. *c. 66. 16. q. 1. & c. 26. h. t.* Igitur præscribi illis nequit, cùm subtrahere alimenta idem sit, quod occidere. *l. 4. ff. de agnosc. & al. liber.* Sunt insuper tributum Deo debitum, utpote qui eas sibi reservavit in signum universalis dominij. *cit. c. 26. & c. 33. h. t.* Atqui tributis, utpote Principi in signum subjectionis & dominij debitis non præscribitur. *l. 6. C. de Præscript. 30. ann.* Neque præscribitur obligationibus annuis *l. 7. § fin. C. eod.* obligatio autem solvendi decimas est annua. IV. Tardiùs, quàm oportet, solvere decimas, peccatum est: *sed si tardiùs dare peccatum est, quantò pejus est non dedisse?* inquit S. August. *relat. cit. Can. 66. cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam,* ut dicitur *c. ult. de Consuet.* Denique repeti hîc potest illud Antiquorum Canonistarum, decimas deberi Jure Divino. At contra hoc jus nulla valet præscriptio.

Assert.

291 Assert. Immunitatem à solvendis decimis præscribere possunt non solùm Clerici, sed etiam Laici, neque solùm quoad quotam, ut loco decimæ solvant v.g. vigesimam, sed etiam plenam, &, ut omnino nihil solvant. Ita sentiunt Covarr. *l.1.var. c.*17. *n.*10. Suar. *c.*12. *à n.* 8. & *c.*13. *n.* 1. Gabr. Vasq. *tr. de Benef. c.* 1. *dub.* 5. Fern. Vasq. *l.*2. *controv. c,*89. *n.*10. Azor *p.*1. *Instit. l.*7. *c.*26. *q.*4. ubi ait, hanc esse Theologorum opinionem, Mart. Navarr. *l.*3. *tit. de Decim. consil.*2. *n.* 5. *& in Manual. c.*21. *n.*28. Sylvest. *V. Decima q.*4. Henriq. *l.*7. *Theol. Moral. c.*27. *n.*2. Moneta *c.* 5. *n.* 106. Molina *tr.*2. *de Just. disp.*75. *n.* 5. Less. *l.*2. *c.*39. *n.*26. Carpzov. *p.*2. *constit.* 2. *defin.*4. *n.* 5. Palao *tr.* 10. *disp. un. pun.* 5. *n.* 2. Delbene *de Immun. Eccl. c.*8. *dub.*29. *sect.*4. Guttier. *l.*2. *qq. Can. c.*21. *n.*64. Valent. *tom.*3. *disp.*6. *q.*5. *pun.* 2. Laym. *l.*4. *Theol. tr.*6. *c.*6. *n.*10. ubi dicit veram, & communiorem, Canis. *c.*17. *n.*16. Pirhing *h. t. n.*129. Engel. *eod. §.*3. *n.*6. aliique, quos refert & sequitur Diana *p.*5. *tr.*14. *resol.*42. Assertio solùm procedit de casu, quo Clericis aliunde provisum est de decenti sustentatione: hæc enim cùm ijsdem Jure Naturali & Divino debeatur, ut non semel dixi, illi prævalere nulla vel consuetudo vel præscriptio potest. Secluso verò hoc casu, etiam laicos præscribere posse, ut loco decimæ solvant partem minorem, ferè omnes conveniunt, ut ait Moneta *l. c. n.* 105. & fatetur Rebuff. *l. c. n.*57. quamvis id non benè deducat ex *c.*4. *&* 18. *h. t.* quia ibi sermo non est de laicis. Igitur de laicis, & plena eorum immunitate, assertio

Probatur I. à fortiori ex ijs, quæ 292
dixi *n.*260. cùm enim integra communitas ab obligatione solvendi decimas consuetudine eximi possit, multò magis eximi poterunt particulares personæ vi præscriptionis, cùm minùs præjudicet Parocho, si unus vel alter, uti fit per præscriptionem, hac obligatione se liberet, quàm si per consuetudinem tota communitas.

II. Possunt præscribi decimæ, ut 293
patet ex *c.* 1. *de Præscript. in* 6. ergo à fortiori potest præscribi decimis; tum quòd hac præscriptione minus damnum affertur Ecclesijs, quàm illâ priore; tum quòd posteriori modo solùm tollitur obligatio, quâ dominus fundi erat obstrictus Ecclesiæ, priore verò jus positivum tribuitur illi, cui aliàs de Jure non competit: est autem longè plus, jus adversùs alterum acquirere, eúmque sibi obligare, quàm solùm aliquo se onere liberare, quo ipsi eras obstrictus; éstque longè favorabilior liberatio, quàm acquisitio. *arg. l. Arrianus ff. de A. & O.* Hinc etsi servus nihil suum habere, & ideo per præscriptionem acquirere sibi non possit, libertatem tamen præscribere potest. Neque obstat, quòd *cit. c.* 1. non de laicorum,

sed solùm de Clericorum præscriptione agitur : cùm enim Clerico permittatur facultas præscribendi ipsum jus decimandi, non obstante, quòd præscribenti Jura resistunt, censendum est, laico competere facultatem obtinendi, quod minus est, seu præscribendi immunitatem, non obstante, quòd jus ipsi resistat : hac enim ratione mera ipsi liberatio conceditur, & jus retinendi, quod suum est. Quod uti Juri naturæ vel Divino non repugnat, ita nullo Jure humano vetitum reperitur.

294 III. Si quid obstaret laico, quò minùs præscribere hanc immunitatem posset, illud foret, quia non est capax eam possidendi : neque enim alia ratio fingi potest. Atqui hæc ratio nulla est: quia ista immunitas non est aliquid spirituale, uti est jus decimandi, ut observant Covarr. & Fern. Vasq. *ll. cc.* exemptio enim & libertas à Jurisdictione vel Jure alterius sacro, per se est aliquid merè temporale; cùm sit mera privatio sacri Juris, & retentio, vel recuperatio libertatis à natura concessæ ; hæc autem nihil sacrum continet. Unde benè observat Covarr. *l. c.* si hæc exemptio & libertas esset jus spirituale, tunc laici nec immemoriali consuetudine vel præscriptione eam acquirere possent etiam solùm quoad quotam, seu, ut loco decimæ partem solverent minorem; quia nulla vel consuetudo vel præscriptio, quamvis immemorialis, reddere capaces alicujus juris potest illos, qui verè incapaces existunt ; consuetudo enim & præscriptio capacitatem possidendi non tribuit, sed præsupponit. *c. 7. de Præscript. & c. 3. de R. J. in 6.*

Ad I. Arg. in contrarium N. 291 min. posse enim etiam illum, cui jus resistit, præscribere, modò possessionis sit capax, patet ex *c. 4. & 6. de Præscript. c. 1. eod. in 6.* Hoc duntaxat sequitur, quòd in tali casu ordinarium præscriptionis tempus non sufficiat, sed requiratur longissimũ cum titulo, & sine hoc immemoriale. Ad alterum N. neg. ma. Ille enim, qui non solvit decimas, eas non colligit ex suo fundo, sed fructus suos integros percipit absque detractione decimarum : omnes enim mei agri fructus in meo sunt dominio, quamdiu decima inde pars separata non est, nec ante hanc separationem vel re ipsâ factam vel designatione, fructus ulli rationem decimarum habent. Ad 3. N. tametsi ex decimis debeantur eleemosynæ pauperibus, ac illæ propterea dicantur tributum gentium animarum, non tamen quæsitum ipsis jus est ad alimenta ex decimis. Hæcque ordinariè non desunt tum ex alijs decimis & reditibus Ecclesiasticis Clericorum, tum ex liberalitate aliorum fidelium, etiamsi aliqui laici exempti sint ab illarum onere. Quin si deessent, non propterea sequitur, præ-

præscribi hanc immunitatem non posse, sed solùm, quòd illi, qui præscribunt, teneantur eleemosynas erogare, quas erogare tenerentur Clerici, si ipsis decimæ integræ solverentur. Ad illud, quòd decimæ sint tributum Deo debitum, & quòd contra tributa non admittatur præscriptio, abundè responsum est *n.* 143. Quod additur, præstationibus annuis præscribi non posse, nec *l. 7. C. de Præscript. 30. ann.* asseritur, neque verum est, ut patet ex *c. 4. & 13. de Præscript. & l. 22. C. de Usur.* Ad 4. R. Jura ibi allegata, dum peccati damnant eum, qui non solvit, loqui de eo, qui malà fide solutionem omittit. At nos loquimur de præscribente, ac per consequens de eo, qui bona fide non solvit. Pariter non valet illud sæpius repetitum, contra Jus Divinum neque consuetudinem neque præscriptionem valere: dixi enim *n.* 291. non præscribi decimis, prout sunt necessariæ ad decentem Clericorum sustentationem; quatenus verò ad hanc necessariæ non sunt, debentur Jure solùm humano. Unde non est ratio, cur ipsis præscribi non possit.

QUÆSTIO II.

Qualis Præscriptio eximat ab onere solvendi decimas?

SUMMARIUM.

296. *Discordia DD. circa tempus ad præscriptionem requisitum.*
297. *Exemptio contra Parochiam propriam requirit 40. annos cum titulo, sine hoc tempus immemoriale.*
298. *Responsio ad opposita.*
299. *Contra illum, cui decimæ Jure communi non debentur, sufficit tempus ordinarium cum titulo, sine hoc quadragenarium.*
300. *Explicatur hæc doctrina.*
301. *Dicto tempore non tantùm præteritis, sed etiam futuris decimis præscribitur.*
302. *Respondetur ad opposita.*
303. *Non requiritur tempus duplicatum.*
304. *Possessor immunitatis etiam bonæ fidei, si condemnatur ad solvendum, tenetur solvere etiam præteritas.*
305. *Occurritur objectioni.*

296 CErtum est, ad præscribendam immunitatem à decimis requiri illa, quæ ad præscriptionem in communi requiruntur, nim. Possessionem, Bonam Fidem, Justum Titulum, & Tempus possessionis à

Legibus definitum. Quasi possessionem hujus immunitatis posse etiam laicos habere, & sic respectu horum illam non esse rem vitiosam, patet ex dictis *q. præced.* Circa Bonam Fidem nihil speciale hic occurrit. Dubium duntaxat est de Justo Titulo, & Tempore continuandæ possessionis. Henriq. *l. 7. summ. c. 27. n. 2.* & Tannerus *tom. 3. disp. 5. q. 3. n. 31.* ajunt, sufficere tempus 40. annorum etiam sine titulo, uti referunt Delbene *c. 8. de Imun. Eccl. dub 29. sect. 5. n. 2.* & Diana *p. 5. tr. 14. resol. 42.* sed malè utrumque referunt. Henriquez enim de quantitate temporis nihil statuit, Tannerus *l. c.* dubiè loquitur, & lectorem remittit ad *disp. 4. q. 1. n. 96.* ibi verò expresè requirit tempus immemoriale sine titulo, cum titulo annos 40. Molfesius *tom. 1. sum. tr. 6. c. 4. n. 46.* Canis. *c. 17. n. 16.* aliique existimant, semper requiri tempus immemoriale, vel centum annorum. Verùm distinctione opus esse censemus.

297 Assert. I. Ad præscribendam immunitatem contra Parochiam, cui Jure communi debentur decimæ, requiruntur cum titulo 40. anni, sine illo tempus immemoriale. Ita sentiunt Sylvest. *V. Decima q. 4.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. in fin. & n. 10.* Navarr. *Manual. c. 21. n. 30.* Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 5. pun. 2. in fin.* Rebuff. *q. 13. n. 81.* Suar. *c. 12. & c. 13. n. 1.* Gabr. Vasq. *l. c.* Guttier. *l. 2. Can. qq. c. 21. n. 65.* Molin. *de Just. tr. 2. disp. 75. n. 5.* Less. *l. 2. de de Just. c. 39. n. 26.* Moneta *c. 5. n. 112.* Sylvius *in 2. 2. q. 87. art. 1. concl. 5.* Fagundez *in 5. Præcept. Eccl. l. 3. c. 1. n. 24.* Reginald. *tom. 2. l. 20. c. ult. sect. 9. n. 96.* aliique: neque videre mihi licuit, qui minus tempus requirat. Probatur assertio ex *c. 15. de Præscript. & c. 1. eod. in 6.* ubi decernitur, ad hoc, ut quis præscribat jus decimandi, requiri cum titulo 40. annos, sine titulo tempus, cujus memoria non extat; etiamsi sit capax quasi possidendi: eò quòd in tali casu Jura resistant præscribenti. Atqui illis, qui tenentur solvere decimas, sive Clerici sint, sive laici, resistunt Jura; igitur immunitatem, nisi dicto tempore, præscribere non possunt, etiamsi etiam laici capaces sint eam quasi possidendi.

Verùm hisce obstare videtur l. 298
quòd ad præscriptionem tricennalem non requiritur titulus, non tantùm Jure Civili *Auth. Mala fidei C. de Præscript. long. temp. l. 7. l. si qui prin. & §. 1. C. de præscript. 30. ann.* sed etiam Canonico *c. 3. de Præscript.* ubi nullâ factâ tituli mentione admittitur præscriptio 30. ann. & *c. 4. eod. & c. 3. de caus. possess.* ubi pariter absque tituli mentione admittitur quadragenaria præscriptio quoad quartam decimarum, & jus eligendi. ꝛ. nullo Juris Canonici textu asseri, quòd ad quadragenariam præscriptionem non requiratur titulus, cùm possi-

possidenti jus commune resistit. Contrarium patet ex *cit. c. 15. de Præscript. & c. 1. cod. in 6.* Neque obstat, quòd *cit. c. 4. & c. 3.* nulla tituli fit mentio; supponitur enim adfuisse, uti notant Vasquez à Chaves *in c. 17. de Præscript.* & Gonzal. *ibid. n. 15.* Obstare videtur II. quòd præscribenti servitutem in fundo alieno adversatur Juris communis præsumptio, cùm quælibet res libera censeatur. *l. 8. C. de Servitut.* & nihilominùs in præscribendis servitutibus non requiritur titulus *l. 10. prin. ff. si servit. vind.* Omissis alijs DD. responsionibus distinguendum videtur cũ Covarr *cit. c. 17. n. 7.* inter resistentiam Juris, quæ est ex mera Juris præsumptione; & eam, quâ Jura positivè uni jus concedunt, negant alteri. Porrò Jura meum fundum tantùm præsumunt esse liberum, non tamen vetant alijs quasi possessionem servitutis in eodem; unde mirum non est, quòd ad præscribendam servitutem non requirunt titulum. At verò non solùm præsumunt decimas pertinere ad Ecclesiam, sed insuper positivè vetant, ne ab extraneis in aliena Parochia percipiantur, ac insuper præcipiunt, ut singuli eas solvant. Igitur positivè resistunt non solventibus: ac idcirco ad præscribendam hanc immunitatem meritò plus requiritur, quàm ad præscribendas servitutes.

Assert. II. Ad præscribendam 299
immunitatem contra illum, cui Jure communi non debentur decimæ, sufficit ordinarium cum titulo, sine hoc quadragenarium. Ita Glossa in *c. 1. de Præscript. in 6.* & *in c. 2. de Restit. spol.* Alex. *in c. 17. de Præscript. n. 53.* Laymann. *in cit. c. 1. de Præscript. in 6.* Engel. *h. t. §. 3. n. 9.* contra Panorm. in *cit. c. 17. n. 35.* (ubi hanc doctrinam Glossæ dicit esse mirabilem seu paradoxam) & Francum *in cit. c. 1. n. 7.* Ratio asserti est: quia si Jus commune petenti decimas non assistit, tunc neque resistit possessori in ordine ad hunc petitorem; erit ergo præsumptio bonæ fidei pro possessore, si comparetur cum hoc petitore, cùm in pari causa melior sit conditio possidentis. Asserit quidem Panorm. absolutè dici *cit. c. 1.* absque titulo non sufficere nisi immemoriale tempus, si Jus commune resistit præscribenti, vel contra eum sit præsumptio. Verùm supponit ibi Pontifex, præscribi contra eum, cui decimæ Jure ordinario debeantur: neque enim contra eum, cui Jure communi non debentur, præscribenti Jus commune vel præsumptio resistit.

Ex dictis colligitur, si Abbas v. g. 300
vel Ecclesia, quæ in aliena Parochia colligit decimas, contra alium Abbatem aut Ecclesiam agit judicio petitorio decimarum, & Ecclesia conventa objiciat præscriptionem

ortam ex 40. annorum quasi possessione cum bona fide, non esse opus allegari & probari titulum : nisi actor Prælatus munitus sit privilegio sexagenariæ aut centenariæ præscriptionis ; tunc enim tanti temporis quasi possessio à reo probari debet, sed absque titulo. Colligitur II. Si contra privatum Clericum, cui jus decimandi Jure communi non competit, vel contra laicum, opponatur exceptio usucapionis, sufficere, si cum bona fide & titulo probetur quasi possessio 10. annorum, & sine titulo 30. quia in istis casibus Jus commune præscriptionis obtinet; hoc autem Jure plus ad præscribendum non requiritur.

301 Verùm contra utramque assertionem gemina difficultas consurgit. Prima ex *l. 7. §. ult. C. de Præscript. 30. ann.* juxta quam, ex sententia Martini aliorúmque communi, præscribi non potest annuis præstationibus in futurum, sed tantùm præteritis, seu decursis, quæ videl. solvi quidem vi contractûs debuerant, solutæ tamen non sunt. Quam sententiam verissimam esse dicit Schiurpf. *cent. 1. consil. 10. n. 12.* & certam asserit Gail. *l. 2. obs. 79. n. 1.* multísque Cameræ Imper. præjudicijs confirmatam. Idem de praxi Cameræ testatur Mynsing. *cent. 3. obs. 13.* Cùm igitur decimæ sint præstationes annuæ, aut instar earum, consequens est, quòd præscribi quidem possit decimis præteritis, non item futuris. At æquè communis, aut etiam receptior, cum Bulgaro tenet, unam præscriptionem sufficere ad tollendas tam futuras, quàm præteritas præstationes. A qua opinione Arnold. Rath *tr. de Usucap. c. 4. assert. 8.* neminem facilè dissensurum esse existimat, nisi qui deceptus sit malo intellectu *cit. l. 7.* Hanc verò ipse cum Bachov. *in Tr. vol. 2. disp. 22. th. 3. lit. F. §. de annuis* optimè, nisi fallor, & ita explicat, ut nullum inde fundamentum pro priore opinione erui possit. Quidquid verò sit de annuis præstationibus, de quibus ibi Justinian. loquitur, aliud certè statuerunt SS. Jura de decimis; nam *c. 4. de Præscript.* eum, qui 40. annis quartam decimam non solvit, ab omni obligatione absolvunt, & *c. 6. eod.* ex quadragenaria præscriptione jus decimandi in aliena Parochia concedunt : quia *quadragenalis*, inquiunt, *præscriptio omnem prorsus actionem excludit*; si omnem, tunc non solùm præteritam, sed etiam futuram.

Hinc admittenda non est explicatio, & applicatio dictæ legis 7. ad casum de decimis, quam nonnulli faciunt, distinguendo præscriptionem : unam, quâ præscribitur principali & universali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum; ac alteram, quâ præscribitur obligationi speciali & secundariæ dan- 302

di res

di res singulas singulis annis. Illa, inquiunt, computatur à die, quâ primitus cessatum est à solutione; altera à singulis annis vel mensibus, quibus res solvi debuisset. Unde inferunt: si quis v.g. per 50. annos decimas bonâ fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere, quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni lapsi sunt; neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt; illas verò, quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omnino tenetur, cùm respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis, quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum necdum completa sit præscriptio. Non, inquam, hæc admittenda sunt quoad solutionem decimarum intermedijs 30. annis perceptarum: quia *cit. c. 4.* absolutè immunis declaratur, qui per 40. annos quartam decimam Episcopo bonâ fide non solvit, & *cit. c. 6.* jus decimandi in aliena Parochia absolutè addicitur illi, qui in illius quasi possessione per 40. años fuit, nec additur (quod tamen addi oportuit, si illa Legis 7. decisio etiam in decimis locum haberet) debere illum decimas ante completam 40. annorum possessionem perceptas restituere: neque dici potuisset (quod tamen ibi dicitur) quadragenali præscriptione omnem prorsus actionem excludi.

Aliam difficultatem proponit Covarr. *cit. c. 17. n. 10.* ex *l. 7. ff. quemadm. servit. amitt.* ubi ad amittendam servitutem discontinuam requiritur, ut tempus non usûs sit duplicatum. Cùm igitur jus decimandi non competat quotidie & semper, sed certo solùm anni tempore, ac idcirco ejus quasi possessio sit discontinua, ut cum Innocent. *in cit. c. 4. de Præscript.* & Felin. *ibid. col. penult.* observat idem Covarr. consequens esse videtur, ad hoc, ut per usum amittatur, non sufficere tempus ordinarium 40. annorum, sed requiri duplicatum. Verùm R. cum eodem, inprimis jus decimandi non esse servitutem, sed præceptum de solvendo esse quandam Ecclesiæ justissimam indictionem. Unde metienda non est regulis servitutum temporalium. II. Cùm tempus 40. annorum sit longissimum, idcirco, ubi requiritur à Jure Canonico, non duplicatur, uti notant Panorm. Felin. ac alij in *cit. c. 4. de Præscript.* Cæpoll. *de servit. urban. prad. c. 24.* Balb. *de Præscript. p. 3. p. 4. princip. q. 2.* ubi ait: *magis communis conclusio est, quòd ista duplicatio non fiat respectu Ecclesiæ, quia contra Ecclesiam regulariter præscribitur 40. annis indistinctè absque aliqua duplicatione.* Hinc, ut observat Covarr. *l. c.* nec viginti anni, qui inter absentes exiguntur, in his præscriptionibus duplicantur. III. Personales servitutes, 303

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vitutes, quæ à re personæ debentur, vel à persona personæ, non sunt discontinuæ, ut tradunt Bartol. *in l. Justo ff. de Usucap.* Paul. Castr. *l. 1. consil. 444. n. 18. & l. 2. consil. 3. col. ult.* Panorm. in *c. 3. de causa possess. n. 42.* Felin. *in cit. c. 4. n. 38.* Balb. *de Præscript. p. 2. p. 5. princip. q. 3. n. 5.* ubi dicit esse communem. Etsi ergo daremus, jus decimandi esse servitutem, foret illa tamen continua, & sic non habebit locum *cit. Lex 7.* utpote quæ loquitur de servitutibus discontinuis.

304 Elegans hîc dubium, idque utilissimum, movet Engel *h. t. §. 3. n. 10.* Dubitatur, an is, qui bonâ fide per vicennium aut tricennium decimas non solvit, & postea ad earum solutionem condemnatur, solvere teneatur non solùm futuras, sed etiam præteritas? Ratio dubitandi simúlque dicendi, quòd solùm ad futuras teneatur, videtur esse; quia bonæ fidei possessor fructus bona fide consumptos non tenetur restituere. *§. 35. Inst. de rer. div.* Placet ejusdem Doctoris opinio, existimantis, teneri illum solvere etiam præteritas: alia enim est ratio fructuum, quàm decimarum. Fructuum enim dominium, etsi re ipsa sit apud dominum agri, possessor tamen bonæ fidei habet dominium præsumptum, eatenus videl. ut excluſa actione in factum eos consumere possit, quamdiu bona fides durat, facítque *suos interim*, ut loquitur Paulus *l. 48. ff. de acq. rer. dom.* donec videl. repetantur, vel consumantur, vel lis super evincenda re contestata fuerit, ut fusè explicant Harprecht *in cit. §. 35. n. 56. & seqq.* & Bachov. *in Tr. vol. 1. th. 11. lit. D.* At verò Ecclesia, ut infrà dicetur, non habet dominium fructuum in agro decimabili, antequam decima eorum pars separata vel designata fuerit, sed dominus agri omnium quoq; fructuum dominus est, solúmque obligatur Ecclesiæ ad decimas inde solvendas: obligationes verò & actiones regulariter sunt perpetuæ, seu durant ad 30. annos, & contra Ecclesias usque ad 40. *Prin. Inst. de perp. & temp. act. junctâ l. omnes & l. sicut C. de Præscript. 30. añ. c. 8. & c. ad aures de Præscript.* Igitur non cessat actio, quam adversùs illum habet Ecclesia, nisi per lapsum 40. ann.

Unde in decimis locum non habet illa regula, quòd possessor bonæ fidei fructus lucretur: nam decimæ respectu Parochiæ, cui debentur, non sunt aliquid accessorium, uti sunt fructus agri, sed sunt ipsæ principaliter in obligatione: principali autem obligationi adversùs Ecclesiam non præscribitur, nisi 40. annis. Neque valet, si quis dicat, decimas illas, quæ solvi debuerant, solutæ tamen non sunt, esse res mobiles, res autem mobiles triennio præscribi etiam adversùs Ecclesiam. *Auth. Quas actiones C. de SS. Eccl.* 305 306

SS. Eccl. & Can. pen. 16. q. 3. Nam &. neque mobiles præscribi adversus Ecclesiam, nisi 40. annis cum titulo, & sine hoc tempore immemoriali, si possidenti Jus commune resistit: cùm Canones, qui in casu resistentis Juris tempus quadragenarium & immemoriale requirunt, absolutè loquantur, nec inter mobilia & immobilia distinguant. Accedit, quod Dominus fundi fructus ejusdem non præscribit (cùm ipsius sint, non Ecclesiæ) sed solùm præscribit actioni; hæc verò, ut dixi, nisi dicti temporis casu non extinguitur.

CAPUT V.

De Exemptis per Pacta & Statuta.

QUÆSTIO I.

An contractu vel statuto acquiri possit immunitas à solvendis decimis?

SUMMARIUM.

306. *Varij modi paciscendi super decimis.*
307. *Potest fieri compositio super decimis præteritis absque consensu Superioris.*
308. *Pariter sine hoc consensu potest Parochus illas remittere vel super ijs transigere ad suam vitam.*
309. *Potest cum consensu Superioris Ecclesia eas etiam in futurum remittere, si aliunde ipsi provisum est.*
310. *Potest Parochus consentiente Superiore transigere super decimis futuris, ita ut obligentur etiam successores.*
311. *Laicus decimator absque consensu Superioris eas remittere potest, vel super ijsdem transigere.*
312. *Valet Statutum SS. Pontificis de non solvendis alicubi decimis: non item Statutum secularium.*
313. *Tametsi alicubi detur consuetudo non solvendi.*

306 VArij modi paciscendi, & transigendi concipi possunt, quibus immunitas ab onere decimarum acquiratur. Nam I. liberaliter remitti possunt per pactum de non petendo. Quæ ab aliquibus dicitur

citur Compositio, utpote quæ est conventio gratis & liberaliter facta. II. Quando dubia est solvendi obligatio, certum quid promitti potest, ut Ecclesia desistat à lite, & petendo. Hæc propriè dicta Transactio est, utpote quæ est rei dubiæ aut litigiosæ aliquo dato, vel retento, vel promisso, conventa decisio. *c.7. de Transact. l.1. ff. eod. l.7. 17.33. & 38. C. eod.* III. Etsi obligatio solvendi sit certa, quia tamen incertus est proventus agrorum, & dubia fructuum quantitas, conveniri potest de certa quantitate pecuniæ vel fructuum quot annis solvenda, vel solvenda nunc, omni obligatione in futurum sublatâ. Hanc quoque aliqui ex *l.11. C. eod.* dicunt esse transactionem.

307 Assert. I. Potest fieri compositio super decimis præteritis, seu decursis, sine consensu Superioris. Ita Gloss. & DD. *in c. Ut super 8. de reb. Eccl. alien.* & *in c. fin. de rer. permut.* Dec. *in c. Venerabilis 8. de Constit. ut. not. 4.* Rebuff. *q.13. n.25. & 33.* Fagundez *præcept. 5. Eccl. l.3. c.2. n.17.* Barbos. *l.3. Jur. Eccl. c.26. n.26.* ac alij, nemine refragante. Ratio patet: quia tunc non agitur de tollendo aliquo Jure Ecclesiæ, sed solùm de commodo illius Parochi, cui decimæ fuerant solvendæ. Unde iste, sicut perceptas ex justa causa donare vel vendere potuisset absque consensu Superioris, ita debitas remittere potest, vel compensationem in quacunque vel fructuum vel pecuniæ quantitate acceptare. Nisi fortè ex ijsdem reparanda fuerit Ecclesia, vel ejus ornamenta, stipendium dandum Ministris Ecclesiæ &c. & his obligationibus aliunde satisfacere ipse aut non possit aut non velit. Quo modo limitanda est etiam sequens assertio.

Assert. II. Potest Parochus futuras decimas ad suam vitam remittere etiam laicis, vel super ijsdem transigere, absque consensu Superioris. In hac quoque assertione conveniunt DD. sumiturque ex *c. Veniens 8. de Transact. c. 8. ut super de Reb. Eccles. alien. c. de cætero 5. de Transact.* Ratio jam data est: quia hac ratione sibi tantùm & non successoribus præjudicat. Patetque exemplo D. Pauli, qui cùm 1. *Cor. 9. v.* 4. multis comprobâsset, se habere *potestatem manducandi & bibendi*, seu victum exigendi à fidelibus, quibus prædicabat, subjungit v. 12. *sed non sumus usi hac potestate.* Neque in tali transactione ullum periculum Simoniæ est, ut benè notat Suar. *c. 38. n. 6.* quia non agitur de jure spirituali, sed debito solùm temporali. Supponimus autem, Clerico de honesta sustentatione aliunde satis provisum esse, videl. ex alijs reditibus Ecclesiasticis vel ex bonis patrimonialibus; si enim aliunde certam sustentationem non haberet, compositio sine consensu Episcopi

non

non valeret ; ut patet ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. ubi dicitur, quòd Clerici beneficium vel patrimonium, ad quod ordinati sunt, dimittere, & alienare *sine licentia Episcopi nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.* Idem sumitur ex *c. cùm secundùm* 16. *de Prabend.*

309 Assert. III. Possunt à Parochia decimæ, etiam futuræ, integræ ac in perpetuum, cum consensu Superioris remitti, non solùm Clericis, sed etiam laicis : dummodo Clericis aliunde ex reditibus Ecclesiasticis sufficienter provisum sit de honesta sustentatione. Ratio assertionis constat à fortiori ex ijs, quæ dixi *n.* 158. de potestate Pontificis immunitatem à decimis integris etiam Communitatibus concedere valentis. Patet insuper ex eo, quòd etiam laicis jus decimandi concede re potest.

310 Assert. IV. Potest Parochus consentiente Superiore transigere super decimis futuris, ita ut contractus obliget etiam successores. Patet ex *c.* 2. *& 7. de Transact. & c.* 3. *h. t.* ac ex ijs, quæ modò de remissione dixi : si enim remitti & gratis cedi possunt, à fortiori fieri potest transactio ; huic enim essentiale est, ut uterque transigens aliquid retineat, vel acquirat, sicque per eam minus damnum nascitur Ecclesiæ, quam per gratuitam remissionem. Quòd verò ad hanc transactionem requiratur cõsensus Superioris, ratio est : quia est species alienationis. *l.* 1. *§. utrùm ff. si quid in fraud. patron.* alienatio autem rerum Ecclesiæ (quales sunt decimæ) fieri non potest absque debitis solennitatibus, quas inter est consensus Superioris. *tot. tit. de reb. Eccl. alien.* Accedit, quòd licèt successor universalis factum defuncti præstare debeat, & in ipsum regulariter omnes actiones tam passivæ quàm activæ transeant *l. cùm à matre C. de R. V. l. ex qua* 149. *& l. qui in jus* 177. *ff. de R. I.* Successor tamen in dignitate vel officio regulariter non tenetur stare pacto antecessoris, si hoc habeat causam continuam, & successorem obligaret ad aliquid faciendum vel patiendum, ut fit in remissione decimarum, locatione rei Ecclesiasticæ &c. ut cum communi DD. tanquam certum tradunt Covarr. *l.* 2. *var. c.* 15. *n.* 6. Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 36. *à n.* 2. Petr. Barbosa *in l. si filiofam.* 26. *§. fin. ff. solut. matr. à n.* 17. unde ut pactum successores obliget, opus est consensu Superioris, cæterisque solemnitatibus. Quæ à fortiori procedunt de gratuita remissione.

Assert. V. Laicus decimator li- 311
berè decimas remittere potest, & super ijsdem transigere absque consensu Superioris. Hanc assertionem non inveni quidem ab ali-

quo DD. traditam; sed neque reprobatam: cùm solùm agant de decimis Ecclesiæ debitis. Videtur tamen sequi ex dictis; quia sua remissione, vel transactione non præjudicat Ecclesiæ, sed sibi solùm & successori laico. Unde non apparet ratio, cur opus sit consensu Superioris Ecclesiastici. Patétque à fortiori ex eo, quod infrà dicetur, de consuetudine à Laicis jus decimandi liberè transferri testamento, contractu venditionis, permutationis &c. Videantur tamen dicenda infrà *n. 505. & 509.*

312 Quæstio supereſt, an Statuto acquiri immunitas à solvendis decimis possit. Certum imprimis esse videtur, statui à SS. Pontifice posse, ut alicubi Ecclesiæ etiam à laicis non exigant decimas. Hoc enim aliud non est, quàm laicos à decimis privilegio eximere: hoc autem ipsis concedi à Sede Pontificia posse dixi *à n. 155.* Certum quoque est, statuto Principis secularis neminem liberari onere decimarum posse, à quo nec privilegio nec consuetudine vel præscriptione exemptus est, ut patet ex dictis *n.* 166. Pariter denique certum est, etiam Episcopos aliósque Ecclesiæ Prælatos SS. Pontifice inferiores, statutum de non solvendo facere non posse, absque speciali facultate SS. Pontificis, ut à fortiori constat ex *dictis n.* 164. Itaque dubium duntaxat est, an Principes seculares statuere possint, ne solvantur decimæ, ubi consuetudo viget eas non solvendi. Hujusmodi statutum in Hispanijs à Carolo V. & in Gallijs à Philippo Pulchro seu IV. factum esse testatur, & approbat Covarr. *l. var. c. 27. n. 8. v. 9. & c. 35. qq. pract. n. 2. v. 4.*

313 Assert. VI. Statutum secularium Principum prohibens Clericis, ne à laicis exigant decimas, quæ vi consuetudinis solvi non solent, præjudicat immunitati Ecclesiasticæ, estque invalidum, nisi SS. Pontificis auctoritate firmetur. Ita Azor *p. 1. l. 7. c. 26. q. 3.* Raph. Turrian. *in 2. 2. q. 87. art. 1.* Delbene *c. 8. Immunit. Eccl. dub. 29. sect. 1.* ac passim alij. Ratio est: tum quia Clericis nihil possunt præcipere, ut omnes Catholici DD. tradunt, & latè demonstrat Suar. *tot. l. 4. de fens. Fid.* tum quia de decimarum jure, utpote quod spirituale est, statuere nihil possunt. Neque valet, siquis dicat, laicos solùm præcipere, ut consuetudo legitimè præscripta servetur; hoc verò esse æquissimum, cùm omni jure constitutum sit, consuetudinem receptam valere, vimque legis habere. Nam R. hinc solùm probari, æquum esse, ut talis consuetudo non violetur, posséque Principes laicos invigilare, ut violatio non fiat, deferendo rem ad Ordinarios, SS. Pontificem &c. non verò, quòd Clericis percipere possint, ut contra eandem non agant. Talia enim præcepta dare, solius Ecclesiastici

Su-

Superioris est. Neque obstat Jus nostrum Patrium *tit.* 28. *art.* 14. *&* 16. uti enim advertit Jllustriss. D. Schmid *ad cit. tit. a.* 1. *n.* 1. est illud quidem decisivum quoad decimatores laicos, at verò quoad Ecclesiasticos solùm declaratorium.

QUÆSTIO II.

Quali pacto acquiratur immunitas à solvendis decimis.

SUMMARIUM.

314. *Gemina quæstio, una de solemnitate, altera de pretio interveniente, proponitur.*
315. *Absque consensu SS. Pontificis componi cum laicis absque justa compensatione non potest, ut decimas non solvant.*
316. *Aut, ut solvant minorem partem.*
317. *Potest cum laico super decimis futuris fieri transactio cum consensu Episcopi.*
318. *Occurritur contrarijs.*
319. *Item super modo, loco, ac tempore solvendi.*
320. *Absque consensu SS. Pontificis Clericis gratuitò vel integræ vel ex parte remitti nequeunt.*
321. *Potest cum consensu Episcopi transactio vel compositio non gratuita cum ijsdem fieri.*
322. *Ad transigendum super decimis requiritur ea solemnitas, quæ ad aliendas res Ecclesiæ.*
323. *Rationes opinantium, pretium intervenire non posse absque Simonia.*
324. *Posse intervenire statuitur.*
325. 326. 327. 328. *Et multiplici ratione probatur.*
329. 330. *Solvuntur rationes oppositæ.*
331. *Si perit, quod Ecclesiæ datum est pro decimis, ipsi perit.*

314 HActenus solùm statui, posse pacto acquiri hanc immunitatem. Restat declarandum, quid requiratur, ut pactum sit validum & licitum. Duo in controversiam veniunt. I est, quæ solemnitas ad compositionem vel transactionem, quæ fit super decimis non solvendis, requiratur? Alterum, an possit intervenire pretium? Primam quæstionem difficilem reddunt *c. 2. & c. 8. de Transact.* sibi, ut videri potest, contraria: nam primo traditur, compositionem

nem super decimis factam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi, ratam & inconcussam persistere; altero habetur, transactionem super ijsdem factam non consistere, nisi confirmata sit auctoritate SS. Pontificis. Cæterùm hîc sermo non est de transactione solùm ad vitam decimatoris valiturâ; hanc enim absque ullo consensu Superioris fieri posse, diximus *n.* 308. eâ tamen solùm ratione, quam ibidem in fine addidimus. Neque hîc loquimur de decimatore laico: cùm enim iste fructus decimales percipiat instar aliorum reddituum temporalium, non est ratio, cur ad eos alienandos opus habeat consensu Superioris, juxta dicta *n.* 311.

315 Assert. I. Parochi, aliique Decimatores Ecclesiastici non possunt cum laicis componere absque consensu SS. Pontificis, ut decimas omnino non solvant: saltem si justa compensatio non fiat. Ita decidit Rota Rom. teste Aug Barbos. *in c. 8. de Transact. n. 2.* & traduntRebuff. *q. 13. n. 36. & 39.* Moneta *c. 5. n. 135.* Suar. *c. 51. n. 10.* Azor *cit. c. 26. q. 3. §. deinde.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 6. n. 2.* aliique. Patet assertio ex *cit. c. 8. de Transact. c. 8. de Constit. util. & c. 1. 16. q. 7.* Ratio est: quia Episcopus neque Clericos à decimarum onere absolutè & in perpetuum eximere potest, cùm descendat ex Jure universali Canonico, quod Episcopus remittere non potest, ut patet ex dictis *n. 164.*

Assert. II. Non potest absque 316
consensu SS. Pontificis cum laicis fieri compositio gratuita, & remissio decimarum, quoad quotam, ut loco decimæ solvant v. g. duodecimam, aut vigesimam partem, aut ut ex certis fructibus non solvant. Ita communissima DD. Ratio modò data est: quia lex de integris decimis & ex omni genere fructuum solvendis est universalis Ecclesiastica: legi autem universali derogare nequit Prælatus SS. Pontifice inferior, nisi ab hoc speciale habeat privilegium.

Assert. III. Potest cum con- 317
sensu Episcopi transactio seu compositio non gratuita fieri cum laico super decimis futuris. Huic assertioni repugnant aut certè repugnare videntur Andr. aliique antiqui *in cit. c. c. de Transact.* Suar. Azor, Barbos. *ll. cc.* ac passim alij. Eam tamen tenent Gloss. *in cit. c. 3.* Decius *in cit. c. 8. de Constit. util.* Delbene *l. c. n. 6.* Laym. *in cit. c. 3. n. 1.* Et videtur id statui *cit. c. 3.* ibi *Statuimus, ut si super decimis inter vos & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui compositio facta fuerit, rata & inconcussa persistat:* cùm Pontifex ibi alloquatur laicos, ut cum Hostiensi *ibid.* notant Glossa, Imola, & Boich. *in c. Ex litteris de Transact. n. 11.* ac alij. Unde concedit Panorm. *ibid. n. 7.* posse cum consensu Episcopi transigi, si jus Ecclesiæ est dubium, v. g. si dominus

nus fundi allegat paupertatem, aut si dubium est, an immunitatem præscripserit, vel an privilegium, quod allegat, ad hunc vel illum casum se extendat: aut si privilegium est certum, allegat tamen Ecclesia, se graviter inde lædi, etiamsi enormis læsio non sit dubia, sed certa. Unde idem *cit. n.* 7. absolutè asserit, posse compositionem fieri, etiamsi privilegium exemptionis sit certum. Idem est tenendum de casu, quando certum quidem est, dominum fundi obligari ad decimas, expedit tamen Ecclesiæ compositionem facere, ut loco earum sibi inposterum certa aliqua quantitas vel fructuum vel pecuniæ solvatur, erigatur aliquod beneficium, aliáve compensatio fiat, ut tradit Rebuff. *q.* 13. *n.* 36. atque ita tenere DD. *in c. 6. de rer. permut.* Moneta *c. 5. n.* 124. ac re ipsâ ut existimo, alij omnes: dum enim ajunt, in compositione super decimis non sufficere consensum Episcopi, videntur solùm loqui de casu, quando gratuitò & absque utili compensatione remitterentur integræ decimæ, aut earum aliqua pars. Ratio dictorum est: quia ad alienationem rerum Ecclesiæ regulariter non requiritur consensus SS. Pontificis, sed sufficit Episcopi. *c.* 1. *de r. r. permut. c.* 41. 12. *q.* 3. *c.* 40. 17. *§.* 4. *c.* 8. *§. ult. de reb. Eccl. alien. c.* 7. *&* 8. *de his, quæ fiunt à Prælato.* Cùm ergo circa dictam transactionem Jure sacro nihil peculiare statutum sit, poterit illi Episcopus auctoritatem præstare.

Neque obstat *c.* 8. *de Transact.* 318
ubi ad transactionem super decimis videtur requiri consensus SS. Pontificis: nam in casu illius decretalis vel agebatur de gravi præjudicio, hoc est, solvenda solùm tertia parte loco decimæ, vel quia nulla causa intererat utilitatis, necessitatis &c. uti explicant Moneta *l. c. n.* 127. Barbosa *in cit. c.* 2. *n.* 3. *& l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 26. *n.* 25. Pariter non obstat *c.* 8. *de Confirm. ut.* quia ibi ad amicabilem super decimis compositionem requirebatur confirmatio Sedis Apost. ex speciali conventione partium, ut vid. illa peteretur, & conventio tunc primùm executioni mandaretur. Denique non obstat *can.* 1. 16. *q.* 7. quia ibi agitur non de immunitate laicorum à decimis, sed de jure decimandi ijsdem ab Episcopis vel Regibus concesso: vel si etiam de immunitate sermo est, illa solùm intelligitur, quæ sine causa, utilitate Ecclesiæ, aliisque solemnitatibus laico conceditur. Hinc absolutè dicendum videtur, posse Episcopum auctoritatem transactioni vel compositioni præstare, etiamsi agatur de omnimoda immunitate laico concedenda; modò solemnitas, quæ ad alienationem rerum Ecclesiæ requiritur, intercedat, & compensatio Ecclesiæ aliunde fiat, unde Asserr. 1. addidi, *saltem si justa compensatio non fiat.* Quod etsi

etsi DD. omittant, & absolutè tenere videantur, auctoritate Episcopi laicos nunquam acquirere posse immunitatem à decimis, videntur tamen intelligendi solùm de casu gratuitæ remissionis, vel alterius cessionis, quæ in detrimentum Ecclesiæ vergeret. Hinc non admitto, quod ait Suarez *cit. l. 4. c. 51. n. 10.* ad transactionem super decimis cum laico necessariam esse Pontificiam confirmationem ex speciali Juris dispositione: neque enim id probant Jura, quæ adducit. Quando verò dicitur, neminem, nisi Papam, posse exemptionem dare à decimis, per compositionem verò dari exemptionem: Respondetur, tunc solùm esse exemptionem, si compositio est gratuita; non verò, si Ecclesiæ fit justa & utilis compensatio; sic enim nihil ipsi decedit: neque laicus, cum quo componitur, re ipsa est exemptus; etsi enim decimas non det formaliter, & in specie, ut loquuntur, dat tamen in æquivalenti.

319 Assert. IV. Potest cum laicis fieri transactio cum consensu Episcopi super modo, loco, & tempore solvendarum decimarum. Ita tradunt Gloss. Innoc. & Dec. *in cit. §. de Transact.* Rebuff. *q.* 13. *n.* 29. Moneta *c.* 5. *n.* 125. Fagundez *in præcept. Eccl. 5. l. 3. c. 3. n.* 18. Barbosa *de offic. Par. c.* 28. §. 4. *n.* 24. & *l. 3. Jur. Eccl. c.* 26. *n.* 24. Delbene *l. c. n.* 6. ac passim alij. Patet à fortiori ex dictis: quia sic non patitur damnum Ecclesia, vel hoc ipsi, ut ponimus, à fundi domino compensatur.

Assert. V. Absque consensu SS. 320
Pontificis Clericis gratuitò remitti non possunt decimæ vel integræ vel ex parte. Hæc quoque conclusio est communis DD. Ratio est: quia talis remissio foret privilegium non solvendi; hoc autem 322
nem o SS. Pontifice inferior concedere potest, ut patet ex dictis *n.* 164.

Assert. VI. Cum consensu Episcopi 321
potest inter Clericos fieri transactio super decimis, & compositio non gratuita, ut minor pars, quàm decima, solvatur, vel ut ex certis fructibus nihil solvatur. Ita tenet communissima DD. & patet ex *c. 3. & 8. h. t.* ac notant ibi Panorm. aliique. Quin juxta dicta *n.* 318. asserendum est à fortiori, posse Clericum auctoritate Episcopi omnino liberari obligatione solvendi decimas, si has Ecclesiæ, cui debentur, aliunde compenset. Requiri verò consensum Episcopi ad transactionem & compositionem, quam etiam Clerici inter se ineunt, extra dubium est, cùm notum sit, non posse super juribus suæ Ecclesiæ Rectores privatâ auctoritate inire pactum, quo etiam successor obligetur, ut diximus *n.* 310. Minorem verò causam vel utilitatis vel necessitatis ad hanc inter Clericos compositionem requiri, quàm quæ requiritur ad compositionem cum laicis, forsan rectè dixerimus: tum

quia

quia Jura & DD. universim faciliùs concedunt transactionem Clericis inter se, quàm cum laicis; tum quia per transactionem inter Clericos decimæ non subtrahuntur Ecclesiæ & Clero, sicut subtrahuntur per transactionem cum laicis, sed solùm ab una Ecclesia & Clerico transferuntur in alium.

322 Assert. VII. Ad transactionem super decimis faciendam, sive cum alia Ecclesia, sive cum laico, præter consensum Episcopi requiritur universim ea solemnitas, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ intervenire debet: cùm transactio sit alienatio. Ita communis DD. quos cum pluribus Rotæ decisionibus allegat Barbosa *l. 3. Jur. Eccl. c. 30. n. 40.* Hinc in majoribus Ecclesijs requiritur tractatus & consensus Capituli, in Ecclesijs exemptis consensus SS. Pontificis, & in transactione, quam faciunt Regulares, licentia S. Congregationis Concil. Trid. juxta ea, quæ fusiùs tradi solent ad *tit. 13. l. 3. Decret.* Porro nomine Episcopi Rebuffus *l. c. n. 23.* Fagundez *cit. c. 2. n. 2. & 3.* ac Barbosa *cit. c. 26. n. 25.* intelligunt etiam Vicarium Generalem. Illi quoque hoc nomine veniunt, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem. Ex quo Lud. Engel *h. t. §. 3. n. 15.* bene infert, posse Abbates consensum præstare quoad decimas Parochiarum suis Monasterijs pleno jure incorporatarum, cùm juxta Innoc. & Panor. *in cit. c. 2. de Transact.* ac communem aliorum per talem incorporationem acquirant Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut inter alia etiam auctoritatem in alienatione rerum ad hujusmodi Ecclesias pertinentium interponere valeant.

Restat expediendum dubium, 323
an in transactione super decimis intervenire possit pretium seu res temporalis. Negant Imola *in c. ult. de rer. permut. n. 9. & 10.* Panorm. *ibid. n. 4.* Rebuff. *q. 13. n. 36.* & Canis. *c. 17. n. 18. in fin.* aliique multi. Movetur Canisius *c. 2. de Transact. & c. 3. h. t.* sed neutro quidquam habetur, quod ad rem præsentem faciat, ut consideranti patebit. Movetur II. *c. fin. de rer. permut.* ubi reprobatur laudum, quô pronuntiârant arbitri, desistendum Abbati S. Martini in Hungaria *à petitione decimationum*, si Præpositus Albanensis (cum quo erat lis) *obtineret decem millia solidorum Regalium à Rege Hungariæ concedi Monasterio memorato.* Ratio additur: cùm permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur. Verùm, ut benè monet Moneta *c. 5. n. 130.* & Glossa ac DD. *in cit. c.* aperte supponunt, ibi non agitur de imunitate à decimis, sed de jure eas colligendi; quia agitur de decimatione, at decimatio est perceptio decimarum: neque enim decimat, qui decimas non solvit, sed, qui accipit. Moveri possunt III. *c. 7. de Transact.* ibi: *tale damus*

responsum, quòd transigi super re sacra & litigiosa non potest: etenim res sacræ ut possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem credimus habere Simoniæ. Atqui decimæ sunt res sacræ, ut tradunt Glossa & Panorm. *in c. litteras de rest. spol.* Rebuff. *l. c. n. 38. & 39.* ac passim alij. Verùm, etsi jus decimandi sit spirituale, non tamen spiritualis est immunitas à decimis. Moveri possunt IV. *c. 25. h. t.* ubi dicitur, quòd *Cùm laicis nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas, Imperialis potestas, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere.* Igitur eximere à solutione decimarum pertinet ad potestatem spiritualem, & consequenter hæc exemptio est spiritualis, ac pretio non comparabilis. At falsa est ultima sequela: non enim ideò sæcularis Princeps ab onere decimarum eximere non potest, quia exemptio est spiritualis: sed quia in lege Ecclesiæ, qualis est lex de decimis, dispensare, & jura ejusdem diminuere nequit.

324 Assert. VIII. Potest super decimis non solvendis transactio fieri pro pretio. Hanc assertionem satis probabilem existimat Engel *l. c. n.* 16. & absolutè eam tenent Germon. *de Sacror. immun. l.* 3. *c.* 14. *n.* 42. *& 74.* Moneta *c. 5. n.* 130. idémque re ipsâ sentit Suar. *c. 38. n.* 6. Mihi videtur probabilissima & necessariò tenenda ab ijs, qui admittunt, laicos posse acquirere immunitatem à decimis per consuetudinem, & præscriptionem: hoc autem admittunt plerique, ut patet ex dictis *n.* 260. *&* 291. nam si hæc immunitas concedi pro pretio non posset, tunc ideò, quia esset jus spirituale; atqui si tale sit, nec consuetudine nec præscriptione laicis acquiri potest. Ergò cùm his modis acquiri possit, spiritualis non est, & sic non est ratio, cur pretio comparari non possit. Ex his igitur assertio

Probatur I. Ista transactio nec est Simoniaca, nec aliunde prohibita, ergò validè & licitè fit. Quòd non sit Simoniaca, constat ex eo, quia immunitas non solvendi non est aliquid spirituale. Quòd aliunde vetita non sit, patet, quia nullum Jus produci potest, quo prohibeatur: illi verò textus, qui producuntur, nihil probant, ut ostendi *n.* 323.

Probatur II. & explicatur præcedens ratio. Per hanc transactionem domino fundi solùm conceditur, ut fructus suos possit retinere, & non teneatur inde aliquid solvere; cùm ergò fructus sint aliquid merè temporale, non est ratio, cur obligationem eos solvendi pretio redimere non possit. Neque apparet, quid plus sit, nondum solutos redimere, quàm solutos Ecclesiæ ab eadem emere. Hoc autem posterius absque controversia licitum est.

Con-

327 Confirmatur I. Possunt decimæ præteritæ seu decursæ Ecclesijs compensari pecuniâ, ut fatentur Panorm. *l. c.* & Imola *l. c. n. 9. Cùm satisfactio illa*, ut ait, *in effectu habeat fieri pro re temporali.* Neque credo, hoc negari ab alijs: quid enim interest, fructus in natura solvantur decimatori, an pecuniâ compensentur? atqui eadem est ratio de decimis futuris; nam solùm pro fructibus posthac solvendis datur nunc prædium v. g. aut certa aliqua summa fructuum vel pecuniæ, æquivalens fructibus successivè solvendis.

328 Confirmatur II. Transactione se liberare onere solvendi decimas, nihil est aliud, quàm emere fructus, quos solvere in posterum deberem ex meo fundo. Atqui fructus nascituri emi possunt *l. 8. §. 1. ff. de Contrah. empt.* quemadmodum pignerari *l. 15. ff. de pignor.* legari *l. 24. ff. de legat.* ac per stipulationem promitti *l. 73. §. 4. ff. de V. O.* Possum quoque rem meam emere sub conditione & in eventum, ubi mea esse desierit. *l. 61. ff. de contrah. empt.* quia contractus fieri intelligitur non tam pro eo tempore, quo re verâ fit, quàm eo, in quod confertur. *l. 39. ff. de manum. testam. & l. 4. C. de don. propt. nupt.* Cùmque fructus sint temporales, ac præter ipsos nihil in contractùm veniat, quod sit spirituale, consequens est, emptionem non esse Simoniacam.

Hinc non valet, quòd dicunt: 329
Parochus, si accipit pecuniam pro immunitate, vendit jus decimandi: atqui hoc jus est spirituale. Nam N. ma. Vendit enim solùm fructus nascituros, & loco eorum aliud temporale accipit. Nam si venderet ipsum jus, transferri hoc deberet in emptorem: at non transfertur, sed fundi dominus vi compositionis, solùm retinet integros suos fructus, redimítque eam partem, quam aliàs decimarum nomine solvere deberet. Ipse verò decimator jus illud re ipsâ retinet, dum vi ejusdem retinet, quod loco decimarum ratione contractûs ipsi solutum aut solvendum est. Unde nemo dicit, quòd Beneficiatus vendat vel locet jus spirituale percipiendi reditus Beneficiales, si cum Colono v. g. alióve horum reditu debitore paciscatur, ut jam nunc certam pecuniæ vel frugum quantitatem pendat loco canonis vel pensionis annuatim solvendæ: cùm hoc non sit abdicare & transferre jus, sed tantùm ejus materiam (quæ merè temporalis est) & objectum mutare.

Igitur argumentum adversario- 330
rum retorqueri potest in compositione super decimis præteritis: si enim per compositionem super decimis futuris *convenitur de jure decimarum, quod spirituale est, tollendo*, ut loquitur Imola *l. c.* tunc etiam per compositionem super decimis præteritis agitur de jure

spirituali tollendo: cùm Ecclesia æquale jus habeat ad decimas præteritas & futuras, éstque hoc jus spirituale etiam quoad præteritas, & æquè impeditur per unam quàm per alteram transactionem; nam sicut vi compositionis super futuris non potest in futurũ aliquid petere, ita nec præteritæ peti possunt, si super ipsis facta est transactio. Atqui transactio super præteritis non tollit jus decimandi, & sic non excludit pretium; ergò nec illa, quæ fit super futuris.

331 Dubium hîc quidam Canonistæ movent, an si prædium datum Ecclesiæ pro decimis, chasmate seu terræ hiatu, aut flumine alveum mutante, pereat, possit illa non obstante compositione eas postea petere, donec alia compensatio fiat. Affirmant Imola *l. c. n.* 11. & Germon. *l. c. n.* 45. Hæsitat Moneta *cit. n.* 130. Negant, & bene, Cyn. *in l. 2. C. de Jure Emph.* Panorm. *l. c.* Barth. Brixiens. Joan. Andr. ac alij. Quia proprietas prædij transijt in Ecclesiam, & sic res ipsi perijt, servatúrque hac ratione æqualitas; si enim mihi fundus, super cujus immunitate compositionem feci, simili modo periret, non possem prædium repetere, quod pro immunitate dedi. Quòd autem potiùs Ecclesiæ res sua perierit, quàm mihi mea, per accidens est.

PARS III.

De Subjecto Decimarum.

CAPUT I.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus Decimæ debentur Jure communi.

QUÆSTIO I.

An Decimæ debeantur SS. Pontifici?

SUMMARIUM.

332. Deci-

332. *Decimæ Jure communi solis Clericis debentur.*
333. *SS. Pontifici debentur de omnibus bonis Ecclesiasticis & ab omnibus Clericis.*
334. *Loco earum accipit Annatas. Quas aliqui malè & imperitè impugnant.*

332 DEcimas naturâ suâ & institutione deberi Clero ad ipsius sustentationem, & ad omnes expensas necessarias ad Ecclesiæ, Divinique cultûs ministerium, certa omnium DD. sententia est, & patet ex *tot. tit. de Decim. ac cauſ.* 12. *q.* 1. *ac* 2. *c.* 1. *& cauſ* 16. *q.* 7. Pariter certum est, non tantùm Catholicis omnibus DD. consentientibus, sed etiam Heterodoxis, quos infrà contra præscriptionem laicorum producam, eas deberi soli Clero, nec posse ullâ ratione competere laicis, prout sunt merè Ecclesiasticæ, seu fundatæ in titulo primævo; hic enim cùm sit officium sacrum, & hoc exhibere nequeant laici, apertum est, quòd isti capaces earum non sint, nisi quando à titulo & jure spirituali avulsæ, & fructus merè temporales sunt. Igitur cùm hîc de ijsdem loquamur, solùm ut debentur Jure communi, hoc verò Jure debeantur titulo solùm spirituali, idcircò solùm de Clericis sermo nunc esse poterit. Dubium verò est, quibus Clericis debeantur. Ante omnes agendum est de universali Pastore & Clericorum omnium ac Ecclesiarum Parocho, SS. Pontifice.

333 Assert. Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur SS. Pontifici solvere decimas de omnibus bonis Ecclesiasticis, si eas exigat. Certa est assertio ex *Clem. fin. h. t. Extravag. comm. un. eod. & Concil. Constant. Sess.* 43. ubi additur modus & causa eas exigendi. Probat S. Thom. 2. 3. *q.* 87. *a.* 4. *ad* 3. exemplo veteris Testamenti: nam *Num.* 18. præceptum erat Levitis, ut summo Sacerdoti decimam decimæ penderent. Ratio, quæ pro summo Sacerdote pugnabat in Veteri Testamento, à fortiori militat pro summo Sacerdote Novæ Legis, ut patet ex dictis *n.* 40. Ratio verò est. I. Quia est Pastor omnium fidelium, & in Petro ipsi dictum est, etiam respectu Episcoporum, *Pasce oves meas*. II. Quia est supremus administrator bonorum omnium Ecclesiasticorum. Quando igitur bonum Ecclesiæ postulat, potest ex illis partem aliquam ad hunc finem applicare. III. Quia est supremus Princeps in spiritualibus: unde sicut Princeps sæcularis potest imponere tributa ad bonum publicum necessaria, ita Papa non solùm ab Ecclesiasticis personis, ut ait Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 39. *n.* 28. sed etiam ab omnibus Christianis eam contributionem potest exigere, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum: quo nomine olim

in Anglia singuli modicum censum SS. Pontifici pendebaut, quem S. Petri denarium dicebant. Ratio ulterior est; quia non minus potestatis habet in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ, quàm Princeps sæcularis ad tuendum bonum temporale suæ ditionis.

334 Hac tamen potestate neque in Ecclesiasticos utitur, nisi necessitas id exigat, ut praxis docet: sed loco decimæ quotannis pendendæ, in Beneficijs majoribus solet exigere fructus unius anni pro toto tempore vitæ, quos *Annatas* dicunt; jmò neque has integras, sed sæpe vix decimam fructuum annuorum partem. Harum usum esse antiquum docent Panorm. & Joan. Andr. *in c. 15. de off. Jud. ord.* Card. de Luca *de Benef. disc. 89. n. 2.* ait introductas esse antiquissimo ac immemorabili Ecclesiæ usu. Paulus IV. *Const. 17. §. 1.* earum exactionem dicit esse antiquissimam. Fusè de illis agunt Azor *tom. 2. l. 2. c. 12.* Eckius, Academiæ nostræ illustre decus, & veræ fidei validissimus & acerrimus propugnator, *in Enchirid. loc. com. tit. de Annatis*, Bellarm. *Contra Regem Angliæ c. 6.* Thom. Compegius *de Annat. institut.* Filiucius *tom. 3. tr. 41. c. 6. n. 54.* Fagnanus *in c. Præterea 1. Ne Præl. vic. suas à n. 6.* ubi de jure Pontificis in *Annatis* exigendis disputat per rationes, ut ait Card. Pallavic. *Hist. Conc. Trid. l. 2. c. 8. n. 5. adeò & facto & jure firmatas, ut quicunque ausit in posterum dentes exerere, quibus mordeat, simul oporteat carere sensu, quo percipiat.*

335

QUÆSTIO II.

An Episcopis debeantur Decimæ?

336

SUMMARIUM.

335. *Episcopus olim distribuit decimas inter Clericos.*

336. *Debentur Episcopo decimæ propriæ Ecclesiæ Cathedralis, & Parochiarum suæ Sedi incorporatarum.*

337. *Et ex prædijs, quæ non sunt in certa Parochia.*

338. *Decimæ, quæ sunt Ecclesiæ Cathedralis, inter ipsum & Canonicos dividuntur.*

339. *Jus habet ad quartam partem omnium decimarũ suæ Diœcesis. Quæ tamen hodie ferè nullibi in usu est.*

340. *In defectum Parochi potest nomine cujusvis Parochiæ agere ad consequendas decimas.*

Pri-

335 PRimis Ecclesiæ temporibus Parochis, aliisque Ecclesiæ Ministris nondum certa decimarum pars erat assignata, sed Episcopi fuit eas distribuere, ut tradit S. Clem. Rom. *l.* 2. *Constit. c.* 25. & patet ex *can.* 16. 19. 24. 26. *& seqq.* 12. *q.* 1. *& q.* 2. *can.* 25. *& seqq.* nec non *can.* 1. *&* 3. 16. *q.* 7. Postmodum earum distributio universali vel lege vel consuetudine facta est, & singulis Parochijs certa pars attributa, illa videlicet, quæ ex fundis intra fines Parochiæ sitis colligebatur: ita tamen ut nomine Cleri singularum Ecclesiarum non comprehenderentur solus Parochus aliique Clerici inferiores, sed etiam Episcopus, cùm hic ad Clerum uniuscujusque Ecclesiæ pertineat, utpote ejus Caput & Prælatus, ac per consequens etiam ipsi debentur decimæ in singulis Parochijs, uti notant Abul. *in c.* 23. *Matth. q.* 176. & Panor. *in c.* 29. *h. t. n.* 7.

336 Assert. I. Episcopo debentur decimæ Parochiæ ipsius propriæ, seu Ecclesiæ Cathedralis. Ita cum Gloss. Panor. Butr. ac alijs *in cit.* 29. *h. t.* Tyndar. *de decim. n.* 68. Rebuff. *q.* 7. *n.* 7. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 9. Moneta *c.* 7. *n.* 7. ac alij. Ratio patet: quia est immediatus Parochus illius Ecclesiæ: Parochis autem debentur decimæ suarum Ecclesiarum. Hinc limitant assertionem Rebuff. & Azor *ll. cc.* ajúntque, si alius esset curatus Ecclesiæ Cathedralis, huic, & non Episcopo illas deberi. Quod verum utique esset, si ille alius foret verus Parochus, & non merus Episcopi Vicarius. Eadem porro est ratio de alijs Ecclesijs, si fortè earum immediatus Parochus est Episcopus, eásque per Vicarios administrat.

Assert. II. Episcopo debentur 337
decimæ ex prædijs, quæ non sunt in certa Parochia. Patet ex *c.* 13. *h. t.* & tradunt ibi Gloss. ac Panor. *n.* 3. *& 4.* Colligitur quoque ex *c.* 29. *&* 31. *eod.* Estque non semel decisum à Rota Rom. teste Barbos. *de off. Par. c.* 38. §. 2. *n.* 14. Ratio est; quia si prædium in certa Diœcesi, non tamen in certa Parochia situm est, proprius ac immediatus ibi Parochus est solus Episcopus.

Assert. III. Si decimæ titulo do- 338
nationis, dotis, permutationis &c. vel præscriptione, Ecclesiæ Cathedrali debentur, Episcopus in illis fundatam de Jure communi intentionem habet. Ita Rebuff. *l. c. n.* 13. Azor *l. c.* Moneta *n.* 13 Sumitur ex *c.* 31 *h. t.* Benè tamen ijdem monent ex *c. ult. de off. Cust.* inter Episcopum & Fratres dividendas esse. Fratres Episcopi sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis. *c.* 4. *de his, quæ fiunt à Prælat.*

Assert. IV. Spectato Jure com- 339
muni quarta pars omnium decimarum debetur Episcopo. Ita contra Glossam *in c.* 29 *h. t.* docent Hostiens. *in c.* 31. *h. t.* Panor. *in c.* 4. *de præscript. n.* 2. *& in c.* 29. *h. t. n.* 7. Innoc. *in c.* 5. *de Testam.* Tynd. *h. t. n.* 71.

*n.*71. Rebuff. *q.*7. *n.*11. *& q.*3. *n.*14. Suar. *c.*28. *n.*9. Canis. *c.*12. Wames. *tom.*1. *conf.* 79. *n.* 4. Moneta *l. c. n.*14. Laym. ac alij: idque bene deducunt ex *c.* 16. *de Off. Jud. Ord. c.*13. *&*31. *h. t.* ac præcipuè ex *cit. c.* 4. *de præscript.* ubi supponitur, quartam decimarum ad Episcopum Jure comuni pertinere, cùm ibi præscriptio contra eam non concedatur, nisi quadragenaria: quanto tempore opus non foret, nisi Episcopo Jus commune assisteret, & resisteret præscribenti. Statuta est hæc quarta decimalis ad exemplum legis Mosaicæ *Num.* 18. vi cujus Levitæ de suis decimis Sacerdotibus decimas pendere debebant. Ratio statuendi erat; tum quia Episcopo æquè ac alijs Clericis, & quidem majori ratione, debetur congrua & digna sublimi ejus gradu sustentatio; tum quia est Pastor universalis in sua Diœcesi, & quidem immediatus omnium Parochorum. Unde à veritate alienum est, quod asserit Bern. van Espen *p.*2. *Jur. Eccl. tit.*33. *c.*3. *n.*10. antiquitus quidem, antequam Ecclesia possessionibus ditata esset, quartam omnium proventuum Ecclesiasticorum ad Episcopum spectâsse; at hodie in decimis Parochialibus nec de Jure communi, nec de consuetudine, eis deberi aliquam portionem. Quod ait Jure scripto non deberi, falsum est; verum duntaxat, quod ait de consuetudinario: nam quemadmodum juxta *cit. c.* 4. huic quartæ præscribi potest, ita hodie in plurimis Diœcesibus vel consuetudine, vel præscriptione, vel ultronea Episcoporum cessione sublata est; quia aliunde ipsis sufficienter provisum est, partim ex decimis, quas in aliquot Parochijs ferè totas soli percipiunt, partim ex alijs reditibus. 341

Ex dictis consequens est, quod 340 traduntRebuff. *q.*7. *n.*12. Suar. *l. c. n.* 10. Laym. *l.*4. *tr.*6. *c.*4. Monet. *n.* 16. posse Episcopum nomine cujusque Ecclesiæ parochialis ad consequendas decimas in defectum Parochi agere: tum quia est Prælatus & Principalis Minister omnium Beneficiorum; tum quia ex singulis aliqua ipsi portio debetur. 342

QUÆSTIO III.

An omnibus Clericis Beneficiatis debeantur Decimæ?

SUMMARIUM.

341. *Opinio quorundam, decimas ad solos Clericos Curatos pertinere.*

342. 343. *Debentur ex Justitia omnibus Clericis Beneficiatis.* 343

344. *Non*

344. *Non obstant Jura in contrarium adduci solita.*
345. *Jus decimandi præcipuè ac primariò pertinet ad Parochum.*
346. *Habet ipse fundatam in Jure intentionem adversus quemcunque alium possessorem.*
347. *Consectaria traditæ doctrinæ.*

141 DEcimas pertinere ad solos Parochos, eósque, qui curam animarum habent, opinio est S. Thomæ 2.2. *q.* 87. *a.* 3. *in C.* Caiet. *ibid.* Gloss. *in c.* 29. *h. t.* Sylvest. *V. Decima n.* 9. Barbos. *l. c. n.* 3. ac aliorum. Rationem dant: quia decimæ debentur ministrantibus sacra; hæc verò ab illis solùm ministrantur, qui ex officio habent curam animarum. Aliqui distinguunt, & dicunt, eas ex Justitia deberi solis illis, qui habent curam animarum; reliquis verò Clericis solùm ex Charitate, & Religione propter præceptum Ecclesiæ.

142 Assert I. Clericis omnibus Beneficium habentibus decimæ ex Justitia debentur. Ita Aragon. *in* 2.2. *q.* 87. *a.* 1. *&* 3. Valent. *ibid.* Sot. *l.* 9. *de Iust. q.* 3. *a.* 1. *&* 3. Suar. *c.* 28. *n.* 2. *&* 12. *& c.* 29. *n.* 3. *&* 4. alijque RR. Probatur I. Illis omnibus ex justitia debentur decimæ, qui habent jus spirituale, in quo hoc debitum fundatur: atqui omnes Beneficiati tale jus habent. Mi. prob. quia jus, quod habent Beneficiati, est jus percipiendi fructus & reditus Beneficiales; hi verò maximè consistunt in decimis.

143 Probatur II. & declaratur præcedens ratio. Omnes Beneficiati sunt veri Ministri Ecclesiæ, ergo ex justitia debetur ipsis sustentatio ex decimis. Antecedens patet: quia Ecclesiæ & Populi Ministri non tantùm sunt illi Clerici, qui Sacramenta administrant, & Verbum Dei prædicant; sed ij quoque, qui titulo Beneficij & ex officio Altari ac Choro inserviunt. Conseq. probatur I. ex *c.* 22. *h. t.* ubi absolutè dicitur: *Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Et *c.* 26. asseritur, *cùm Deo debita sit solutio decimarum*, laicos esse cogendos *ad eas Clericis exhibendas. C.* 21. supponitur, eas Canonicis in sua Ecclesia esse debitas. Denique id probant antiqui Canones, qui in divisione decimarum disposuerunt, ut quarta pars non solùm Parochis daretur, sed Presbyteris, Diaconibus, & Clero divideretur, ut dicitur *c.* 63. 16. *q.* 1. Eadem ferè habentur *c.* 1. 16. *q.* 7. Probatur eadem conseq. II. Ecclesia Beneficiatis etiam non curatis, sustentationem, quæ ipsis debetur vi Beneficij, assignavit ex decimis, æquè ac Parochis; facta autem semel hac assignatione & præcepto Ecclesiæ, debentur ipsis ex Justitia, ut dixi *n.* 42. sicut ex eadem debentur Parochis post factam Parochiarum divisionem.

Probatur III. Populus Christianus obligatur non tantùm Sacramenta suscipere, sed etiam Sacrificium offerre, Deúmque publicè colere ac laudare. Unde non tantùm tenetur alere Ministros, qui habent curam animarum, sed etiam alios, qui Deum per Sacrificia, aliisque varijs modis publicè & nomine populi colant. Hinc naturalis ac divina obligatio Justitiæ, quam is habet ad alendos sacros Ministros, non est ex se limitata ad Parochos (licèt quoad hos majori quâdam ratione urgeat) sed extenditur universaliter ad omnes illos, qui ex destinatione Ecclesiæ & ex officio Divina peragunt.

344 Neque obstat, quòd Jura non pauca videntur solis Parochis tribuere jus decimandi: non enim dicunt, solvendas esse Parochis, sed Parochijs, præcipuè *c.* 29. *h. t.* ubi dicitur; *quòd perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat.* Idem habetur *c.* 30. *eod.* At in Parochialibus Ecclesijs non computantur soli Parochi, sed etiam alij Ministri, licèt cura & administratio proxima Parochiæ, & bonorum ad eam pertinentium peculiari modo ejusdem Rectori commissa sit.

345 Assert. II. Jus decimandi præcipuè ac primariò ad Parochum pertinet. Ita communis omnium sententia, firmata à Gregor. XV. *decis.* 72. *n.* 3. 9. & 10. ac sæpiùs à Rota Rom. teste Barbos. *de Offic. Paroch. c.* 28. §. 2. *n.* 7. Patet ex *c. ult. de Paroch. & c.* 29. & 30. *h. t.* Sensus conclusionis est, quòd postquam Canonicatus, Præpositura, Decanatus, aliáque Beneficia, seu duplicia seu simplicia, vel ex decimis, vel alijs reditibus Ecclesiasticis fundata sunt, totum jus decimandi ad Parochum spectet. Sic intelligendi sunt S. Thomas aliique relati *n.* 341. quando dicunt, jus decimandi penes solum Parochum esse: loquuntur nimirum de casu, quo alijs Clericis Beneficiatis de honesta sustentatione ex decimis aliisque reditibus Ecclesiasticis sufficienter provisum jam est. Porro ratio assertionis est: quia Parochus est Rector Ecclesiæ Parochialis, & immediatus Pastor Fidelium, qui in eadem continentur, ipsique maximè incumbit pondus ministerij spiritualis, quod præcipuè in dispensatione Divinorum Mysteriorum, & Verbi Divini prædicatione consistit. Unde decimæ ipsi debentur ex Justitia simul, Religione, Charitate, & Obedientia seu vi præcepti Ecclesiastici, ut fusiùs explicat Suar. *c.* 29. *n.* 2.

Ex dictis inferunt S. Thomas *l. c.* Sylv. *n.* 14. Rebuff. *q.* 7. *n.* 4. & 5. Covarr. *l. 1. var. c.* 17. *n.* 7. Canis. *c.* 8. *n.* 2. Barb. *l. c. n.* 7. 8. & 9. ubi affert varias Rotæ decisiones, Laym. *l.* 4 *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 3. Pirhing. *h. t. n.* 80. ac passim alij, quòd Parochus fundatam in decimis intentionem de

de jure communi habeat contra quemlibet possessorem juris decimandi, etiam Episcopum, ita ut non teneatur probare, illud ad se pertinere, sed contrarium asserenti incumbat probatio, cùm jus commune assistat Parocho, & resistat alijs *arg. c. 56. 16. q. 1. c. 24. h. t. & c. ult. de Paroch.*

347 Ex ijs, quæ universim modò disputavi de Clericis Beneficiatis, consequens est, quòd applicatio decimarum per modum pensionis vel quomodocunque facta alicui etiam pio loco & religioso, invalida sit, si Beneficiatus privetur debita sustentatione, ut benè notant Suar. *c. 15. n. 7.* & Pal. *tr. 10. disp. un. pun. 10. n. 4.* Ratio patet: quia Parochis, aliisque curatis debetur honesta sustentatio jure etiam naturali & divino, reliquis Beneficiatis saltem Ecclesiastico. Neque SS. Pontifex, multò minùs Episcopus, est omnium decimarum dominus, sed dispensator. Unde rursus sequitur I. quòd non obstante tali applicatione, teneatur is, cui applicati sunt fructus, congruenter alere Beneficiatum: nisi ipse Pontifex aliter illi provideat. II. Sequitur, quòd Beneficiati, v. g. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, quorum præbendis annexi sunt Pastoratus, quos per Vicarios administrant, teneantur ex Justitia ejusmodi Vicarijs debitam sustentationem tribuere: alioquin, ut observant Lessius *l. 2. c. 39. n. 17.* & Palao *l. c. n. 3.* injuriam faciunt, tum suis Vicarijs, qui totum laborem subeunt; tum populo, qui cùm largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, acceptare cogitur parùm idoneum, cùm sæpe non quærantur, qui munus videantur optimè administraturi, sed qui minimo stipendio servire velint. Ex quo, ut ait Lessius *l. c.* multis in locis magna animarum strages. Cæterùm si hujusmodi substitutis & Vicarijs, vel Beneficiatis, quibus decimæ ademptæ & alijs applicatæ sunt, non suppetat congrua sustentatio, non propterea tenetur populus contribuere, alias vel decimas vel pensiones dando, ut contra nonnullos benè tradunt ac demonstrant Covarr. *l. c. n. 3.* Suar. *cit. c. 15. à n. 8.* Less. & Palao *ll. cc.* Addit iste *n. 5.* posse in tali casu Parochianos denegare decimas, donec suo Pastori vel inde vel ex alijs reditibus debita portio pro honesta sustentatione assignetur.

QUÆSTIO IV.

An Religiosis & Clericis non Beneficiatis debeantur Decimæ?

SUMMARIUM.

348. *Deberi decimæ Regularibus possunt vel ratione sui Statûs, vel ratione Beneficij, vel ut eleemosynæ.*
349. *Non debentur Jure communi & ratione Statûs.*
350. *Nec Clericis secularibus Beneficium non habentibus.*
351. *Tametsi nomine Ecclesiæ Horas Canonicas recitent, & Sacrificia faciant.*
352. *Et licèt Jura sacra absolutè dicant, Clericis deberi decimas.*

348 QUæstio hîc est, an Jure communi decimæ Religiosis debeantur: multis enim eorum competere jus decimandi ex privilegio, notum est, & infrà fusiùs explicabitur. Pariter possunt ipsis deberi decimæ tanquam pauperibus, uti notant S. Thomas & Alensis. Verùm tunc non competit ipsis jus decimarum, sed fructus tantùm debentur, & quidem non ex Justitia, sed ex charitate. Certum quoque est, jus decimandi competere Religiosis, si aliquod ipsis Beneficium conferatur vel curatum, vel simplex: quod fit, dum Beneficium vel unitur Monasterio vel particulari Religioso confertur. Sic enim Religio vel Religiosus suscipit in se officium spirituale; huic verò annexum est jus decimandi.

349 Assert. I. Religiosis de Jure communi & vi sui Statûs non debentur decimæ. Ita S. Thom. *2.2. q. 87. a. 3. ad 3.* & ibi omnes Th. Th. Patet ex *c. 6. 8. q. 21. & 22. 16. q. 1.* quibus Juribus dicitur, ad Clericos pertinere ex altari vivere, non verò ad Monachos, nisi ad Clericorum statum & munus assumantur. Ratio est: quia nec ratione ministerij sacri, quod populo impendunt dispensando divina Mysteria & verbum Dei prædicando, nec ratione ipsius Statûs Religiosi jus decimandi ipsis competit. Non quidem ex priore ratione: quia obsequia spiritualia in convertendis Infidelibus, & promovendis in virtute Fidelibus voluntariè suscipiunt, ac idcircò ex Justitia ad id non obligantur. Neque obstat, quòd vi sui Instituti ac Regulæ à Sede Apost. approbatæ, quidam eorum, uti v. g. PP. Prædicatores & Societatis Jesu, ad id obligantur: nam solùm ex charitate & zelo divinæ gloriæ, salutisque animarum sacrum hoc munus susceperunt, & nec postulârunt ipsi ab Ecclesia stipendium sui laboris, nec illa ad hoc se obligavit. Sed neque vi sui Statûs Religiosis debentur decimæ: ille enim per se non constituit Ministros Ecclesiæ, nec inducit obligationem ex Justitia serviendi populo in spiritualibus, sed ad summum ex charitate & vi re-

regulæ. Hinc viciſſim neque populus ex Juſtitia ad eos alendos obligatur, ſique alit ex gratitudine, miſericordia, charitate, ac religione, id ita præſtare debet, ut Eccleſia ſuis decimis non privetur, cùm jus decimandi penes eandem ejúſque miniſtros ex officio ad id obligatos ſemper maeat integrum. Quæ in contrarium adduci poſſunt, retuli *n.* 103. & ſolvi *n.* 106.

350 Aſſert. II. Clericis non habentibus Beneficium Eccleſiaſticum non habentur decimæ. Ita communis & certa DD. Ratio patet, quia jus ſpirituale ad decimas aliósque reditus Eccleſiaſticos percipiendos eſt ſolum Beneficium ratione officij ſpiritualis : neque enim illud jus ſequitur ipſo facto ex Ordine & Clericatu, ſed hic dat ſolùm capacitatem ad titulum & jus illud ſpirituale; non verò ipſum jus, utpote quod nulla lege velDivinâ velEccleſiaſticâ Ordinibus annexum eſt. Hinc ſicut vi ſolius Clericatûs nemo obligatus eſt ad miniſtrandum populo; ita nec iſte tenetur ad hujuſmodi Clericum alendum.

351 Neque valet, ſi quis dicat, Clericos in ſacris obligari ad dicendas preces, quas Horas Canónicas dicimus: ita hoc autem eos inſervire populo Chriſtiano, cùm nomine ipſius orent, & bona temporalia ac ſpiritualia à Deo eidem impetrent. Reſpondetur enim, ipſos ad Divinum Officium obligari non debito Juſtitiæ, ſed ſolùm Religionis ex præcepto Eccleſiæ, quod præceptum non imponitur in vim pacti includentis obligationem Juſtitiæ, ſed ſolùm ratione Statûs ad Religionem pertinet, ut fuſiùs explicant Th. Th. quando agunt de Horis Canonicis. Eadem reſponſio valet ad id, quod opponi ulteriùs poſſet, Clericos teneri in Ordinibus inferioribus miniſtrare uſque dum aſcendant ad Presbyteratum, & à Presbyteris offerri Sacrificia nomine totius populi: neutrum enim præſtant ex debito Juſtitiæ, ſed ſolùm vi præcepti Eccleſiæ, ex Religione ad ſacra hæc miniſteria eos obligantis. Nec propter iſta aliquod jus ipſis Eccleſia tribuit, præterquam quòd gaudeant privilegio Fori & Canonis, & Beneficium ipſis debeatur, & hoc demùm habito congrua ex reditibus Eccleſiaſticis ſuſtentatio.

Pariter non obſtant *Can. Decimas 1. 16. q. 7. c. ad hæc 63. q. 1. c. 26. h. t.* ubi abſolutè aſſeritur, Clericis decimas deberi: eſt enim ibi ſermo de Clericis Beneficiatis, cùm antiquitus nemo niſi ad titulum Beneficij ordinatus fuerit, nec modò ſine illo ordinari debeat, juxta *c. 3. 4. & 15. de Præbend. c. 13. de at. & qual. præficien. c. 1. & 2. diſt. 70.* Si quis verò juxta Trident. *ſeſſ. 21. c. 2. de Reform.* ob neceſſitatem vel commoditatem Eccleſiæ ordinatur ad patrimonium vel penſionem, ex his vivere debet, ut patet ex Tri- 352

dent. *l. c.* Si denique ex pacto alicui Episcopo, vel Canonico, vel laico, in spiritualibus ministret, sustentari ab illo debet, cum quo pactum inijt.

QUÆSTIO V.

An Decimæ debeantur Clericis divitibus aut malis?

SUMMARIUM.

353. *Variæ circa hoc opiniones.*
354. *Ministris Ecclesiæ etiam opulentis debentur decimæ.*
355. *Jure etiam Divino & Naturali.*
356. *Possunt vivere de proventibus Ecclesiæ, & bona patrimonialia in profanos usus expendere.*
357. *Etiam malæ vitæ Clericis debentur decimæ.*
358. *Possunt illis negari, qui Divina populo non ministrant.*

353 PSeudoapostoli Hæretici, uti retuli *n.44.* negabant, dandas esse decimas Clericis, qui non profitentur Evangelicam paupertatem. Verùm hic error damnatus est ab Ecclesia. Juxta Alexand. Summam Angel. & Rosella, teste Sylvestro *V. Decimæ n.14. §. octavum.* Clericus habens patrimonium secundùm statum suæ personæ recipere potest decimas ut Procurator, in necessitates pauperum vel utilitatem Ecclesiæ expendendas: sed si in proprios usus expendit, Sacrilegium committit; si in malos, incurrit judicium. Pro qua opinione allegatur *can. ult. 16. q. 1. & can. 7. 1. q. 2.* Verùm primus nihil habet, quod ad propositum faciat, ut legenti patebit. Alter intelligi potest ac debet de bonis Ecclesiasticis in pauperes erogari solitis: ex his enim utique nihil debetur Clericis non egentibus. Ita quoque intelligendus est *can. 1. 1. q. 2.*

Assert. I. Ministris Ecclesiæ, etsi 354
divitibus, & ex patrimonio vivere valentibus, decimæ debentur. Ita cum S. Thoma *quodl. 6. art. 10. & 2. 2. q. 87. a. 3. ad 1.* communis ac certa Theol. & Canon. quam manifestam reddunt illa, quæ *n. 30. & 31.* produxi: quòd enim non est alligandum *os bovi trituranti*; quòd *Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*; quòd ij, *qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant*; quòd *dignus est operarius mercede suâ*; quòd *nemo militat suis stipendijs un-*

unquam: hæc, inquam, aliáque, æquè de Clericis opulentis, quàm egenis procedunt. Oſtendunt enim, propter ſacrum miniſterium deberi ſtipendium ſacrum: unde ſicut creditori diviti ſolvendum eſt ſuum debitum, & operario, quamvis non indigo, ſua merces, quia nemo propter divitias, quas aliunde habet, ſuo jure privatur; ita pariter Clericis, quamvis opulentum patrimonium habentibus, ex reditibus Eccleſiaſticis debetur ſtipendium propter obſequia, quæ Eccleſiæ & fidelibus impendunt.

355 Hinc admittendum non eſt, quod Moneta *c. 7. n. 40.* abſolutè aſſerit, Miniſtris ſacris non indigentibus decimas non deberi Jure Divino aut Naturali. Ubi tamen ſubdit: *tunc ſaltem, cùm indigent, & quoad ſubſtantiam, Jure Divino & Naturali deberi etiam poſt legem Evangelicam.* Quòd enim etiam non indigis debeantur Jure Divino tam naturali quàm poſitivo, quoad ſubſtantiam & quantum requiritur ad congruam ſuſtentationem, certum omnino eſſe videtur, cùm id evincant SS. Scripturarum effata, quæ *l. c.* recenſui. Unde nulla vel conſuetudine vel præſcriptione induci poteſt, ut Clericis Beneficiatis non indigis nihil debeatur.

356 Pariter admittendum non eſt, quod poſt Decium aliósque paucos tradit Bernardus van Eſpen *p. 2. Jur. Eccles. tit. 32. c. 5.* Beneficiarios, ſi ex ſuo patrimonio vivere valeant, non poſſe ex proventibus ſuæ Eccleſiæ ſua neceſſaria accipere, parcendo proventibus patrimonij, eóſque conſanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios uſus profanos expendendo: ubi *num. 21.* ſic ait: *revera tanta in Canonibus & dictis SS. PP. apparet pro hac ſententia evidentia, ut credibile non ſit, contrariam ſententiam ab aliquo aſſertam fuiſſe, niſi poſtquam ſæculo duodecimo intrárunt Doctores, quorum plures magis proprio judicio & rationi naturali, quàm Canonum & Patrum auctoritati innitentes, eam opinionem ſuſtinere cœperunt.* Addit *num. 24. Doctores Scholaſtici nimis carnaliter & mercenariè conſiderâſſe videntur hæc verba Apoſtoli: quis militat ſuis ſtipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Quæ cenſura nimis carnalis & mercenaria eſt, immeritò ſerviens recentiori Lovanienſis Scholæ rigori, maléq; deſpiciens Theologos & Canoniſtas, qui uno ferè ore tradunt, poſſe opulentos Clericos, ſervato patrimonio, ex reditibus Beneficij vivere. Eminent inter ipſos S. Thomas *2. 2. q. 185. art. 7. ad 3.* Innocentius IV. Panormitanus, Felinus, Archidiaconus, Hoſtienſis (qui ait, hoc doceri ab omnibus) Joannes de Fano, ac Hugo, quos citant & ſequuntur Fagnanus, Navarrus, Cajetanus, Covarruvias, Sylveſter, Dominicus Sotus,

ac

ac passim alij. Unde malâ fide ait, à Fagnano referri *nonnullos recentiores Canonistas:* velut *nonnulli* sint, qui sunt propè omnes, aut inter *recentiores* numerandi sint, Doctor Angelicus, Innocentius, Archidiaconus &c. Effata Patrum, quæ ex Gratiano colligit, magnóque hiatu effert, quomodo intelligenda sint, discere potuit ex Navarro *tr. de reditibus Ecclesiast. in fine.* Covarruvia *c. 1. de Testam. n. 3. & 4.* & S. Thoma *cit. art. 7.* qui in illis non viderunt eam, quam ipse, evidentiam.

357 Assert. II. Debentur Clericis decimæ, etiamsi sint malæ vitæ. Patet ex *c. 26. h. t.* ubi cùm dictum esset, quòd laici *nonnulli etiam vitam Clericorum tanquam abominabilem detestantes decimas eis ob hoc subtrahere non verentur,* subditur: *Prætextu verò nequitiæ Clericorum nequeunt eas (nisi quibus ex mandato Divino debentur) pro suo arbitrio erogare: cùm nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem.* Hunc textum Hostien. & Sylvest. *l. c.* intelligunt de peccatis solùm occultis, unde ajunt: *si tamen* (Clericus) *non servit Ecclesiæ, ut debet, vel sit notorius fornicator, laicus ei decimas solvere non tenetur, sed proximo Superiori, qui debet illas in utilitatem illius Ecclesiæ convertere.* Hoc tamen durum esse meritò dicit Turrecr. *in c. ult. 16. q. 1. n. 8.* Imò absolutè falsum est: tum quòd damnata est à Concil. Constant. propositio Wicleffi, dicentis, liberum esse fidelibus negare decimas malis Sacerdotibus: tum quòd laicorum non est judicare Clericos, & jura ipsis negare ante sententiam Judicis Ecclesiastici: tum quia decimæ non dantur propter bonitatem vitæ, sed propter servitium, & idcirco si Clerici Divina ministrant, ut debent, eorum malitia alios non liberat à debito decimarum; sicut à mercede solvenda operarijs & famulis non liberant mali horum mores: justum namque est, ut ait S. Gregor. *relat. c. 45. 12. q. 2.* ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. Tum denique, quia aliàs etiam laicis, quibus decimæ in feudum concessæ sunt, negari possent, si improbi sunt; quod nemo laicorum concesserit: Ex dictis consectarium est, quod ait Rebuff. *q. 7. n. 16.* decimas Clericis deberi, etiamsi eas in malum usum convertant: quamvis enim tunc judicium sibi manducent & bibant, ut dicitur *Can. Clericos 6. 1. q. 2.* habent tamen jus eas exigendi, eóque propter malum usum privari nisi à legitimo suo Judice non possunt.

Assert. III. Parochis aliisque 358
Ministris sacris possunt negari decimæ, si officio suo desint, & Divina populo non ministrent. Sic Butrio aliique *in c. 2. de Ord. Cognit.* Paul. de Castr. *vol. 1. consil. 38.* Panor. *in c. fin.*

c. fin. de Paroch. Host. *h.t.* Gem. & Franc. *in c. 1. §. fin. de rest. spol. in 6.* Lapus *alleg. 66. n. 7. & 8.* Ripa *tit. de Consuet. resp. 1. à n. 15.* Wamesl. *tom. 1. consil. 206. n. 7.* aliique. Ratio patet: quia sicut qui servit altari, vivit de altari, ita qui eidem non servit, de eodem non vivit. Neque debentur Clero decimæ, nisi propter Ministerium sacrum: qui ergo hoc non impendunt, jus illas petendi non habent. Notant tamen cit. DD. non posse illas à Parochianis propria auctoritate retineri, sed solùm excipiendo in judicio, seu reconveniendo. Vicissim, ait Moneta *l. c. n. 37.* cum Navarro, ac alijs, non potest Parochus propria auctoritate negare Sacramenta ex eo, quòd sibi non solvantur decimæ, nisi id notorium sit. Verùm distinguendum est inter personas: tametsi enim aliqui vel multi ex communitate eas ex notoria contumacia non solvant, illis tamen, qui solvunt aut nullas debent, negari Sacramenta non possunt: neque apparet, quomodo v. g. filio negari possit Baptismus, si pater eas non solvit. Iis verò, qui ex malitia non solvunt, negari non solùm possunt, sed quandoque etiam debent, tametsi notorium non sit crimen, cùm propter malum statum non sint capaces ea suscipiendi.

QUÆSTIO VI.

Cui Ecclesiæ debeantur Decimæ?

SUMMARIUM.

359. *Triplex circa hoc dubium.*
360. *Personales quivis debet, ubi Divina percipit.*
361. *Sequelæ hinc deductæ.*
362. *Ratio dubitandi de Prædialibus.*
363. *Debentur Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia.*
364. *Solutio oppositionis.*
365. *Contrarium induci potest consuetudine.*
366. *Baptismali an Parochiali Ecclesiæ solvendæ sint decimæ, ambigua quæstio.*
367. *Explicatio diversorum Canonum.*
368. *Prædiales totæ debentur Parochiali Ecclesiæ.*
369. *Divisione Ecclesiæ factâ novæ debentur omnes decimæ, quæ intra ejus limites proveniunt.*
370. *Oppositio contra assertionem.*
371. *Solvitur.*
372. *Respondetur ad Canones objectos.*
373. *Limitationes assertionis.*
374. *De decimis mixtis multiplex dubium.*

375. *Debentur integræ illi Parochiæ, intra cujus fines animalia pascuntur & nutriuntur.*
376. *Si pactus sit intra fines plurium Parochiarum singulis aliquid debetur.*
377. *Idem est, si animalia in una pascantur, in altera accubent.*
378. *Nihil debetur illi, per cujus fines solùm aguntur.*
379. *Decimæ ex feris, quæ in nullius sunt dominio, debentur ibi, ubi habitat, qui capit.*

359 DE Decimis antiquis hîc loquimur: acturi *seq. q.* de Decimis Novalium. Dubitatur I. Cui Parochiæ debeantur Personales, si cubi in usu sunt; cui Prædiales. II. Cui debeantur, si plures sunt Parochiales, una Baptismalis; altera, in qua reliqua Sacramenta administrantur: aut, si una est Matrix, altera Filialis, in qua tamen illa dispensantur. III. Cui solvendæ sint, si res mobiles sunt fructiferæ, uti pecora, & fructificant partim in hac Parochia, partim in alia.

360 Affert. I. Decimæ Personales Jure communi debentur illi Parochiæ, in qua quis domicilium habet, & Divina percipit. Ita omnes Th. Th. & Canon. cum S. Thoma *2.2.q.87.a.3.ad 2.* Estque statutum *c.10.h.t.c.ult.de Paroch.* Ita quoque intelligendi sunt *Can.46. 55.& 56.16.q.1.* Ratio est, quia Decimæ dantur in sustentationem eorum, qui spiritualia ministrant: ergo fideles illis maximè tenentur solvere, qui ex officio tenentur ipsis eadem ministrare: ad hoc autem tenetur Parochus, in cujus Parochia domicilium quis habet. Ratio ulterior est; quia Decimæ Personales sunt onus merè personale, tam respectu illius, cui officia sacra impenduntur, quàm illius, qui impendit: debentur ergo illi Parocho, qui sacra ministrat, ut deciditur *c.2.h.t.*

Ex dictis sequitur I. Si quis domi- 361
cilium mutet, deberi has decimas non priori Parochiæ, ex qua abiit, sed illi, in quam transiit, etiamsi in priori habeat possessiones, nullas in posteriore: quia Sacramenta jam non percipit in illa, sed in hac. Sequitur II. Quamdiu non mutat domicilium, semper illas deberi Parochiæ domicilij, etiamsi alibi laboret, negotietur, ac lucretur, etiam per magnam anni partem: quia illa manet propria Parochia, tenenturque in ea Sacramenta percipere, cùm sit per accidens, si ratione absentiæ & peregrinationis alibi illa percipit. *arg. c.3.de sepult.in 6.* Sequitur III. Si quis plura habet domicilia in diversis Parochijs, dividendas esse decimas, si utrumque est principale, & in utroque æqualiter habitat, v. g. hîc per æstatem, alibi per hyemem: aliàs pro rata temporis dividendæ sunt, ut cum Innoc. tradit Ant. Butrio *in c.2.de Paroch.* Rebuff. *q.6. n.2.* Azor *p.1 l.7.c.24.*

l.7.c.24.q.1. Moneta *c.7.q.2.n.19.* Si verò unum est tantùm accessorium, v.g. si quis in suum prædium certis solùm temporibus voluptatis aut negotiorum causâ excurrat, ibique Divinis intersit, debentur totæ Parocho principalis domicilij, ut benè asserunt Boich. *in c.1. h.t.* Rebuff. *q.6.n.2.* Suar. *c.21.n.2. arg. l.2.C. ubi Senator.* Sequitur IV. Decimas personales solvendas esse Ecclesiæ Parochiali, tametsi non sit Baptismalis, ut bene notant Gloss. *in c.45.16.q.1.* Panor. *in c. 29. h.t.n.6.* Joan. Andr. & Anchar. *in c.20. eod.* Rebuff. *q.6.n.21.* quia etsi non sit Baptismalis, est tamen verè Parochialis, & Baptismo excepto omnia Sacramenta dispensat, quæ in Ecclesijs Parochialibus dispensari solent, ac stabiliter ministrat spiritualia. Hinc non placet, quod ait Panor. *l.c.* cum Cardin. aliquam saltem harum decimarum partem deberi Baptismali Ecclesiæ: nam ista ratione Baptismi, quem confert, accipit aliquam oblationem, quæ sufficit pro illo ministerio. Unde siquis hìc baptizatus mutat domicilium, decimas omnes personales solvit Ecclesiæ domicilij, nihil Parochiæ, ubi baptizatus est. Neque baptizatus Ecclesiæ Baptismali aliquid debet ratione præeminentiæ, quam ipsa fortè habet ut matrix: nam inferior Ecclesia Parochialis suam subjectionem erga ipsam alijs modis profitetur juxta *c.1. de Eccles. Ædif.* & Glossam *ibi*, nisi fortè alicubi consuetudine sit receptum, ut ipsi quoque Parochiani per solutionem partis decimarum profiteantur subjectionem.

Quod modò de Personalibus Decimis assertum est, tenendum quoque esse videtur de Prædialibus ob eandem rationem: nam etiam istæ debentur Ministris sacris ob ministerium, quod fidelibus impendunt, ut latè traditur *cauf. 13. q. 1.* ergo solùm illis, qui ea impendunt: quid enim juris in decimis habeat, in cujus Parochia prædia sita quidem sunt, eorum tamen domino alibi habitanti nihil obsequij spiritualis præstat? Stat tamen in contrarium praxis Ecclesiæ, ac fidelium, solventium decimas ibi, ubi prædia habent, etsi nunquam ibi habitent. Hinc quid de Jure tenendum sit, non decidit Alexand. III. *c. cùm sint 18. h.t.* dicens: *Non est nobis facile, super hoc dare certum responsum, cùm auctoritates Patrum etiam sint diversæ. Et ideò in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum.* 362

Assert. II. Decimæ Prædiales Jure communi debentur Parocho, in cujus Parochia prædia sita sunt. 363

Hæc quoque assertio est omnium DD. ac supponitur *c.13.h.t.c.ult.in fin.de Paroch.c.ult.de rest. Spol.in 6.* Ratio est: quia in divisione Diœcesium & Parochiarum, prædia quoque, ex quibus decimæ penderentur, divisa sunt, ita ut singulis Ecclesijs illa attribuerentur, quæ intra

ejusdem fines sita essent. Unde sicut fundi sunt immobiles, ita Ecclesia, intra cujus fines sunt, ad decimas ex ijsdem percipiendas habet jus immutabile, quod ipsi non aufertur, etiamsi dominus domicilium ibi vel nunquam habuerit, vel aliò transtulerit, cùm in solvendo reali onere non consideretur persona, sed ipsa res. *l. Imperatores ff. de Publican. & Vectig.* Quòd verò talis divisio ab Ecclesia facta sit, constat cùm ex *cit. Juribus*, tum ex *can. 1. 13. q. 1. & can. 42. ac seqq. 16. q. 1.* Ratio sic dividendi erat, ut jura Ecclesiarum firma & immutabilia permanerent; si enim obligatio dandi decimas prædiales non inhæreret loco, sed cum domino ab una Parochia vel Diœcesi ad aliam transeunte, vel cum dominio fundi transferretur, magnam hæc mutatio confusionem pareret, partim quia domini prædiorum crebrò mutant domicilium, partim quia prædia per contractus, & ultimas voluntates, quoad proprietatem aut usumfructum sæpe transeunt ad eos, qui alibi, & quidem in locis multùm dissitis, habitant: quo fieret, ut Jura Ecclesiarum essent incerta, & hodie ad hanc, cras ad aliam pertinerent, & quæ modò sufficientes aut abundantes reditus haberet, mox egeret, ac suos Ministros alere non posset. Quæ ratio indicatur *cit. c. 18. h. t. can. 5. 16. q. 3. can. 44. 16. q. 1. & à Trident. sess. 14. c. 9. & sess. 24. c. 13. de Reform.*

Neque per hoc fit injuria Ecclesiæ, quæ Divina ministrat habenti prædia alibi. I. Quia sic non tollitur æqualitas; sicut enim hæc Ecclesia pati debet, ut suus Parochianus ex prædijs alibi sitis alteri solvat decimas, ita pariter ipsa percipere eas potest, si alienus Parochianus hîc habeat prædia: quòd autem ipsa fortè ab alienis Parochianis nullas percipit, sed alia ab ipsius Parochiano, merè per accidens est. II. Habet quævis Ecclesia sibi assignatas decimas, quæ visæ sunt sufficere ad alendos sacros ejus Ministros: unde sicut ipsi nihil decedit, quòd aliqui ex suis Parochianis aliò migrant; ita non est, quod queratur, si aliqui accedunt, qui alibi illas solvunt: maximè quia ab illis etiam Parochianis, qui alibi prædiales solvunt, semper aliquod commodum percipit ex oblationibus, decimis personalibus &c. III. Quia leges humanę considerant id, quod frequentiùs accidit: at frequentiùs contingit, dominos prædiorum esse Parochianos illius Ecclesiæ, in cujus territorio prædia existunt. Unde si mutatio fit, id merè accidentarium est, nec præjudicium afferre debet Ecclesiæ Parochiali, cùm teneatur & parata sit eis ministrare Divina, si in suis fundis habitare voluerint. 364

Quæ modò dixi, procedunt de Jure scripto. Aliud est de Consuetudine: hæc enim efficere potest, ut decimæ prædiales non debeantur 365

tur Ecclesiæ, intrà cujus fines prædia sita sunt, sed illi, in qua habitat eorum dominus, uti manifestum est ex *cit. c. 18. h. t.* Quot verò ad hanc consuetudinem introducendam anni requirantur, sacra Jura non exprimunt. Sufficere decennium asserunt Panorm. *in cit. c. 18. n. 6. & vol. 1. consil. 58. n. 3.* Guttier. *l. 1. pract. q. 17. n. 2. & 5. & l. 2. can. c. 21. n. 58.* Barbos. *l. 3. de Jur. Eccl. c. 26. §. 2. & de Offic. Par. c. 28. §. 2. àn. 33.* ac alij, tenuitque perpetuò Rota Rom. teste Card. de Luca *disc. 1. de decim. n. 37.* Rationem dant: quia talis consuetudo non est contra, sed præter Jus; cùm Jus scriptum, ut ait Barbosa, sit obscurum, nihilque decidat, cui Ecclesiæ debeantur. Hoc tamen verum non est: nam Jura *n. 363.* allegata apertè favent Ecclesiæ Parochiali, intra cujus limites prædia sita sunt. Unde probabilius est, requiri 40. annos, ut infrà dicetur *n. 441.* Qui decennium defendere nihilominus velit, dicat necesse est, etsi Jura pronuntient pro Ecclesia prædiali, & non pro illa, in qua prædiorum dominus Sacramenta percipit, hoc tamen fieri potiùs propter universalem consuetudinem, vi cujus decimæ solvuntur prædiali, quàm quòd vi Juris scripti & ex sua natura & fine ipsi solvendæ sint, cùm finis decimarum & ratio eas concedendi sit, ut alantur Ministri sacri propter obsequia spiritualia, quæ fidelibus impendunt: quæ ratio potiùs valet pro Ecclesia Sacramentali, quàm prædiali, cùm non in hac, ut ponimus, sed in illa Sacramenta percipiat prædiorum dominus.

Secundi dubij *n. 359.* propositi 366
solutionem difficilem faciunt cùm obscura ejusdem apud Doctores decisio, tum multi Canones sibi in speciem repugnantes. Nam *c. 13. 20. & 29. h. t.* dicitur, solvendas esse decimas Ecclesiæ Parochiali: solvendas verò esse Baptismali asseritur *can. 1. 13. q. 1. c. 45. 55. & 56. 16. q. 1.* & in *Conc. Later. sub Alex. III. p. 4. c. 3.* statuitur, ut solvantur Matrici, per quam videtur ibi intelligi Baptismalis. Ut tam Canones quàm Doctores ambiguè loquentes concilientur, prænotandum est, Ecclesiam Baptismalem propriè illam dici, quæ licèt ipsa quoque Parochialis sit, habet tamen sub se unam vel plures alias Parochiales, quarum Parochianis Baptismum ministrat. Etsi enim plerumque Ecclesiæ, quæ populum & jus Parochiæ habent, etiam Baptisterium habeant, & Baptismum æquè ac reliqua Sacramenta conferant: quandoque tamen una Parochia alias subjectas habet eatenus, ut quoad solemnem Fidei professionem per susceptionem Baptismi harum subditi illam adire teneantur. Quam ob causam respectu earum Matrix dicitur juxta modum loquendi passim in Jure sacro usurpatum, præcipuè *c. 10. de Præscript. c. 3. de Eccles. ædif. c. 10. de Transact. & Clem. 1. de sent. Ex-*

com. quia *Matrix* dicitur, ut notant Panor. *in c. Ex parte de Restr. n. 1.* Rebuff. *q. 6. n. 6. & 7.* ac alij, quæ habet alias Ecclesias sibi aliquo modo subjectas: & per consequens istæ dicuntur *Filiales*. Quamvis, ut ijdem observant, nomine *Matricis* simpliciter dictæ intelligatur Cathedralis, juxta *c. 22. de V. S.* nisi qualitas materiæ aliud necessariò postulet.

367 His suppositis certum inprimis est, si eadem Ecclesia est Baptismalis & Parochialis respectu ejusdem personæ aut familiæ, ab hac illi soli deberi decimas, non tantùm personales, sed prædiales quoque, si prædia intra ejus fines sita sint. Et de his Ecclesijs expressè loquuntur *Can. 46. & 56. 16. q. 1.* Pariter de illis intelligendi sunt Canones *n. 366.* citati, quorum aliqui Baptismali, alij Parochiali Ecclesiæ decimas attribuunt: videntur enim utroque nomine illam significare, in qua tam Baptismus, quàm reliqua Sacramenta percipiuntur; quia plerunque ubi unum confertur, conferuntur & reliqua. Jura autem de illis loquuntur, quæ ordinariè fiunt. Igitur dubium duntaxat est de casu extraordinario, quando videlicet Ecclesia Baptismalis non est simul Parochialis.

368 Assert. III. Decimæ prædiales integræ debentur Parochiali Ecclesiæ, ex prædijs intra ejus limites sitis, nullæ Baptismali. Ita Panor. *in c. 29. h. t. n. 8.* Archid. *13. q. 1.* Suar. *c. 24. n. 4.* ac alij. Ratio patet cùm ex dictis *n. 345. & 361.* tum ex Juribus *n. 363.* allegatis, vi quorum debentur decimæ illi Parochiæ, intra cujus limites prædia sita sunt: tametsi enim talis Ecclesia fortè non sit Baptismalis, verè tamen ac simpliciter Parochialis est. Unde non adversantur Canones, qui decimas assignant Ecclesiæ Baptismali: per hanc enim, ut modò dixi, intelligunt Parochialem, in qua tam Baptismus, quàm reliqua Sacramenta dispensantur. Assertio procedit non solùm, quando constat, Ecclesiam Parochialem esse antiquiorem Baptismali, sed etiam, quando dubitatur, utra sit antiquior, seu quænam intra terminos alterius sit erecta. Ratio est: quia quælibet Ecclesia Parochialis fundatam in Jure habet intentionem ad decimas omnium fructuum, qui intra ipsius fines proveniunt, donec alia Ecclesia, quæ jus decimandi prætendit, contrarium probet. Quid verò Juris sit, quando una Parochia in plures est divisa, simulque constat, quæ sit antiquior, explicandum restat.

Assert. IV. Quando Parochia 369
una divisa est in plures, debentur novæ Parochiæ integræ decimæ omnium fructuum, qui intra ejus fines proveniunt, tametsi constet, Baptismalem, vel aliam, quæ divisionem passa est, esse antiquiorem, & antea sub suis terminis comprehendisse totum territorium novæ Eccle-

Ecclesiæ Parochialis. Ita contra Joan. Andr. sentio cum Panorm. *l.c.n.8. cas.4.* Calder. *consil.ult. de decim.* Archid. *13.q.1.* Rebuff. *q.6. n.18.* Suar. *l.c.n.5.* Moneta *c.7.n.28.* ac alijs. Ratio est: quia Ecclesiæ Parochiali debentur decimæ, quæ intra ejus fines sunt, ut traditur *c.29. & 30. h.t.c.2. de rest. spol. in 6. c. fin. de Paroch.* Ratio ulterior sumitur ex *Trident. Sess.21.c.4. de Reform.* ubi præcipitur, *ut illis Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesijs noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus.* Et ex *c.3. de Eccles. ædif.* ubi vult Alex. III. ob necessitatem novam Parochialem erigi, & Sacerdotem ibi institui, *ad sustentationem suam ejusdem villæ obventiones Ecclesiasticas percepturum.* Cùm ergo nova Ecclesia verè, ut ponimus, sit Parochialis, & Parochus ali debeat ex obventionib° Ecclesiasticis, quæ præcipuè in decimis consistunt, præsumptio est pro novo Parocho, quòd pro ejus sustentatione decimæ sint assignatæ ex fundis intra terminos suæ Parochiæ sitis. Hinc non obstant Jura, quæ dicunt, decimas pertinere ad Ecclesiam Baptismalem. Nam, ut observat Panor. *l.c.* intelligi debent de illis decimis, quæ vel intra fines Ecclesiæ veteris proveniunt, vel quas illa sibi in erectione novæ Ecclesiæ reservavit, aut loquuntur de casu, quo nova Ecclesia non est peculiaris & distincta Parochia.

Dices: Ecclesia antiqua, quæ divisionem passa est, suis terminis complexa est totum territorium Ecclesiæ novæ Parochialis, ergo omnia prædia illius territorij reali debito obligata fuerunt Ecclesiæ veteri pro decimis prædialibus, & idcircò licèt transierint ad novam Parochiam, transierunt tamen cum suo onere, seu obligatione solvendi decimas illi Ecclesiæ, cui antè fuerant solutæ. Accedit, quòd *can.43.16.q.1.* statuitur, *ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratorijs tribuantur.* Et juxta *can.44. providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.* 370

Respondetur: Licèt regulariter quælibet res transeat cum suo onere, fallit tamen hæc regula, ut benè ait Suar. *l.c.n.5.* quando causa & fundamentum oneris unà cum re publicâ auctoritate justa de causa in alium transfertur: tunc enim omnis causa seu utilitas simul in eundem transfertur; hoc enim ratio æquitatis & Justitiæ exigit. Cùm ergo, dum erigitur nova Parochia, onus ministrandi Sacramenta, quod habebat antiqua, transeat in novam, & hoc onus sit unicum fundamentum decimarum, consequens 371

quens est, etiam prædia antiquæ Ecclesiæ translata censeri in novam cum utilitate decimarum: aliàs antiqua labore ac curâ animarum in novam rejectâ, stipendio laboris gauderet; quæ divisio oneris & utilitatis oneri annexæ (per se loquendo, & nisi novo Parocho aliunde suus labor compensetur) æquitati repugnat. Hinc si antiqua Ecclesia consensit in fundationem novæ & assignationem limitum, censetur eo ipso remisisse jus decimarum & alia jura Parochialia intra limites novæ Ecclesiæ assignatos, ita ut nova Parochia fundatam super decimis intentionem habeat contra antiquam, cui priùs debebantur, ut non semel decidit Rota Rom. teste Barbos. *de off. Par. c. 28. §. 2. n. 19.* dummodo dismembratio facta sit simpliciter, & absque clausula *sine præjudicio alicujus*. Neque obstat, quòd teste eodem Barbosa S. Congregatio Trident. *ann. 1617. 11. Mart.* censuit, decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure in Parochialem recens erectam, sed remanere penes matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilij assignârit. Hoc enim duntaxat intelligendum esse videtur, quando certi limites novæ Ecclesiæ assignati non sunt, aut quando assignati sunt alij reditus à decimis distincti.

372 Neque repugnant Canones *n. 370.* in contrarium allati; non enim loquuntur de novis Parochijs, sed de *novis Oratorijs*, & Ecclesijs non Parochialibus. Octavo enim & nono sæculo, quibus illi Canones editi sunt à varijs Concilijs, præcipuè à Moguntino celebrato sub Leone III. & Carolo M. invaluerat potentiorum audacia, qui ædificando novas Ecclesias, se illorum dominos constituebant, & decimas eo prætextu quasi jure sibi debitas invadebant: quorum avaritiam & ambitionem & Regia Caroli M. ac Ludovici Pij Capitularia & Synodorum ejus temporis Canones coërcere satagebant, ut loquitur Cabassat. *Comment. in Concil. Tribur. n. 6.* 374

Hactenus dicta procedunt de 373
Jure Ordinario. Aliud dicendum est, si vel de consuetudine solvantur decimæ non novæ Parochiæ, sed antiquæ, vel si huic jus decimandi reservatum fuit, dum nova erigeretur. Hoc ultimum absque dubio fieri potest per compositionem approbatam ab Episcopo, dummodo novæ Parochiæ ex alijs reditibus sufficienter provisum sit. Præterea locuti sumus solùm de casu erectæ novæ Parochiæ, distinctæ à veteri: si enim nova Ecclesia jus Parochiæ & Curam animarum non habet, vel ab illa non est separata, sed connexa, ita ut Parochus antiquæ in nova Vicarium, vel Cooperatorem, &, ut vocant, mercenarium, constituat, haud dubiè decimæ non debentur novæ Filiali, sed

sed totæ ad antiquam pertinent, cùm hac ratione nova cum antiqua unam Parochiam constituat, ut cum Panorm. Joan. Andr. Tynd. Rebuff. Moneta, ac alijs observat Suar. *c.* 24. *n.* 7. Et sic intelligendus est *cit. can.* 43. & 44. *16. q.* 1.

374 Ex ijs, quæ hactenus de Personalibus & Prædialibus decimis dicta sunt, nascitur tertium dubium de decimis, quas Mixtas vocant, quales sunt animalium fœtus, lac, lana, ova, mel &c. Decimæ enim ex his fructibus à multis dicuntur mixtæ, quia naturam partim personalium, partim prædialium habent. Hinc videtur, eas deberi partim illi Parochiæ, ubi dominus animalium habitat, partim illi, ubi fructus ex ijsdem proveniunt. Idque asserit Navarr. *consil.* 2. *de decim.* *n.* 10. Et certè idem dicere debent omnes, qui tenent, has decimas esse mixtas, ut notat idem Navarr. *l. c.* *n.* 9. Hoc dubium, ut ritè ac ordine decidatur, in quatuor quæstiones dispertiendum est. Nam I. quæri potest, an si animalia pascantur & accubent in una Parochia, eorum verò dominus habitet in alia, huic æquè ac illi ex ijsdem debeantur decimæ? II. Cui debeantur, si illa in diversis Parochijs pascantur? III. Si in una Parochia tantùm accubent, seu caulam habeant, in alia verò pascantur, num utraque, an verò solùm posterior jus ea decimandi habeat? Procedit hæc quæstio de solis quadrupedibus: bipedes enim, ut gallinæ, anseres, anates, ibi ferè solùm pastum habent, ubi stabulum. IV. Cùm hæ quæstiones à Doctoribus ferè solùm proponantur de animalibus mansuetis, & naturâ cicuribus, ut sunt oves, porci, anseres, gallinæ &c. dubium supereſt, an idem dicendum sit de feris, & quæ non nisi arte cicurantur, uti sunt cervi, damæ, cuniculi, apri, lepores &c.

Assert. V. Decimæ ex fœtibus 375
aliisque cicurum animalium fructibus (quas carnaticas vocant, den Blut-Zehend) integræ debentur illi Parochiæ, intra cujus fines illa simul pascuntur & nutriuntur. Ita communior DD. Ratio est: quia si huic Parochiæ non deberentur integræ, earum pars solvenda esset Parochiæ, ubi dominus animalium habet domicilium. Atqui huic nihil debetur: quia istæ decimæ sunt duntaxat prædiales, ut diximus *n.* 11. idque certum esse ait Marta *p.* 2. *de Jurisdict. c.* 43. *n.* 36. ex prædialibus autem nihil debetur Parochiæ domicilij, quando extra ejus fines sita est res fructifera, juxta dicta *n.* 363. Accedit, quòd istæ decimæ saltem plus participent de natura Prædialium, quàm Personalium: ergo saltem dimidium earum non debetur Parocho domicilij; cúmque decerni facilè non possit, quæ ipsi pars debeatur, & cur non potiùs sexta, vel octava, quàm quarta, ut vult Navarrus, bene statutum est praxi, ut existimamus,

universali, ut integræ darentur Parocho loci, ubi sunt animalia.

376 Assert. VI. Si intra fines plurium Parochiarum pascantur animalia, singulis inde debentur decimæ. Ita S. Thom. 2.2.q. 87. a. 3. ad 2. & cum ipso omnes *arg. c. 4. h. t.* Ratio patet: quia si non absolutè, saltem magis prædiales sunt, quàm personales; ergo solvendæ sunt ibi, ubi solvuntur aliæ prædiales, cúmque uni Parochiæ solvantur ratione pascuorum, consequens est solvendas cuicunque alteri, quæ illa pariter præbet. Hinc, uti idem S. Doctor ait, *proportionaliter* dividendæ sunt, ita ut si mediâ anni parte pascua habeantur in una Parochia, alterâ mediâ in alia, dimidium earum singulis cedat: sin majore tempore in alterutra, suum utrique pro rata temporis solvendum sit. Idque Galliæ consuetudine servatur, teste Forgeto *tr. de Decim. c. 4. n. 6.*

377 Assert. VII. Si intra unam Parochiam animalia pascantur, in altera solùm stabulentur, divisio decimarum inter utramque fieri debet, ut in priori casu. Ita sentio cum Glossa *in c. 26. h. t.* Boich. *in c. 5. eod. Marta l. c. n.* 37. Rebuff. *q. 6. n. 26.* Suar. *c. 21. n.* 10. Palao *pun. 8. n. 8.* Basil. Pont. *l. 5. de Matr. c.* 13. *n.* 24. ac alijs, contra Alensem, Sotum, & Fagundez, qui tenent, eas competere soli Parochiæ, quæ præbet pascua. Ratio nostræ opinionis est, quòd fœtura fit etiam in stabulis, & ad eam accubitus, ac cura, quâ ibi grex fovetur, non minùs, quàm pastus, necessarij sunt. Imò rarissimum est, & saltem in nostris partibus non contingit, pecora intra unam Parochiam nutriri, in altera solùm stabulari: cùm solis pascuis sufficientem nutritionem non habeant, sed in caulis tempore nocturno, præcipuè per integram hyemem paleis, fœno, ac stramine indigeant. Hinc benè Boichius ac Rebuffus, Ecclesiæ, ubi sunt pascua, majorem partem, uti Palao ac alij non tribuunt, sed absolutè asserunt, decimas esse dividendas, éstque æqualis divisio statuta in Synodo Vigornienſi *a.* 1240. *can.* 44. Sicubi tamen armenta & greges maxima anni parte, noctúque æquè ac interdiu, uti fit in calidioribus regionibus, in pascuis maneant, æquitas exigit, ut potissima decimarum pars cedat Parochiæ, ubi sunt pascua. 378

Verùm hîc semper consulenda est locorum consuetudo, eáque standum. Unde sicut de consuetudine, de qua post Boër. testantur Rebuff. *l. c. n.* 27. & Moneta *c. 4. q. 1. n.* 17. lac debetur in ea Parochia, in qua extrahitur, & caseus, ubi fit; ita eadem observanda est etiam quoad fœtum ac lanæ decimas. *arg. c.* 18. *&* 20. *h. t.* Ut verò Parochiæ, per cujus territorium pecora, dum ab uno prædio transeunt ad aliud, solùm aguntur, aliquid decimarum aspergatur, Jure nec scripto nec consuetudinario receptum est.

est. Quod juxta Cæpoll. *l.* 1, *consil.* 24. & Moneta *l. c.* procedit etiam tunc, quando tempore belli pecora securitatis causâ (quod annis proximè lapsis frequenter factum esse dolenter vidimus) aliò transferuntur. At non dubito in hoc casu aliquam partem decimarum assignare Parochiæ loci, in quem illa recepta sunt, si ejus pascuis notabili tempore nutriantur, tametsi loci domino pretium pro pastu solvatur. Aliud esset, si nutrirentur pabulo cum pecoribus advecto, aut ibi coëmpto, aut modico tempore pascantur, cùm de minimis decima solvenda non sit *arg. l. suo ff. de integr. rest. l. si oleum §. fin. & l. seq. ff. de Dolo.*

379 Assert. VIII. Decimæ ex animantibus feris, quæ in nullius sunt dominio, solvendæ sunt Parochiæ domicilij, seu ubi Sacramenta percipit, qui eas capit. Ita Rebuff. *q.* 8. *n.* 10. Gonzalez *in c.* 18 *h. t.* Ratio patet: quia, ut infrà dicemus, hæ decimæ sunt personales. Atqui personales debentur Parochiæ domicilij. Si verò hæc animalia sint in alicujus dominio, puta si vivarijs, piscinis, columbarijs, aviarijs, apiarijs, aliisve septis concluſa nutriantur, decimæ inde debentur Parochiæ, intra quam septa sunt & fœtus proveniunt: sunt enim prædiales. *arg. l.* 3. *§. item feras ff. de Acquir. poss. l.* 9. §. 1. *& l.* 62. *§.* 1. *de Usufr. & quemad. §. Pavonum, & §. apum Inst. de rer. divis.* quia sunt in alicujus dominio, & proventus ex ijsdem, ubi semel capta sunt, non tam industriæ quàm naturæ debetur, éstque tunc eadem eorum ratio, quæ domesticorum & cicurum animalium.

QUÆSTIO VIII.

Cui debeantur Decimæ Novalium?

SUMMARIUM.

380. *Triplex dubium proponitur.*
381. *Opinio falsa quorumdam Heterodoxorum, decimas novalium Principi laico adjudicantium.*
382. *Debentur Ecclesiæ, intra cujus fines sunt novalia.*
383. *Episcopo verò, si novalia ad nullam Parochiam pertinent.*
384. *Dividenda sunt, si dubitatur, ad quam novalia ex duabus Parochijs pertineant.*
385. *Si ad utramque pertinere constat, divisio facienda est juxta modum spatij, quod in utraque occupant.*
386. *Decimæ novalium debentur Parocho loci, ubi illa fiunt, tametsi*

metsi ibi jus decimandi ab alio Clerico vel Monasterio fuerit præscriptum.

387. *Nisi ex novali fundo aliqua pars prius jam fuerit culta & præscripta.*

388. *Aut alius in quasi possessione juris colligendi decimas novalium fuerit tempore longissimo aut immemoriali.*

389. *Aut ex solo recens culto aliquid decimarum jam antè perceperit.*

390. *Concessio laicis facta non extenditur ad novalia.*

391. *Imò nec privilegium Clerico vel Ecclesiæ datum.*

392. *Assertionis ratio.*

393. *Responsio ad opposita.*

394-395. *Limitatio dictorum.*

396. *Difficultas ex c. 27. h. t.*

397. *Solvitur.*

398. *Alia ex Jure Bavarico.*

399. *Privilegium percipiendi decimas novalium solùm procedit de novalibus futuris.*

400. *Nec se extendit ultra dimidium novarum decimarum, si privilegiatus colligit etiam veteres.*

380 DE Novali propriè dicto hîc sermo est, quando nimirum terra antè non culta ad culturam redigitur, puta, si sylva eradicetur, siccetur palus, ædificia destruantur, insula in mari, lacu, aut flumine emergat, fluvius alveum mutet &c. solúmque tunc colatur, & fructum ferat. Quid juris sit de Novali impropriè dicto, quando videlicet ex agro fit pratum, aut vicissim, sequenti quæstione decidetur. De illo igitur tria controversa sunt. Primum est, cujus sint Novalium decimæ, si certum est, ea esse in hac Parochia, & solus Parochus veteres decimas colligit. Alterum, cujus sint, si dubitatur, sintne Novalia in hac, an in illa Parochia. Tertium, cui debeantur, si non ipse Parochus est ordinarius decimator, sed alius, v.g. Monasterium, aut laicus; vel si pars aliqua antiquarum pertinet ad Parochum, altera ad alium.

Primum dubium gratis moveri videtur, cùm decimas in illo casu Jura apertissimè adjudicent Parochiæ, intra cujus fines novalia fiunt. His tamen sanctionibus contemptis illas non ad Ecclesiam, sed ad dominum territorij secularem jure territoriali spectare ausi sunt asserere Thomas Michaël *de Jurisdict. Imper. & Camer. Conclus. 49. lit. A. & D.* & Matth. Stephani *de Jurisdict. l. 2. p. 1. c. 7. n. 44.* aliique nonnulli, quos refert & malè sequitur Knipschildt *l. 2. de Jurib. Civit. Imper. c. 5. n. 171.* Hanc opinionem Illustriss. D. Schmid *ad Stat. Bav. tit. 28. a. 13. n. 2.* dicit esse hæreticam, Hunnius magnum & inexcusabilem errorem. Ratio pro illa afferebatur, quòd bona deserta, atque inculta ad dominos terri-

territorij pertineant. Quod ipsum tamen valde ambiguum est, ut patet ex ijs, quæ in contrarium adducunt Menoch. *l. 3. præsumpt.* 100. *an. 9.* & Aym. *l. 3. de alluv. c.* 21. & licèt certum foret, ineptè tamen inde deduceretur, etiam decimas inde collectas esse Principum secularium: aliàs pariter sequeretur, decimam ex rebus sive immobilibus sive mobilibus esse eorum, qui illas proprietatis jure possident; quâ ratione nullæ omnino decimæ deberentur Ecclesiæ, quod utique hæreticum est dicere.

382 Assert. I. Decimæ Novalium secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, aut compensatione, debentur Parochiæ, intra cujus fines illa sunt. Ita deciditur *c.* 13. & 29. *h.t.* & *c. 4.* 22. 62. *eod. ac can.* 5. 16. *q.* 7. Quæ aliæque constitutiones cùm apertè stent pro Ecclesijs Parochialibus, ac insuper immemorialis præscriptio, per quam omne jus privatum ac publicum præscribitur *l. 4. C. de 30. vel 40. ann. præscript.* nulla verò pro secularibus Principibus vel lex Ecclesiastica vel civilis (quæ si extaret, irrita & inanis foret *l.* 12. *cum auth. seq. c. de SS. Eccl. & c.* 25. *h.t.*) consequens est has decimas non nisi Ecclesiæ deberi.

383 Assert. II. Si Novalia non fiunt intra fines alicujus Parochiæ, v. g. si sylva, vel flumen pro limite duarum Parochiarum fuit assignatum, & illa postea eradicetur, vel istud alveum mutet aut insulam faciat, ac hujusmodi solum colatur, decimæ debentur Episcopo: cùm hic sit Parochus locorum, quæ proprium in Diœcesi Parochum non habent. Poterit igitur eas vel suæ mensæ vel alicui Ecclesiæ, cui videbitur, applicare. Ita deciditur *c.* 13. *h.t.* patetque ex dictis *n.* 337.

384 Si verò Novalia in confinijs duarum Parochiarum surgant, ita ut ad alterutram pertineant, at nesciatur, ad quam, dividendæ in utramque sunt, ut benè notat Boich. *in c. 5. h.t. col.* 1. Unde neutiquam sequendos existimo, qui decisionem *cit. c.* 13. ad istum casum extendunt: cùm enim ponamus, quòd Novalia ad alterutram Ecclesiam pertineant, negari nequit, ad alterutram etiam decimas pertinere, ac proinde Episcopus malè eas vel sibi, vel tertiæ Ecclesiæ applicabit.

385 Si denique limites Parochiarum quoquo modo apparent, decimæ inter eas dividendæ erunt juxta modum ac portionem spatij, quod Novalia in singulis earum occupant, ut disponitur *cit. c.* 13. & notant ibi communiter DD. Unde neutiquam audiendus est Pirhingius, quando *h.t. n.* 102. post assertam hanc divisionem addit: *vel Episcopus, cui voluerit, poterit totas assignare.*

386 Assert. III. Decimæ Novalium debentur Paroch o loci, ubi fiunt, tametsi vi præscriptionis alia vel

Ecclesia vel Persona Ecclesiastica jus decimandi ibi habeat. Sic omnes Theol. & Canonistæ vi *cap. 29. h.t.* ubi deciditur, *quòd cùm perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de Jure communi pertineat, decimæ Novalium, quæ fiunt in Parochijs earundem, ad ipsas pertinere procul dubio noscuntur; nisi ab his, qui alias percipiunt decimas* (antiquas videlicet) *rationabilis causa ostendatur, per quam appareat, novalium ad eos decimas pertinere.* Quòd autem rationabilis causa, vi cujus decimæ novalium ad decimatorem extraneum pertineant, non sit præscriptio, patet I. Quia *sine possessione præscriptio non procedit. reg. 3. Jur. in 6. & c. 15. de Præscr.* & tantum quis præscribit, quantum possidet. *l. 7. ff. pro emptore. l. quod meo. ff. de acqr. poss.* neque præscriptio locum habet, nisi in illo actu, quem in re exercuit, *l. 1. §. 4. ff. de itin. actúque priv.* nec extenditur ad futura, quantumvis similia, uti notant Panor. *in cit. c. 29. n. 5.* Marian. Socin. *vol. 2. cons. 175. col. 3.* Rebuff. *q. 14. n. 12.* Atqui novalis ager quoad jus decimandi non fuit possessus, utpote antea incultus & decimas non reddens. Patet II. Quia præscriptio est odiosa, cùm juri alterius detrahat, ergo strictè interpretanda est, nec extendenda ultra id, quod fuit possessum. *arg. c. 25. §. 2. & c. 30. h.t.* Eadem est ratio de consuetudine, ut post Hostiens. Panor. aliorúmque communem observant Rebuff. *n. 16.* Guttier. *qq. Can. l. 2. c. 21. n. 81.* Moneta *c. 4. q. 3. n. 83.* Suar. *c. 22. n. 9.* Werndle *l. 4. c. 4. concl. 2.* Ratio patet: quia etiam consuetudo supponit possessionem; at possessio juris decimandi in fundo anteà inculto, & consuetudo inde colligendi decimas non dabatur.

Igitur dubitatur, quæ sit illa *rationabilis causa*, ob quam juxta *cit. c. 29.* extraneus decimator præter antiquas, etiam novalium decimas exigere potest? Triplicem assignant Rebuff. *l. c. à n. 17.* Guttier. *l. c. à n. 100.* Moneta *à n. 84.* Werndle *l. c. concl. 1.* ac alij, ac assertionem limitant Primò, quando quis præscripsit decimas alicujus fundi, censetur eas præscripsisse quoad totum fundum; unde si pars hactenus inculta postea colatur, decimas jure exiget, qui hactenus ex parte fundi culta percepit, ut cum Joan. Andr. Felin. Vincent. Brun. Panor. *vol. 2. consil. 71. n. 2.* ac Balb. *de præscript. p. 3. q. 2. n. 17.* docent Rebuff. *n. 30.* Guttier. *n. 101.* Quod Panor. ait esse verissimum, si ager fuit majore sui parte cultus, quia tunc major trahit minorem. *arg. c. de Consecr. Eccl. cum. eod. in 6. l. 18. §. 12. ff. de Instruct. vel Instrum. leg.* Hinc in *Statutis Bavar. tit. 28. art. 13.* benè dicitur, si extremitates agrorum die Vorländer / quæ sæpe cum pro pastu pecorum tum alias ob causas incultæ

incultæ relinquuntur, ad culturam redigantur, decimas inde deberi illi, qui decimas ex fundo reliquo colligit. Ratio est: quia eadem res non debet diverso jure censeri. *c. 30. h. t. c. 24. 12. q. 2. l. eum qui ff. de usucap.* Hæc tamen neutiquam sic intelligas, quasi præscriptis quorundam agrorum ad unum prædium vel pagum pertinentium decimis, præscriptæ censeantur in toto fundo ad illud prædium vel pagum pertinente; sic enim ejusmodi decimator exigere posset etiam decimas novalium, si sylva vel pratum ad illud prædium pertinens in agrum conversum est; quod nemo dixerit: sed intelligi assertio debet de certa parte fundi, v. g. hac sylva, horto, agro, certis limitibus definito; tunc enim si aliqua ejus pars priùs inculta ad culturam redigatur, decimæ inde debentur illi, cui priùs ex reliquis ejusdem partibus pendebantur, ut benè monent Rebuff. *n.* 21. Guttier. *n.* 102. Steph. Gratian. *tom. 3. c. 425. n. 15.*

388 Secundò limitant communiter DD. *in cit. c. 29. & c. 1. de præscript. in 6.* & ajunt, si quis sine titulo per tempus immemoriale, vel cum titulo per 40. annos fuerit in possessione colligendi decimas ex novalibus, quæcunque priùs in hac Parochia surgebant, ejdem jus colligendi competere de novalibus, quæ etiam in posterum intra eandem Parochiam surgent. Quæ doctrina licèt difficultatem patiatur, quia non apparet, quomodo qui in possessione hactenus fuit quoad aliquod fundos, & respectu aliquarum personarum, sit etiam quoad reliquos; non tamen vacat eam impugnare, tum quia rari usûs, tum quia communis est DD. Procedit verò solùm de personis Ecclesiasticis, cùm laicis, ut dicemus, nulla circa decimas suffragetur præscriptio vel consuetudo.

Tertiò limitant in casu, quando ex sylva v. g. vel prato jam antè aliquid decimarum ab extraneo fuit perceptum: tunc enim, ajunt, ejusdem, & non Parochi, erunt decimæ frumenti, si solum prati illius vel sylvæ eradicatæ seratur. Verùm cùm hîc agamus de novalibus propriè dictis, hæc non isthuc, sed ad seq. q. pertinent. 389

Assert. IV. Laicis, quibus jus decimandi in feudum concessum est, vi illius non debentur decimæ Novalium. Sic deciditur *c. 25. h. t Nec enim occasione decimationis antiquæ [licèt in feudum decimæ concessæ sint] sunt decimæ novalium usurpandæ, cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.* Est autem hîc sermo de concessione laicis facta. Eadem est ratio de privilegio decimandi laicis concesso: quia est odiosum, & sic non comprehendit ea, quæ aliàs venirent ex dispositione favorabili, nec in concessione jurium simpliciter facta veniunt 390

jura,

jura, quæ postmodum oriuntur de novo, licèt sint similia jam ortis, ut ait Panor. *in cit. c. 25. n. 7.*

Asserit quidem Decian. *vol. 1. resp. 22. n. 34.* sub privilegio etiam laicis concesso comprehendi novalia, si jus decimandi in universo aliquo territorio vel in aliqua villa concessum est, citátque Ant. Butrio & Panor. *in c. 30. h. t.* sed neuter de laicis loquitur, & obstant cùm prædicta ratio, tum ea, & à fortiori, quæ mox dicemus de privilegio Ecclesiasticis concesso. Unde consequens est id, quod statuitur *c. 2. §. ult. h. t. in 6.* si laicus percepit decimas majores aut partem earum, ac eas postea concedat Religiosis, non posse istos, quamvis exempti sint, vi talis concessionis decimas novalium percipere: quia hæ penes laicum non fuerunt, & *& nemo plus juris in alium transferre potest, quàm sibi competere noscatur. reg. 79. in 6.*

391 Assert. V. Privilegium decimandi etiam Ecclesiasticæ personæ, vel Ecclesiæ concessum non extenditur ad decimas novalium. Ita contra Gloss. Panor. aliorúmque satis communem *in c. 27. h. t.* sentio cum Anchar. *in c. 25. h. t.* Fortun. Garc. *in l. Gallus §. & quid ff. de liber. & posthum.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 13.* Guttier. *l. c. n. 123.* Rebuff. *l. c. n. 29.* Suar. *c. 23. n. 5.* Barbosa. *in cit. c. 27. n. 3.* Palao *pun. 8. n. 12.* Pirhing. *h. t. n. 104.* Zoes. *h. t. n. 56.* Schambogen *h. t. n. 54.* Gonz. *in c. 4. h. t. n. 9.* Solorzan. *tom. 2. l. 3. c. 21. n. 26.* ac fortiori tenent, qui ajunt, privilegium immunitatis non extendi ad decimas novalium, quos dedi suprà *n. 143.*

Probatur I. ex *c. 31. de Privil.* 39
ubi supponitur, privilegium veterum decimarum, seu, quod idem est, absolutè concessum absque speciali mentione novarum, non extendi ad novalia, nisi expressè addatur extensio, & quando additur, strictè dicitur interpretanda. Neque satisfacit, quod respondet Engel *h. t. §. 1. n. 10.* hoc intelligendùm esse, vel de casu, quo concessio cederet in grave præjudicium Parochorum, vel quo Religiosi accepissent decimas de manu laicorum, ut in fine *cap.* declarari videtur. Nam textus loquitur absolutè, & præjudicij Parochorum, ac Monasterij, vel concessionis à laicis factæ, non meminit, cùm ultima capituli verba connexionem cum primis non habeant, ut patebit consideranti media. II. Privilegium decimandi clericis concessum, vel Ecclesiæ, etsi minùs odiosum sit, quàm concessum laicis, simpliciter tamen odiosum est, ac præjudicans tertio, ac per consequens restringendum; cùm strictæ sit interpretationis privilegium etiam ex causa pietatis concessum, si præjudicat juri tertij, ut cum Panor. *in c. 2. de Eccl. ædif. n. 3.* tradit communis omnium. Vel igitur

ea

ea sunt privilegij verba, ut salva verborum proprietate restringi possint ad decimas antiquas, & non extendi ad novas; vel omnes comprehendunt, ita ut sine impropria ac violéta interpretatione restringi ad antiquas non possint? Si prius: tunc æquè quoad Clericos quàm laicos restringenda sunt, utpote utrimque odiosa. Si posterius: tunc neque quoad laicos restringenda sunt; quia neque horum privilegium torqueri ad improprium sensum debet; nisi in sensu proprio acceptum injustitiam contineret. Hinc non placet distinctio, quam facit Engel *l. c.* inter Religiosos, qui in eadem Parochia ministrant sacra populo, & inter privatos Clericos ac extraneos Parochos, his negans decimas ex novalibus, illis concedens: nam privilegium etiam Religiosis concessum, simpliciter odiosum est, cùm non ipsis, sed Parocho Jure Communi decimæ debeantur.

393 Neque obstat, quòd privilegium non solvendi decimas extenditur ad novalia juxta dicta *n.* 195. quia non est eadem ratio Privilegij negativi de non solvendis, quæ positivi de percipiendis: illud enim ex forma & vi verborum est magis universale propter negationem, dicítque, me non teneri ex meis prædijs aliquid solvere, quæ negatio est absoluta, nec absolutè vera esset, si ex aliquibus prædijs (qualia utique sunt etiam novalia) aliquid solvere tenerer. At privilegium percipiendi est affirmativum, & vi verborum solùm dicit, me posse eas colligere, quas modò colligit Parochia. Accedit, quòd illud minus præjudicij affert Parochiæ, quàm hoc; per hoc enim Ecclesia privatur decimis, quæ proveniunt etiam ex alijs prædijs; per illud duntaxat ijs, quæ ex meis. Neque rationes, quæ à *n.* 195. pro negativo privilegio ad novalia se extendente allatæ sunt, pugnant pro affirmativo; uti nec oppositiones, quæ contra illud ibidem adductæ sunt, pugnant contra istud, ut consideranti patebit. Hinc ex *cap.* 22. *de Privil.* quod pro illo discrimine inter Religiosos ac alios decimatores à P. Engel *l. c.* adducitur, benè quidem infertur, eos vi privilegij de non solvendo non teneri solvere decimas ex novalibus; non verò, quòd vi privilegij decimas percipiendi possint ex ijsdem etiam percipere, cùm textus solùm loquatur de immunitate.

Quæ modò dixi, juxta non pau- 394
cos solùm procedunt de privilegio in forma commuui concesso, quo videlicet simpliciter solùm fit potestas colligendi decimas in hac illave Parochia; non verò de illo, quod ampliſſimis verbis datur, v. g. si dicat Pontifex, se concedere omnem & quamcunque decimationem in Parochia A. Hac enim formâ includi etiam novalium decimas, post Archidiac. Dominic. ac

alios censent, nec forsan immeritò, Rebuff. *q.* 14. *n.* 31, Gutier. *l. c. n.* 125. ac alij; qui enim totum dicit, nihil excludit *c. solitæ de major. & l. Julianus de Legat. 3.* nec verum propriè esset, quascunque decimas concessas esse, si non essent concessæ etiam novalium. Verùm responderi potest, ob rationes pro nostra assertione allatas, sensum solùm esse *quascunque veteres*, & quæ de facto percipiuntur. Quod addunt, eandem vim habere etiam hæc verba *omnem decimationem hujus territorij*, difficile mihi, nec admittendum esse videtur. Fatentur enim hi DD. non comprehendi decimas novalium, si Pontifex solùm dicat, *concedimus tibi decimas hujus territorij*; cùm ergo hæc indefinita propositio æquivaleat universali *omnes decimas*, & tamen decimas novalium non includat, consequens est, eandem nec includi hac universali *Omnes*.

395 Illud verò ultrò patet, nec, ut existimat Werndle *l. 4. c. 4. concl. 4.* speciali notâ dignum est, si decimæ à decimatore alieno ad Parochiam, cui Jure communi debebantur, vel decreto Pontificio vel alio modo revertuntur, iterata hujusmodi & nova concessione comprehendi etiam novalium decimas: cùm enim jus assistat Parochiæ, clarum est, concessionem, si absoluta sit & decimas novalium expressè non excipiat, etiam has involvere, tametsi penes illam non remanserint, sed ad alienum fuerint devolutæ.

Hactenus dictis apertè contra- 396
rium videtur *c. 27. h. t.* ubi Monasterio antiquas decimas possidenti, & novalium quoque decimas sibi concedi postulanti, Pontifex, velut gratis peterentur, utpote jam aliunde debitæ, respondit, omnino etiam has exigi posse, rationem addens: *quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* Ergo, inferunt adversarij, eo ipso, quòd Monasterio vel Ecclesijs alijs per privilegium conceduntur decimæ ex antiquis prædijs, concedùntur etiam ex novis: hócque textu solo nituntur, velut abundanti argumento, quia claro.

Verùm R. ideò decimas nova- 397
lium adjudicatas fuisse illi Monasterio, quia Jure communi ipsi debebantur antiquæ, ac per consequens etiam novæ, utpote ex proprijs Parochijs, ut patet ex textu ibi: *cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ Parochianorum tuarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes.* Neque valet, quod illi communiter dicunt, eas Parochias non fuisse incorporatas Monasterio & proprias, sed Abbatem jus duntaxat Patronatûs in illis habuisse, eò quòd non fuisset ulla ratio dubitandi de jure decimandi novalia, si Parochiæ pleno jure ad Monasterium pertinuissent, sic enim illæ decimæ, utpote

pote jam aliunde & Jure communi debitæ, gratis fuissent postulatæ. Non, inquam, hæc valent: quia, ut patet ex toto contextu decretalis, quam integram affert Rebuff. *q.* 14. *n.* 8. & Gonzal. *in c. 30. h.t. n. 3.* Parochiæ illæ pleno jure erant Monasterij: quia verò decimas novalium ex ijsdem Episcopus loci concesserat cuidam Canonico, allegans consuetudinem, hanc Pontifex damnavit ut corruptelam, & illas, æquè ac antiquas, Monasterij esse pronuntiavit. Rem ita habuisse, patet insuper ex allegatis verbis, *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*: hæc enim regula vera solùm est de ijs, quæ Jure ordinario alicui competunt, & à lege vel Canone sunt concessa: non verò de privilegio odioso (quale utique est etiam illud, quod contra Parochiam conceditur Monasterio) ut multis demonstrant Covarr. *p. 3. de matrim. c. 8. §. 8. n. 37.* Everh. *loc. à minore n. 4.* Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 1. n. 4. & 32.* Barbosa *de pot. Episc. p. 2. alleg. 33. n. 13.* ac alij. Dum igitur Pontifex illam regulam allegavit, locutus est de decimis Jure communi, & non ex privilegio debitis.

398 Major est difficultas, quam hìc ingerunt Statuta Bavar. *tit. 28. art. 13.* ubi dicitur: von demselben (Neubruch) gehert der Zehend die drey erste Jahr einem Pfarr-Herrn desselben Orths / aber folgends dem / der sonst den Zehend der Enden hat. Quæ dispositio videtur Juri Canonico directè esse contraria, ut ibidè observat Illustriss. D. Schmid, benéque addit, ac ex antiquiore editione probat, esse potiùs declaratoriam antiquæ consuetudinis, quàm positivam & præceptivam. Et re verà ejus Commentatores ad consuetudinem duntaxat, & Ecclesiasticorum tolerantiam confugiunt: benè prorsus, si decimator, ad quem illæ post triennium devolvuntur, sit Ecclesia, cùm huic vi præscriptionis vel consuetudinis jus decimandi in aliena Parochia competere possit: malè verò, si de laicis, de quibus tamen æquè ac de Ecclesijs illa decisio loquitur: nam laicis nulla consuetudo, vel præscriptio, ac Parochorum indulgentia patrocinatur, nisi eas habeant ab Ecclesia privilegio vel in feudum concessas. Itaque solùm supereſt, ut dicamus, ex consuetudine immemoriali præsumi, quòd illæ decimæ à SS. Pontifice ad laicos sint devolutæ. Cui responsioni favent ea, quæ infrà dicentur de præsumptione privilegij ex laicorum immemoriali usu juris decimandi. Hinc verò consequens est, quòd siquis probare posset, laicos jus decimandi novalia sine privilegio usurpâsse, Statutum illud vim non haberet.

Ex hactenus dictis sequitur, si ex privilegio decimæ communes sunt alicui Laico vel Monasterio, Hospitali, Academiæ &c. cum Parocho loci, hac communione non obstante,

stante, decimas novalium totas deberi Parocho, nisi aliunde constet, illam communionem etiam ad novalia extendi.

399 Assert. VI. Is, cui conceditur privilegium percipiendi decimas novalium, non potest vi illius percipere illas, quas alius tempore concessi privilegij ex novalibus possidebat; sed solùm ex ijs novalibus, quæ post privilegium impetratum fient. Ita statuitur *c. 2. prin. h. t. in 6.* ubi sermo quidem est solùm de ijs, qui possident veteres decimas, & insuper novas impetrant; sed cùm par sit ratio etiam de ijs, qui nec veteres antè percipiebant, idcircò absolutè dicendum est, sub concessione novarum non intelligi eas, quas tempore privilegij ex novalibus alij jam possidebant: nisi de his in privilegio specialis fiat mentio. Idem apertè statuitur *c. 31. de privil.* Ratio statuendi erat, quia Pontifex nullius juri præjudicat, nisi id exprimat, ut traditur *cit. c. 31. 29. 19. de privil.* ac passim alibi: dum igitur cuipiam concedit decimas novalium, mentione non factâ earum, quas alij jam possident, censetur concedere solùm ex novalibus futuris.

Assert. VII. Qui decimas antiquas possident vel integras, vel ultra medietatem, ac postea impetrant privilegium percipiendi etiam novas, vi hujus (nisi plus exprimatur) duntaxat dimidias percipere valent, uti statuitur *c. 2. §. 1. h. t. in 6.* Quia privilegium de percipiendis decimis ad aliam Ecclesiam pertinentibus valde odiosum est, & idcircò, ut ibidem dicitur, *non est verisimile, si tunc de plena & integra perceptione* (ac absolutè de ea, quæ est ultra medietatem, ut mox additur) *veterum fuisset expressum, quòd Apost. Sedes pariter & similiter novalium decimas in tam grave Parochialium Ecclesiarum præjudicium concessisset.* Quin privilegium percipiendi novas intelligi debet concessum solùm secundùm illam quantitatem, quam impetrans priùs percipiebat ex antiquis, ita ut si de his tantùm habuit tertiam aut quartam partem, majorem etiam de novis percipere non possit, ut habetur *eod. c. 2. prin.* quo tamen Statuto ait Pontifex nolle se comprehendi Cistercienses & Carthusianos. 400 401

QUÆSTIO VIII.

Cui debeantur Decimæ, quando facies fundi mutatur.

SUMMARIUM.

401. *Fundi*

401. *Fundi faciem colonus pro arbitrio mutare potest, & ex novis duntaxat fructibus, etsi vilioribus, tenetur ad decimas.*

402. *Is, cui vi transactionis, præscriptionis, vel privilegij, debentur certæ speciei fructus, eandem illam speciem colligit, si post mutatam culturam provenit.*

403. *Si hinc nimiùm gravaretur Parochus, compensatio ipsi facienda foret.*

404. *Ab eo, qui novos fructus colligit, non à Parochianis.*

405. *Laico decimatori nulla debetur compensatio.*

406. *Quijus decimandi vi transactionis, aut præscriptionis, in certis fundis habet, colligit ex quibusvis fructibus, qui variatâ culturâ proveniunt.*

407. *Concordat Jus Bavaricum: sed cum limitatione.*

408. *Occurritur objectioni.*

409. *Habens privilegium colligendi decimas ex certis v. g. vineis, nequit colligere ex frumento, si illa mutata fuerint in agros.*

410. *Ratio assertionis.*

411. *Laicus solam quasi possessionem immemorialem allegans, nequit ex alijs fructibus colligere, quàm ex quibus hactenus collegit.*

412. *Contrarium statuitur de decimatore Ecclesiastico.*

413. *& seqq. solvuntur opposita.*

418. *Si fundus priùs tulit fructus non decimabiles, debentur ex novis decimæ.*

419. *Debentur Parocho, non illi, qui hactenus decimas antiquas in hac Parochia collegit.*

420. *Nonnulli casus excipiuntur.*

421. *Quorumdam opinio, deberi decimas fœni, si ager vertitur in pratum, etiam ibi, ubi aliàs decimæ ex fœno non solvuntur.*

422. *Negativa præfertur.*

423. *Rationibus firmatur.*

424. *Solvuntur opposita.*

425. *Limitatio quædam additur, alia rejiciuntur.*

426. 427. *Casus particularis resolvitur.*

401 FAcies fundi mutari dicitur, quando mutatur ratio culturæ, v. g. si ex prato vel vinea fit ager, aut viciſſim; aut ſi ager priùs conſitus frumento, poſtea conſeritur alijs leguminibus, v. g. piſis, ſabis, ciceribus, lentibus, panico, milio, lupinis, phaſeolis &c. quæ multis in locis inter minores Decimas cenſentur; aut oleribus, rapis, lino, cannabe, nicotiana ſeu tabaco, lupulo &c. Cujuſmodi mutatio ſi fiat, fundus erit novale, at ſolùm impropriè dictum. De ejus decimis tria controverſa ſunt. I. Cui debeantur, ſi ex prato v. g. vel vinea fiat ager, & alius decimas vini vel fœni, alius frumenti in illo territo-

tio possideat? II. An debeantur, si ex fœno de consuetudine nihil solvitur, & ex prato fiat ager? III. An & cui debeantur, si vicissim ex agro fiat pratum? Antequam mentem meam super his quæstionibus aperiam, suppono ex communi DD. & *c. 4. h. t.* posse fundi dominum pro arbitrio culturam mutare, nec ab Ecclesia vel decimatoribus impediri à variatione posse, dummodo id non faciat animo fraudandi, solvátque decimas ex novis fructibus pensitari solitas. Diximus *ex novis fructibus*: non enim si fundus nunc ferat fœnum v.g. vel rapas, tenetur solvere decimas frumenti, quas antea ex agro pendebat, ut rursum tenet communis; sicut vicissim non satisfaciet pendendo decimas fœni antea pensitatas, si fundus nunc ferat frumentum. Ratio patet: quia decimæ sunt onus fructuum, ac per consequens sunt præstandæ ex fructibus, qui nunc proveniunt; non, qui antea provenerunt. Unde rursum consequens est, quòd ad nihil teneatur, si fundum relinquit incultum & nullos fructus colligit.

402 Assert. I. Si decimæ per transactionem, præscriptionem, aut privilegium ita divisæ sunt, ut Parocho v. g. assignatæ fuerint minores ex fœno, oleribus, fructibus arborum &c. majores verò alteri, v. g. Monasterio aut Hospitali, aut huic decimæ ex frumento, illi ex vino, tunc si pratum aut vinea convertatur in agrum, decimæ frumenti pertinent ad Monasterium: vicissim si ager desinat conseri frumento, & in pratum redigatur vel vineam, aut conseratur oleribus, rapis, &c. decimæ non ampliùs erunt Monasterij, sed Parochi. Ita tenent Hostiens. *in summ. h. t. §. 10.* Ant. de Butrio, aliique *in cit. c. 4. h. t.* Ancharan. *in c. 29. cod.* Rebuff. *q. 6. n. 35.* Covarr. *pract. l. 1. c. 17. n. 13.* 405
Guttier. *qq. Can. c. 21. n. 97. & 107.* Nicol. Everhard. Jun. *vol. 1. cons. 46. n. 5.* ac alij. Assertio videtur esse certa: nam si dicto modo assignatæ sunt decimæ, absque mentione certorum fundorum, censetur divisio ita esse facta, ut undecunque proveniant majores, debeantur huic, & unde ac quandocunque minores, debeantur illi: servatúrque hæ ratione æqualitas, dum sicut ob variatam culturam iste nunc percipit majores ex fundo, ex quo alter priùs perceperat minores; ita vicissim decimator minorum poterit has percipere, si fundus, qui hactenus ferebat majores, postea ferat minores.

Si tamen per variationem cul- 403
turæ nimis gravaretur Parochus, quia decimæ v. g. minores aut vini, quæ ipsi competunt, ob mutatam culturam jam non solvuntur, compensatio ipsi vel pecuniaria, vel ex frugibus, facienda est ab eo, qui decimas frumenti colligit, uti decidit-tur *c. 2. §. 2. h. t. in 6. & c. 9. cod.*

Diximus I. Compensationem fa- 404
ciendam esse ab eo, qui decimas frumen-

frumenti colligit : huic enim id oneris meritò injungitur ; non verò communitati seu Parochianis: cùm enim isti solvant decimas, quas Ecclesia ad suorum Ministrorum sustentationem exigit, ad nihil amplius tenentur, ac consequenter obligatio alendi Parochum erit illius decimatoris, ad quem pervenit, quod pro alendo Parocho Parochiani solvunt.

405 Diximus II. Compensationem faciendam esse Parocho : si enim laico decimatori per illam fructuum mutationem aliquid decedat, nulla ipsi debetur compensatio, tametsi novi fructus non ad Ecclesiam, sed ad alium laicum perveniant. Ratio patet : quia congrua sustentatio ex fidelium decimis & oblationibus Jure naturali & Divino Parochis debetur, non laicis: unde sicut istis per contractus & præscriptionem alia sua jura & emolumenta decedere possunt, & transferri in alios, ita etiam jus decimandi, estque per accidens, & inter casus fortuitos numerandum, si post ablatas decimas aliunde non habeant, unde alantur. Porro sicut Parocho, ita etiam locis pijs, v.g. Monasterijs, Hospitalibus &c. compensationem aliquam arbitrio Judicis sacri faciendam esse existimo, si à Superiore Ecclesiastico assignata ipsis sustentatio fuit ex decimis, & postea eâ priventur per culturæ variationem jùsque decimandi in alios sive laicos sive Ecclesiasticos translatum : quia cùm mens Pontificis fuerit, ut sustentationem, quam aliunde non habebant, haberent ex decimis, censendum est, voluisse eundem, ut absolutè ex decimis alerentur, ac idcirco, ut si illis, quas primò assignârat, succederent aliæ, ex istis modò alerentur; nisi interim aliunde accessisset aut facilè accedere posset, unde defectus assignatarum decimarum suppleretur.

Assert. II. Qui decimas ex certis fundis colligendi jus obtinuit per transactionem, consuetudinem, vel præscriptionem, poterit colligere decimas ex omnibus fructibus, qui ex illis fundis proveniunt, quæcunque variatio culturæ fiat. Unde si tempore juris acquisiti percepit decimas solùm minores, quia fundus tunc erat pratum, aut hortus arboribus vel oleribus consitus, poterit postea percipere etiam majores, si mutatâ culturâ frumentum inde proveniat. Ita post Hostiens. Panorm. Felin. Anchar. Ant. de Butrio, sentiunt Rebuff. *q.* 14. *n.* 14. & 18. Covarr. *pract. c.* 17. *n.* 17. *prin.* Balb. *de præscript. 2. p. prin. q. 2. n.* 17. Guttier. *Can. qq. l. 2. c.* 21. *n.* 92. 99. & 103. Nic. Everhard. *l. c.* Harpprecht. *prin. Inst. de usucap. n.* 252. Suar. *c.* 21. *n.* 10. aliique communiter. Videtur casus esse expressus *c.* 31. *de priv. c.* 30. & *c.* 4. *h. t.* ibi: *sicut etiam de pascuis olim decimæ persolvebantur, ita nunc de* 406

eisdem

eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolvi. Ubi licèt sermo sit de Parochia, cui jure communi decimæ debentur, ratio tamen procedit etiam de alio decimatore, cui constat jus decimandi absolutè esse concessum: idcirco enim Parocho, cui priùs solvebantur minores, nunc debentur majores, quia absolutè jus habet ex his fundis colligendi decimas; ergo si cuipiam alteri absolutè, & sine restrictione ad certos fructus, jus quæsitum fuit in certis fundis, poterit decimas petere ex quibuscunque fructibus, qui inde proveniunt. Quod de Ecclesijs in possessione decimandi existentibus, à S. Congr. Concil. a. 1649. decisum esse refert Pignatelli *tom. 1. consult. 358. n. 1.*

407 Juri communi concordat Jus Bavaricum *tit. 28. a. 11.* his verbis: Wann ein Zehend-Herr den kleinen Zehend nergend dann allein in den Garten hat/so soll jhm der Zehend von allerley darin gebautem Früchten/ wann es gleich N.B. schwer Getrayd wäre/ folgen/ und zustehn. Hingegen wañ gleich im Feld Kraut/ Rueben/und anderes zum kleinen Zechend gehörig/gebauet wurde/ soll der Zehend dem folgen/welcher den grossen Zehend hat. Quæ verba procedunt de casu nostræ assertionis, quo videlicet assignatio decimarum non secundùm certos fructus, uti in casu prioris assertionis, sed juxta certos fundos facta est. Illud verò, quod ibidem subijcitur, peculiare est, & primam nostram assertionem non parùm limitat. Sic autem habet: Hätte aber der Zehend-Herr deß kleinen Zehend solchen nit nur in den Garten/ sonder auch ausserhalb in Felderen Zefangen/ soll ihme gleichwol der Zehend von allen Früchten in den Garten folgen/ aber auf dem Feld soller den kleinen Zehend/ zuverstehen von den Früchten/ die nach Inhalt deß folgenden 12. Articuls/ zum kleinen Zehend gehörig/ allein auf einer halben Juchard Ackers/bey jedem Mayr haben/ das übrige deme folgen/welchem der groß gehörig ist. Igitur quamvis de Jure communi illis, qui absolutè, & absque restrictione ad certos fundos, jus habent colligendi decimas minores, istæ debeantur integræ juxta *n.* 402. undecunque proveniant: in Bavaria tamen solùm conceduntur ex dimidio jugero singulorum colonorum. Ratio sic statuendi haud dubiè erat antiqua consuetudo, & ex consuetudine præsumptum quoad laicos (utpote quibus sola consuetudo non patrocinatur) privilegium. Forsan æquitas decisionis etiam ex eo peti posset, quòd ijs, quibus decimæ solùm ex hortis concessæ sunt, decimæ tantùm minores concessæ videantur, quia ordinariè hæ solæ ex hortis proveniunt. Cùm igitur vi ejusdem articuli decimatori hortorum ultra minores decimas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

simas competant etiam majores, si ex hortis proveniant, æquum videri potest, ut vicissim decimator agrorum habeat minores, si istæ ex agris proveniant.

498 Dices: qui in fundo, ex quo hactenus colligebantur decimæ solùm minores, præscripsit jus decimandi, jus duntaxat minorum præscripsit, quia plus præscribi non potest, quàm possideatur: ergo si postea ille fundus ferat majores, istæ vi præscriptionis non competent. R. neg. ant. quia etsi jus decimandi immediatè solùm detur in fructus, ejus tamen quasi possessio & præscriptio afficit ipsum fundum decimalem, & non hos vel illos certos fructus: unde quomodocunque ille fructificet, præscribenti fructificat quoad decimas, estque varietas fructuum solùm per accidens, uti patet ex *cit. c. 4. h. t.* ob rationem, quæ datur *c. 30. eod.* quòd eadem res non debeat diverso jure censeri. Non tamen negamus, fieri posse, ut possessio non sit in ipsis fundis, sed solùm in fructibus, v. g. si quod Monasterium à longo tempore collegit decimas vini, ex quibuscunque fundis Parochiæ illud proveniret; Parochus verò decimas frumenti. Hoc casu possessio erit non quoad fundos, sed solùm quoad fructus, & idcirco, si vinea vertatur in agrum, decimæ jam non Monasterij, sed Parochi erunt; & vicissim, si ager vertatur in vineam, Monasterium, non Parochus illam decimabit, ut post Innoc. Anchar. ac alios benè tradit Rebuff. *q.* 13. *n.* 61. & patet ex dictis *n.* 402. Idem dicendum est, si Monasterio v. g. concessum sit privilegium universale colligendi decimas vini: si enim vineæ postea mutentur in agros, non poterit vi privilegij decimas frumenti colligere. At poterit colligere ex vino, si agri mutentur in vineas, cum limitatione tamen, de qua *n.* 403. Si verò decimæ v. g. vini solùm præscriptæ fuerunt in certis fundis, colligere præscribens eas nequit ex alijs, qui fortè in vineta convertuntur: valet enim hîc illud, plus non esse præscriptum, quàm fuerit possessum.

Assert. III. Si quis in quibusdam 409
certis fundis vi privilegij colligit decimas v. g. fœni aut vini, & postea pratum vel vinea convertatur in agrum, decimæ frumenti non ad ipsum, sed ad Parochiam pertinent. Casus longè diversus est ab eo, quem posuimus *assert. 1. n. 402.* quando videlicet constat, ex privilegio vel præscriptione deberi in aliqua Parochia vel territorio certæ speciei decimas uni, alterius alteri: tunc enim, ut diximus, mutatis fructibus mutatur decimator, ita ut decimæ v. g. frumenti jam non sint illius, qui priùs collegerat, decimas vini; sed illius, qui in illa Parochia hactenus collegerat decimas frumenti. Hîc verò ponitur casus, quo non con-

ſtat de fructibus certis huic vel illi conceſſis, ſed ſolùm, quòd ex hoc illóve fundo unus ex privilegio, v.g. laicus, collegerit decimas vini (quia hactenus hæ ſolæ inde provenerant) alius decimas frumenti. Idémque in iſto, quod in priori caſu, dicendum eſſe exiſtimo. Pone ergo, pratum vel vineam, ex quo laicus hactenus collegit decimas fœni vel vini, converti in agrum: dico, jus colligendi decimas frumenti jam non eſſe penes laicum, ſed penes Parochum, vel eum, qui vi præſcriptionis hactenus frumentum decimavit.

410 Ratio eſt: quia privilegium decimandi, utpote contrarium Juri communi & privato Parochi, eſt odioſum, & ut omnes fatentur, ſtrictiſſimæ, ſaltem quoad laicos, interpretationis. Cùm ergo ex uſu privilegij & decimatione à laico hactenus factâ ſolùm colligatur, quòd obtinuerit privilegium decimandi v.g. fœnum, ac aliunde, ut ponimus, non conſtet, fuiſſe privilegium abſolutum, ſeu datum ad decimas hujus fundi, quæcunque illæ forent, conſequens eſt, præſumi debere (niſi contrarium aliunde conſtet) quòd datum fuerit ſolùm ad illius certæ ſpeciei decimas, quas fundus hactenus ferebat, ejúſque decimator hucuſque ſolas collegerat: aliàs interpretatio non foret ſtricta (qualis eſſe debet) ſed lata, quam horret privilegium odioſum. Ratio ulterior eſt: quia poteſt aliquis habere privilegium colligendi decimas fœni, quin habeat colligendi quascunque alias etiam ex eodem fundo, & ſic dum illæ fuerunt conceſſæ, non hoc ipſo conceſſæ erant etiam reliquæ: cùm ſub conceſſione alicujus juris ſimpliciter facta non veniat jus, quod poſtmodum oritur de novo, licèt ſit ſimile priori, ut patet ex *c. 2 §. h.t.* & obſervat ibi Panor. n. 7. maximè cùm decimator fœni forſan has tantùm decimas à Pontifice petierit, utpote quas ſolas tunc fundus ferebat, & nec ratio fortè fuerit, alias, quàm has, concedendi.

Ex dictis patet, quòd laicus decimator, qui præter poſſeſſionem immemorialem alium titulum allegare non poteſt, illas tantùm decimas exigere poſſit, quas hactenus collegit; non verò ullas alias, quæ poſt mutatam fundi culturam proveniunt. Ratio eſt: quia in tali caſu nec præſcriptionem (hæc enim in laicis locum non habet, ut infrà dicetur) nec alium titulum, præter privilegium, allegare poteſt: privilegium autem, ut diximus, ipſi ſolùm quoad decimas hujus ſpeciei, quas hactenus collegit, patrocinatur. Quæ cùm apertè, ut opinor, ſequantur ex communiſſima TT. & Canoniſt. doctrina de non extendendo privilegio odioſo ad ea, de quorum conceſſione non conſtat, conſequens eſt, quòd pro hac aſſertione præter rationem ſtet maxima DD. auctoritas. 411

Aliud

412 Aliud dicendum videtur de decimatore Ecclesiastico: huic enim etsi solum privilegium decimandi æquè parùm ac laico faveat quoad decimas novas post privilegium ortas, ut patet ex dictis *à n. 391.* Si tamen tempore ad præscribendum requisito in possessione fundi decimalis fuit, allegare potest præscriptionem (quam allegare nequit laicus) & vi illius petere decimas novas, quas fundus antè non ferebat, juxta dicta *n. 406.*

413 Dices I. *c. 4. h. t.* apertè statui, ut si quis ex aliquo loco percipere solitus fuerit decimas, eas habere debeat de omnibus, quæ in eo loco plantantur, etiamsi ratio colendi fuerit mutata. R. Ibi sermonem esse solùm de Parochijs: quibus cùm Jus commune assistat, resistat verò privilegiatis, & longè dispar sit de utrisque ratio, argumentum ad hos ab illis peti ex illa decisione neutiquam potest.

414 Dices II. Qui in aliquibus fundis præscripsit jus decimandi, poterit novos fructus, qui post variatam culturam proveniunt, decimare, æquè ac illos decimavit, qui tempore præscriptionis provenerunt, ut concessum est *n. 406.* ergo idem dicendum est de privilegio, cùm præscriptio æquè odiosa & restringenda sit ac privilegium. R. neg. conseq. & paritatem: quia præscriptio, ut dixi *n. 408.* non certos duntaxat fructus, sed ipsum fundum decimalem afficit, & absolutè obnoxium facit, obligátque præscribenti; unde consequens est, eidem pariter obnoxium esse, quidquid fundus fert. E contrario, privilegium decimandi per se non extenditur ad quoscunque fructus, sed sæpe datur tantùm ad aliquos determinatos, v. g. vini, aut fœni. Cùm ergo laicus, si solâ possessione immemoriali se tuetur, nec ex forma privilegij (utpote quod nequit exhibere) ostendere possit, absolutè concessas sibi esse decimas ex his fundis, neque id erui possit ex usu privilegij, cùm iste hactenus fuerit solùm circa has determinatas decimas vini, nullo sanè ex capite præsumi potest, quòd jus absolutum & in omnes decimas ipsi fuerit concessum. Unde cùm ejus privilegium sit odiosum, & ita interpretandum, ut quàm minimùm noceat Ecclesiæ, in cujus præjudicium concessum fuit, consequens est, quòd sumi debeat tantùm de illis decimis, circa quas hactenus fuit usurpatum: aliàs si de quibusvis acciperetur, non strictè & cum minimo damno Ecclesiæ, sed latè fieret ejus interpretatio. Constat profectò cùm ex varijs Juribus, tum ex ratione & consensu DD. ut fusè ostendunt Suar. *de leg. l. 8. c. 27.* Salas *disp. 17. sect. 8.* Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 7.* Bonacina *disp. 1. q. 3. pun. 7.* Palao *tr. 3. disp. 4. pun. 10.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 13.* si privilegium præjudicat tertio, vel Juri communi, & dubium est, quæ

fuerit mens concedentis, ita exponi debere, ut de minimo procedat, si de hoc solo verificari potest: cùm certum sit, nunquam censeri derogatum Juri vel communi vel tertij, nisi de derogatione constet. Atqui in nostro casu dubium est, utrùm laico concessum fuerit privilegium ad quascunque decimas ex his fundis, an solùm ad aliquas, éstque hoc privilegium adversum tam Juri communi, quàm tertij, ergo &c.

415 Dices III. Mutatione qualitatis seu formæ non mutatur substantia fundi: ergo si privilegium habeo colligendi decimas ex fundo, colligere possum, qualescunque proveniant, cùm idem semper fundus maneat, & varietas fructuum sit solùm accidentaria. R. consequentiam tunc solùm esse bonam, si ipse fundus absolutè mihi obligatus sit, uti est, quando jus decimandi in ipso præscripsi, aut quando privilegium absolutè ad ejus decimas datum est: secùs, si nec ex ipsa forma privilegij & tenore verborum, nec ex ejusdem usu constat, fueritne absolutè, an solùm in certis fructibus, quos fundus tempore dati privilegij ferebat, concessum.

416 Dices IV. *c. 30. h. t.* Pontifex Monasterijs, quibus decimæ majores & minores in aliqua Parochia erant solutæ, adjudicat etiam novas, quæ priùs non percipiebantur, rationem addens: *cùm ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia diverso jure censeri.* Hæc autem ratio pugnat pro omni casu, sive terra fuerit decimalis ex præscriptione, sive ex transactione, sive ex privilegio. R. I. Ibi agi de casu præscriptionis, ut Panor. Anton. de Butrio, aliíque supponunt, & patet ex summario capituli. At non est eadem ratio præscriptionis & privilegij, ut modò diximus. R. II. In casu capituli decimas tam majores quàm minores fuisse solutas Monasterio; illius verò generis decimas, de quibus ibi controversum erat, cui deberentur, nec à Monasterio nec ab ullo altero antea fuisse collectas. Unde inferunt Hostiens. Panor. Joan. Ant. de Butrio *in cit. c. 30.* & Rebuff. *q. 14. n. 25.* si certi generis decimæ sint hactenus solutæ non Monasterio, sed alicui alteri, & postea ejusdem generis fructus alicubi de novo proveniant, decimas inde deberi non Monasterio, sed illi alteri. Et de hoc ultimo casu sermo nobis est: ponimus enim, vineam, cujus decimas hactenus percepit laicus, converti in agrum, & ex agris illius Parochiæ decimas non illi laico, sed alteri solvi. Hinc cum ijsdem DD. inferimus, eandem rem debere censeri diverso jure, quando est diversa ratio, uti est in nostro casu. R. III. ibidem sermonem esse de casu, quo alicui absolutè concessa est facultas decimandi, ut ibi notat Wagnerek. At ex privilegio, vi cujus laicus hactenus percepti

cepit decimas vini, non constat illud procedere absolutè & de quibuscunque alijs decimis: in dubio autem præsumptio stat pro Ecclesia contra laicum.

417 Dices V. Non debet esse penes dominum fundi adimere decimas uni pro arbitrio, & adijcere alteri: atqui esset, si laicus, qui hactenus collegit ex fundo decimas fœni, non posset ex eodem colligere decimas etiam frumenti, postquam pratum conversum est in agrum. R. hoc argum. nimium probari: sequeretur enim, vel non posse à domino culturam fundi mutari, vel decimas, quæcunque sint, ex eodem fundo semper deberi illi, cui semel debebantur. Neutrum verum est, ut patet ex dictis *n.* 402. Directè igitur & immediatè dominus fundi non potest pro arbitrio attribuere decimas, cui vult; potest tamen mediatè & per consequentiam, dum mutatâ culturâ (quæ ipsi est libera) vi vel consuetudinis, vel privilegij, vel transactionis, pro diversitate fructuum diversus est decimator.

418 Assert. IV. Si fundus priùs ferebat fructus, de quibus ex consuetudine decimæ non solvuntur, v. g. fœnum, & postea ferat fructus decimabiles, v. g. frumentum, de his solvendæ sunt decimæ, haud secùs, quàm si frumentum inde semper provenisset, aut fœnum fuisset decimatum. Conveniunt in hac assertione DD. Ratio aperta est: quia consuetudo, utpote quæ stricti juris est, & contra usurpata se non extendit, solùm excepit fœnum, non verò fundum absolutè exemit ab onere decimarum, ergo si is postea ferat alios fructus, quos consuetudo à decimis non fecit immunes, solvendæ hæ erunt, æquè ac ex alijs fundis ejusdem generis fructus ferentibus. Si quis verò prætenderet, consuetudine legitimè præscriptâ suum fundum non solùm quoad hos certos fructus, sed absolutè quoad omnes esse exemptum, probatio ipsi incumberet, quam tunc justam afferret, si ostenderet, pratum, quod modò convertit in agrum, jam olim fuisse agrum, & neque tunc decimas inde fuisse solutas.

Assert. V. In casu modò posito 419
decimæ novorum fructuum debentur Parocho; non verò alteri, cui decimæ antiquæ in illa Parochia ex præscriptione, privilegio, vel infeudatione competunt. Ita rursum communis DD. nemine, quem sciam, refragante. Ratio est: quia si fundus, qui priùs tulit fructus non decimabiles, modò ferat decimabiles, proprijssimè novalis est: cùm novale non solùm tunc sit, quando terra priùs sterilis & omnino inculta ad culturam redigitur; sed etiam tunc, quando priùs tulit fructus oneri decimarum non subjectos, nunc verò fert subjectos, ut partim tradunt, partim supponunt DD. præsertim Gloss. *in c.* 4. *h. t.*

Panor. *in c.* 21. *de V. S. n.* 1. Rebuff. *q.* 14. *n.* 22. Suar. *c.* 22. *n.* 9. *&* 10. Bern. van. Espen *Jur. Eccl. p.* 2. *tit.* 33. *c.* 6. *à n.* 8. Wagnerek *in c.* 13. *h. t. not.* 1. Nec tantùm juxta Canonistas, sed etiam juxta Ictum *l. ult. ff. de term. moto*, Novale est, si sylvâ eradicatâ fundus seminatur, non obstante, quòd sylva non sit omnino sterilis, sed lignorum fructus ferat. Unde apertum est, quòd si pratum, ex cujus fœno decimæ non solvuntur, vertatur in agrum, ejus decimæ debeantur Parocho, quia huic debentur decimæ novalium; non illi, cui vi præscriptionis aut consuetudinis debentur antiquæ, ut dixi *n.* 386. nec illi, cui concessæ sunt in feudum, vel ex privilegio, ut *n.* 390. *&* 391.

420 Excipitur I. Casus, quo quis vel privilegio vel præscriptione acquisivit jus decimas novas æquè ac antiquas colligendi, aut solas novas, juxta dicta *n.* 387. *&* 388. II. Quando priùs ex prato vel sylva aliquid, saltem non modicum, vi præscriptionis percepit: tunc enim etiam ex alterius generis fructibus postea provenientibus colligere decimas poterit, ut diximus *n.* 406. *&* 408. III. Quando fundus ex prato in agrũ conversus jam olim fuit ager: tunc enim percipiet decimas frumenti, sicut olim; quia quoad has fundus ipsi mansit obligatus, non obstante, quòd tempore intermedio, quo fuit pratum, fructus decimabiles non tulit.

Dubium supereſt, an si vicissim 421
ager convertatur in pratum, decimæ verò feni ex consuetudine vel privilegio non solvantur, has possit exigere, qui priùs ex agro percepit decimas frumenti. Affirmant Card. Luca *disp.* 4. *de decim. n.* 13. *&* 14. & Pignatelli *tom.* 1. *cons.* 358. *n.* 2. Ratio est I. Quia Canonistæ ex *c.* 4. *h. t.* velut regulam statuunt, si prædij cultura mutetur, vel ex urbano fiat rusticum, manere obnoxium oneri decimarum, & prioribus subrogari novas ex novis fructibus. II. Quia etsi mutetur terræ qualitas, manet tamen substantia: manet ergo obligata quoad decimas. III. Fundus servituti obnoxius non potest mutari in præjudicium servitutem habentis: ergo neque mutari potest quoad onus decimandi; aliàs proprietarius pro arbitrio conditionem decimatoris deteriorem facere posset, & evertere jus ipsi quæsitum. IV. Uti discurrit Pignatelli *l. c.* lex, quæ, habetur *c.* 5. 6. 21. 22. *h. t.* de solvendis decimis ex omni re fructifera, diversa est ab ea, quæ habetur *c.* 4. *h. t.* de subrogatis fructibus: ergo licèt per consuetudinem derogatum sit priori, ita ut ex aliquo fundo nullæ solvantur decimæ; non tamen propterea derogatum etiam est legi posteriori, vi cujus ex fundo semel obnoxio decimis solvi istæ debent de fructibus novis, qui prioribus succedunt: quia consuetudo est stricti juris *l.* 1. §. *si quis ff. itin.*

de itin. actúque priv. & sic dum tollit unam legem, non hoc ipso tollit etiam diversam.

422 Assert. VI. Quando ager, ex quo hactenus solutæ sunt decimæ frumenti, convertitur in pratum, non datur obligatio solvendi decimas feni, si istæ ex consuetudine in illa Parochia non solvuntur. Ita sentio cum Pirrhingio *h. t. n.* 119. Illustriss. D. Schmid *semicent. 2. contr. 29. n. 5.* P. Jac. Wex *Manip. decim. q. 6. n. 12* Prænob. D. de Clingensperg *tr. de decim. assert. 56. n. 4.* Concordat Jus patrium *tit. 28. art. 15.* Et quamvis *art. 10.* contrarium statui videatur, quia dicitur, si in agro, ex quo hactenus frumentum provenit, serantur rapæ, brassica, milium, linum, cannabis &c. de his fructibus solvendas esse decimas, uti priùs de frumentis: censeo tamen responderi posse, ibi sermonem esse solùm de casu, quo illi fructus sunt obnoxii decimis; non verò de illo, quo per consuetudinē sunt exempti. Ratio asserti est: quia jus decimarum per se non est immediatè annexum fundis, sed fructibus, ut ostendi suprà à *n.* 137. ergo si fructus sunt tales, ex quibus decimæ non solvuntur, decimator jus exigendi non habet, tametsi ex alijs fructibus ejusdem fundi priùs collegerit: tum enim collegit non ratione ipsius fundi, sed fructuum decimationi obnoxiorum.

423 Confirm. I. Qui fundum omni culturâ destituit, decimatori ad nihil tenetur: ergo neque, si conserit fructibus non decimalibus. Non enim est potior ratio pro hoc, quàm pro illo casu: quia fructus decimationi non subjecti ad eam perinde se habent, ac si omnino nati non essent. Confirm. II. Æqualitatis ratio videtur poscere, ut sicut solvendæ sunt decimæ, si fundus, qui priùs tulit fructus non decimabiles, nunc fert decimabiles; ita vicissim non solvantur, si priùs tulit decimabiles; nunc verò non decimabiles. Confirm. III. Si agri culturâ destituantur, & in sylvas excrescant (ut tempore belli Suecici multis in locis contigit) nemini decimatorum in mentem venit decimas lignorum exigere: non aliam ob causam, quàm quia ligna de consuetudine non decimantur. Stat ergo praxis pro nostra assertione.

Ad I. Rationem in oppositum 424
regulam illam non absolutè & in omni casu procedere: aliàs semper ille, qui ex fundo percepit aliquandiu majores decimas, jus haberet ex eodem percipiendi minores, ac vicissim: quod falsum esse constat ex dictis *n. 402.* Quando igitur *cit. c. 4.* dicitur, ex fundo ad fertilitatem frugum translato debere etiam Monachos decimas solvere, si priùs ex ejusdem fundi pascuis solverunt, sermo est de frugibus oneri decimarum subjectis, non verò de exemptis. II. & III. ratio supponit, ipsum fundum immediatè obligari

ad

ad decimas. At hoc rejeci *cit. n. 137.* Unde non est paritas inter servitutem & jus decimandi: illa enim inhæret immediatè fundo, ut patet ex *l. servitutes § si antea ff. de serv. urb. præd. l. sed si quid §. proprietates ff. de usufr. l. etsi fortè §. fin. ff. de serv. vend. l. certo generi §. si totus. ff. de serv. rust. præd.* & latè tradit Cæpolla *tr. de serv. rust. præd. c. 9. à n. 40.* Ad id, quod additur, juxta nostram opinionem fore in arbitrio proprietarij jus decimatori quæsitum tollere, respondi *n. 417.* IV. Ratio pariter malè supponit, quòd *cit. c. 4.* loquatur de quibusvis fructibus subrogatis: assero, loqui solùm de illis, ex quibus solent pendi decimæ; idque probant rationes *n. 422. & 423.* allatæ, nec contrarium evincit ulla vel lex vel ratio.

425 Limitatio tamen assertioni addenda est, quam feci suprà *n. 403.* Limitant aliqui II. in casu, quo quis odio decimatoris agrum in pratum converteret. Verùm cùm hic utatur jure suo, non peccat contra Justitiam, neque ad solvendas decimas tenetur, quamvis peccet contra charitatem, ut benè notat Fagund. *in 5. præcept. Eccl. l. 1. c. 6. n. 10.* Non tamen nego, si de hujusmodi malignitate constaret, & proprietarius probare non posset, suâ interesse variare culturam, compelli eundem à Magistratu posse ad continuandam priorem culturam. Limitant III. ajúntque, assertionem non procedere, si quis in præjudicium decimatoris rationem culturæ mutaret. Verùm vel sermo est de decimatore Parocho, Monasterio, aut Hospitali, cui pro sustentatione assignatæ sunt decimæ, & cui his subtractis illa subtraheretur; vel de decimatore alio, cui privilegio, præscriptione &c. acquisitum est jus decimandi? Si prius: versamur in casu limitationis primæ, de quo *cit. n. 403.* Si posterius, malè fit limitatio: quia sequeretur, aut licitam proprietario non fore variationem culturæ, aut hàc variatâ decimas, ut priùs, solvendas esse: hoc autem nec ipsimet admittunt, & falsum esse patet ex dictis *n. 403. 417. & 422.*

Ex dictis patet responsio ad ca- 426
sum, quem proponit Nic. Everhard. Jun. *vol. 1. cons. 46.* Parochus alicubi habuit jus percipiendi decimas ex frugib⁹ hirsutis von dem rauchen Getraid/ videlicet de hordeo & avena Gersten und Haber; Nobilis laicus de frumento plano vom glatten Getraid / tritico nimirum seu siligine dem Waitzen / zea seu spelta Dünckel / Fesen / oder Kern / & secali Rocken. Ratio culturæ mutata est, & frugibus hirsutis successerunt planæ. Quærebatur, decimæ ex istis cui deberentur, Parocho, an Laico? Parocho fuisse debitas, sequitur ex dictis à *n. 409.* quia laicus decimas nec quoad certos fructus, nec quoad certos fundos præscribere potest, sed tantùm habere ex privilegio vel feudo; hoc verò cùm stricti

juris

juris sit, præsumitur datum esse non solùm quoad certos tantùm fructus, sed etiam quoad certos solùm fundos. Ut igitur prætendere possit jus percipiendi decimas ex tritico in agris, in quibus hactenus Parochus percepit ex hordeo, aut privilegium hujus juris exhibere debet, aut probare, quòd à tempore immemoriali sui antecessores decimas ex his fundis perceperint, quicunque fructus inde provenissent. Consentit Everhard. *l. c.*

427 Si verò lis esset inter Parochum & Monasterium, aliúmve decimatorem Ecclesiasticum, & hic probare posset, se hactenus promiscuè ac universim decimâsse triticum & secale in hac Parochia, Parochum avenam duntaxat & hordeum, jus ipse, & non Parochus, haberet triticeas decimas ex agris controversis colligendi, juxta dicta *n. 402. & 412.* E contrario penes Parochum jus foret, si alter ex certis duntaxat agris illas percepisset, juxta dicta *n. 406.*

CAPUT II.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus debentur Decimæ Jure extraordinario.

QUÆSTIO I.

An Transactione, Compromisso, aut Permutatione, acquiri Jus Decimandi possit.

SUMMARIUM.

428. *Multiplex modus acquirendi Jus Decimandi.*
429. *Acquiritur Transactione.*
430. *Requisita & effectus talis Transactionis.*
431. *Etiam Compromisso obtinetur.*
432. *Et Permutatione.*

428 Cùm hactenus decisum sit, quib⁹ Ecclesijs & Clericis Jure ordinario jus decimandi competat: sæpe verò hoc jus possideant Ecclesiæ & Clerici, quib⁹ SS. Canones resistunt; idcirco inquirendum nunc est, quinam sint legitimi modi, quibus à propria Ecclesia & Parocho ad extraneos devolvuntur. Tituli, de quibus dubitari potest, sunt: *Transactio,*

actio, Compromissum, Permutatio, Venditio, Locatio, Unio Ecclesiarum, Privilegium, Investitura, Consuetudo, Præscriptio.

429 Assert. I. Vi Transactionis acquiri jus decimandi potest. v. g. si plura sunt prædia, de quorum decimis litigatur inter Ecclesiasticos, transigi potest, ut uni parti hæc, alteri alia prædia assignentur; vel ut decimæ dividantur, si unicum prædium est litigiosum. Ita habetur *c. 2. & 8. de transact. & c. 3. h. t.* Neque obstat *c. 4. 6. & 10. de transact.* ubi vetatur transactio super jure spirituali: quia ibi sermo est solùm de casu, quo intervenit res temporalis, ut notat Canis. *q. 10. n. 4.*

430 Nonnulla tamen hìc observa. I. Ut transactio sit legitima & Simoniam non involvat, necesse est, nullum pretium interveniat, quo jus spirituale decimarum ematur, ut patet ex *cit. c. 4. 6. & 10.* II. Ut transactio sit perpetua & successores liget, accedere debet consensus Superioris cum causæ cognitione, ut patet ex *cit. c. 8.* secùs ligabit quidem ipsos transigentes, non verò successores, uti sumitur ex *cit. c. 3. & 8.* & ibi notant Gloss. ac Panor. *n. 2. & in c. 7. h. t. n. 4.* sæpiúsque decidit Rota Rom. teste Barbosa *l. 2. Jur. Eccl. c. 26. §. 4. n. 26.* Superioris nomine hìc intelligitur non solùm Episcopus, sed etiam inferior Prælatus, si auctoritatem quasi Episcopalem habet: nec non Vicarius Generalis, ut tradunt Rebuff. *q. 13. n. 23. & 24.* Fagundez *in 3. præc. Eccl. l. 3. c. 2. n. 3.* Barbosa *l. c.* ac alij contra Aufrer. III. Transactio indefinitè facta procedit de decimis non solùm præsentibus, sed etiam futuris. Hinc si Monasterium transegit cum Parocho, & alia postea acquirat prædia, ex his quoque decimas colliget. *arg. c. 22. de Privil.* Glos. *in c. 3. h. t.* Pirrhing *h. t. n. 120.* Leur. *Fori Benefic. p. 1. q. 477.* IV. Si Ecclesia per transactionem graviter læsa est, poterit tam ipse, qui transegit, quàm successor, agere ad rescissionem, juxta *c. 6. de reb. Eccl. alien.* & docent Rebuff. *l. c. n. 34.* Fagund. *n. 20.* Graviter læsa censetur, quando vix remanet, quod ad ministrorum sustentationem aliáque onera sustinenda sit satis. V. Transactioni isti non derogatur per privilegium exemptionis à decimis, nisi de illa fiat mentio *arg. c. h. t.* partim quia Princeps non censetur velle tollere jus speciale alteri quæsitum *c. 38. de rescript. c. 5. de auct. & usu Pall. c. 15. de off. de leg. c. 12. de off. ordin.* partim quia verisimiliter privilegium non concessisset, si nota ipsi fuisset transactio, cùm non facilè rescindenda sint, quæ inter partes sunt transacta. *l. 16. C. de transact.* Quâ ratione transigi possit super decimis non solvendis, tam præteritis, quàm futuris, dixi *àn. 307. & àn. 314.*

Assert. II. Jus decimarum per 431 compromissum uni litigantium auferri, alterique acquiri potest, tam

totum

totum quàm ex parte. Sumitur ex *c.7.de his, quæ fiunt à Prælat.junct. c.1.de arbitr.* & tradit communis. Duo tamen requiruntur. I. Consensus Superioris aliæque solemnitates ad alienationem rerum Eccles. necessariæ: quia *quando aliquid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ex illo sequuntur. reg.39.in 6.* At ex compromisso frequenter sequitur alienatio: est ergo prohibitum, nisi adhibeantur dictæ solemnitates. II. Arbitri debent esse Clerici: laicus enim de spiritualibus, uti judicare, ita arbitrari nequit. *c. 8. de arbitr.* Possunt tamen cum consensu Superioris Ecclesiastici Clerico compromissario adjungi unus vel plures laici, juxta *c.9. de arbitr.*

Assert. III. Jus Decimarum unius Ecclesiæ permutari potest cum jure decimarum alterius Ecclesiæ. Ita communis DD. patetque ex *c.6. de rer.permut.* ubi permittitur permutatio Ecclesiarum & possessionum, & ita quidem, ut si possessiones unius minus valeant quàm alterius, defectus illarum pretio compensari possit, & ex *c. ult. eod.* ubi solùm damnatur permutatio temporalis rei cum spirituali; non item spiritualis cum spirituali. Auctoritas tamen Episcopi interveniat necesse est. *c. Statuimus 2. de transact.* quia permutatio est species alienationis. *c. nulli de reb. Eccl. alien.* 432

QUÆSTIO II.

An Emptione & Conductione acquiri Clericis Jus Decimarum possit.

SUMMARIUM.

433. *Jus decimandi emi non potest.*
434. *Emi potest utilitas percipiendorum fructuum.*
435. *Et conduci.*

433 Assert. I. Jus decimarum formaliter acceptum, seu ut fundatum est in titulo spirituali, sive officio & obligatione ministrandi spiritualia, etiam ab Ecclesiastica persona emi vel conduci nequit. Assertio certa est, patetque ex *tot. tit. de Simon.* quia sic acceptum est spirituale; at spirituale pro temporali (quod fit in emptione & conductione) comparari non potest.

Assert. II. Jus decimarum materialiter acceptum & præcisum à spirituali, sive quoad utilitatem 434

percipiendorum fructuum, emere & conducere Ecclesiastici possunt. Ita omnes cum S. Thoma 2. 2. q. 87. a. 3. in C. & sumitur ex *c. ult. de rer. permut. & Clem. 1. de reb. Eccl. alien. in fine.* Ratio patet, quia decimæ hoc modo sumptæ sunt res temporalis: jus enim ipsum, vi cujus illæ principaliter debentur, semper manet penes Ecclesiam; fructus verò hujus juris est materialis & profanus.

435 Assert. III. Parochus decimas Ecclesiasticæ personæ liberè & absque solemnitate locare potest ad tempus breve; ad longum non nisi cum consensu Superioris aliisque solemnitatibus ad alienationem rerum Eccles. requisitis. Assertionis pars I. patet ex *c. 2. de locato*, altera ex *c. 5. Clem. 1.* & *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. alien.* quâ ultimâ definitur, tempus breve hîc esse, quod non est ultra triennium, quamvis jure civili tempus longú sit tantùm decennium. Quòd verò dicta solemnitas requiratur etiam tunc, quando locatio fit Ecclesiasticæ personæ, hinc patet, quia alienatio rerum Eccles. prohibita est etiam inter Ecclesias, Monasteria, Episcopos &c. ut benè observat Suar. *c. 25. n. 9.* Assertio procedit solũ de decimis imediatè ad Ecclesiá pertinentibus; non verò de ijs, quæ sunt Parochi, ut patet ex dicendis *n. 493.*

QUÆSTIO III.

An Privilegio, Unione, aut Investitura, acquiri Clericis Jus Decimarum possit.

SUMMARIUM.

436. *Ecclesiæ & Clerici acquirere Jus decimandi possunt Privilegio SS. Pontificis.*

437. *Non verò aliorum Prælatorum.*

438. *Potest tamen Episcopus ex justa causa Decimas unius Ecclesiæ concedere alteri Ecclesiæ per unionem Beneficiorum, divisionem &c.*

439. *Si Ecclesia unitur alteri, illa, cui fit unio, decimæ alterius unitæ pleno jure acquiruntur.*

436 Assert. I. Ecclesijs & Clericis jus decimandi competere potest ex concessione SS. Pontificis. Patet ex *c. 7. h. t. & c. 7. de his, quæ fiunt à Præl.* ac à fortiori ex ijs, quæ infrà dicemus de privilegio laicis concesso. Nam tanquam supremus jurium spiritualium dispensator,

tor, jus decimandi, etiam ut fundatum in titulo spirituali, adimere ex causa uni Ecclesiæ vel Ecclesiastico, potest, & donare alteri juris istius quà talis capaci. Sic frequenter per incorporationē Parochiarū factam Monasterijs vel Canonicatibus eisdem hoc jus concesit. Quæ cùm certa sint, nullo Catholicorum dubitante, non vacat immorari. Quousque se extendat, privilegium decimandi, dixi *n. 391. 399. 402. 406. 409. 419.*

437 Assert. II. Episcopi, aliique Prælati SS. Pontifice inferiores Ecclesijs & Clericis jus decimandi concedere nequeunt, multò minùs laicis. Est assertio omnium DD. & patet ex *can. 43. & 44. 16. q. 1.* Ratio est: quia Parochiæ, & cum his decimæ ab ipso Pontifice aut hujus auctoritate ab Episcopis distributæ sunt. *can. 1. 13. q. 1.* at ea, quæ per SS. Pontificem stabilita sunt, immutare nequeunt Prælati inferiores, nisi in casibus Jure expressis: de casu autem decimarum nihil expressum est. Neque obstat *c. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur, *quòd concessio decimæ ab Abbatissa priùs facta, si conventu sciente & non contradicente facta est, robur firmum debet habere.* Nam ibi concessa Clerico fuit solùm commoditas decimarum temporalis ad modicum tempus, & in modica quantitate, vel solùm fuit aliqua remissio facta, ut explicant Panor. Hostiens. ac alij apud Barbosa *in cit. c. 2. n. 3.* & Rebuff. *q. 6. n. 34.* Vel intelligitur ibi per decimas Beneficium Ecclesiasticum, ut explicat & probat Gonzal. *ibid. n. 3.*

Assert. III. Episcopus ex justa 438
causa decimas unius Ecclesiæ concedere alteri Ecclesiæ potest *c. 54. 55. & ult. 16. q. 1.* quod fit, ut explicat Suar. *c. 15. n. 11.* per unionem aut divisionem Beneficiorum, aut applicationem partis decimarum, juxta facultatem concessam à Trident. *Sess. 7. c. 5. 6. 7.* & *Sess. 21. c. 3. 4. 5. & 7. Sess. 22. c. 3. Sess. 23. c. 18. Sess. 24. c. 13. & 15. Sess. 25. c. 9. de Refor.* Potest pariter decimas novalium, quæ non intra certæ Parochiæ fines consurgunt, Ecclesiæ, cui maluerit, intra Diœcesin attribuere juxta *c. 13. h. t.* & dicta *n. 363.* Eas verò, quæ pertinent ad mensam Episcopalem, alienare non potest. Si ab ipsa avulsæ ad eandem revertantur, transferre nequit in personam, quæ nunquam moritur, ut decidit Rota Rom. apud Barbos. *de Offic. Paroch. c. 28. §. 3. n. 53.* Potest denique in alienationem decimæ, quæ fit per transactionem aut permutationem, suum consensum & decretum interponere, juxta dicta *n. 430. & 432.*

Assert. IV. Si una Ecclesia alteri 439
Ecclesiæ, v. g. Monasterio, unitur, huic decimæ illius pleno jure acquiruntur. Ita decidit Rota Rom. *in una Augustana Decimarum 28. Mart. a. 1631.* quam refert Tambur. *de Jure Abbat. tom. 3.*

decis. 102. ubi dicitur, quòd ratione unionis seu incorporationis, cùm per hanc unà transferatur cura animarum, Monasterium tanquam Parochus ratione dictæ curæ debeat indistinctè percipere omnes decimas. Patétque ex *c. 30. h. t.* Eadem porro ratio est de quovis alio Corpore seu Collegio Ecclesiastico, v. g. Academijs, Ecclesijs, & Capitulis Cathedralibus, quibus Parochiæ pleno jure sunt incorporatæ: sic enim censentur loco Parochi, iique, quos Parochijs unitis præficiunt, solùm sunt ipsorum Vicarij. De Investitura, cùm sit eadem de ipsa ratio, quæ de privilegio, imò ipsa sit quoddam quasi privilegium, non est opus dictis aliquid superaddi. 440

QUÆSTIO IV.

An Consuetudine & Præscriptione Ecclesijs & Clericis Jus Decimarum acquiri possit.

SUMMARIUM.

440. *Differt Consuetudo à Præscriptione.*
441. *Valet Consuetudo solvendi decimas in loco domicilij, & non ubi sita sunt prædia.*
442. *Clericus etiam privatus præscribere decimas potest contra propriam Ecclesiam.*
443. *Juxta aliquos tunc solùm, quando præscribit ipsam Ecclesiam seu Beneficium.*
444. *Potest præscribere etiam non præscripto Beneficio.*
445. *Responsio ad opposita.*
446. *Requiruntur ad præscribendum contra propriam Ecclesiam 40. anni cum titulo; sine hoc tempus immemoriale.*
447. *Hoc tempore opus est etiam ad præscriptionem Ecclesiæ domicily contra prædialem.*
448. *Et ad præscribendum contra Monasterium, cui Parochia pleno jure incorporata est.*
449. *Non habet locum præscriptio, si per eam congrua sustentatio adimeretur Parocho. Aut si vitiosa & mala fidei possessio foret.*
450. *Occurritur objectioni.*
451. *Controversia de tempore immemoriali.*
452. *Ad possessionem immemorialem non sufficiunt 100. anni.*
453. *Solvitur ratio contraria.* 44
454. *Requisita ad probandam possessionem immemorialem.*
455. *In dubio, ad quam Ecclesiam pertineant decimæ, una contra alteram præscribit tempore ordinario.*
456. *Ad præscribendum contra Ecclesiam, cui Jure communi decima*

cimæ non competunt, sufficiunt 40. anni.

457. *Ad præscribendum contra Clericum privatum 10. anni cum titulo, sine hoc 30.*

440 CONsuetudinem cum Præscriptione non pauci hîc confundunt: est tamen multiplex inter eas distrimen, ut præter alios ostendit Balb. *de Præscript. p. 1. prin. q. 10.* Asserunt Rebuff. *de offic. Paroch. c. 28. §. 3. n. 68.* Monet. *c. 5. n. 97.* Canis. *c. 9. n. 3.* aliique multi, consuetudine alicui Ecclesiæ jus decimandi acquiri posse. Quod falsum est, si de una alteráve particulari Ecclesia loquuntur: nam consuetudo, cùm sit lex, locum non habet nisi quoad communitatem; præscriptio verò quoad privatos: consequenter huic tantùm vel illi privatæ Ecclesiæ jus acquiri per consuetudinem non potest, sed solùm per præscriptionē propriè dictam. Igitur ut communis illa assertio sustineatur, intelligenda solùm est de casu, quando in aliquo Regno vel Diœcesi consuetudo esset decimas v. g. prædiales solvendi Parochijs, ubi domini prædiorum habitant, & non illis, ubi prædia habent.

441 Assert. I. Si alicubi universali consuetudine receptum est, ut prædiales decimæ solvantur non Ecclesijs, ubi sita sunt prædia, sed illis, ubi eorum domini Sacramenta percipiunt (quas propter ea Sacramentales dicunt) valet hæc consuetudo, vique illius posteriores Ecclesiæ jus decimandi obtinent contra priores. Ita statuitur *c. 18. & 20. h. t.* & dictum est suprà *n. 365.* Solùm dubitatur, quantum temporis requiratur, ut talis consuetudo censeatur legitimè præscripta. Sufficere decennium existimant Panor. *in cit. c. 18. n. 6.* aliique: quia, ut dicunt, illa non est contra Jus commune (hoc enim de decimis prædialibus Ecclesiæ potiùs prædiali quàm sacramentali solvendis nihil statuit, ut patet ex *cit. c. 18. & 20.*) sed solùm præter Jus: consuetudo autem, quæ non repugnat Juri communi, solùm requirit longum tempus, seu decennium. Glos. *in c. fin. de præscr. in 6.* aliique communiter. Verùm dicendum est cum Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. V. Decimò his omnibus*, Suar. *c. 22. n. 7.* ac alijs, requiri ad hanc consuetudinem 40. annos, cùm sit contra Jus commune & tertij, partim quia *c. 29. & 30. h. t.* apertè dicitur, de Jure communi decimas prædiales ad Ecclesias Parochiales (quo nomine ibi, ut patet, Prædiales Ecclesiæ designantur) pertinere: partim quia juxta *c. 1. 13. q. 1. c. 42. 43. 44. 16. q. 1.* & *c. ult. de restit. spol. in 6.* decimæ non possunt ab Ecclesijs, quibus semel legitimè competebant, in alias transferri. Ergo à Prædialibus contra jus transferuntur in Sacramentales.

tales. Atqui consuetudo, quæ Juri communi simúlque juri tertij repugnat, non minus tempus exigit, quàm 40. ann, ut dixi *n. 283*. Illud tamen concedendum est, ad talem consuetudinem non requiri titulum: hoc enim solùm opus est ad præscriptionem, non item ad consuetudinem, ut cum communi tenet ac fusè probat Covarr. *l. c.*

442 Assert. II. Ecclesia, & Clericus etiam privatus, jus decimandi præscribere potest contra propriam Ecclesiam, seu illam, cui Jure communi debentur decimæ. Patet assertio ex *c. 18. 20. 29. 31. h. t.* ac præcipuè ex *c. 4.* & *6. de Præscript. c. 1. eod. in 6.* Patet quoque ratio: quia jura & dominia humana, quamvis sacra, præscribi possunt ab ijs, qui sunt capaces possidendi, ut constat ex *c. 4. 11. 15. & 16. de Præscript.* nisi in aliquo casu speciali id à Jure prohibeatur. Atqui Ecclesiæ & Clerici etiam privati sunt capaces juris decimandi, & possessio ejusdem in aliena Ecclesia ac præscriptio non est ullo Jure prohibita, ut manifestum est cùm ex cit. Juribus, tum ex eo, quòd SS. Canones hanc præscriptionem in solis laicis damnant.

443 Verùm dubium superest, an hoc jus solùm præscribi possit concomitanter, id est, præscriptâ Ecclesiâ, cui decimæ communi Jure debentur; an verò per se ac seorsim, seu non præscriptâ illâ Ecclesiâ. Illud affirmant Hostiensis *in summa h. t.* Abulens. *in c. 23. Matth. q. 188.* S. Anton. *2. p. c. 4. tit. 3. §. 3.* ajúntque, non præscribi decimas, nisi præscribatur Ecclesia, aut nisi præscribens jam antè habeat Ecclesiam vel Beneficium, vi cujus decimas percipiat. Favet huic opinioni Suar. *c. 30. n. 8.* Addunt aliqui S. Thomam *2. 2. q. 87. a. 3. ad 3.* sed ibi agit de jure decimandi ordinario, non de præscriptione. Rationem dant I. Quia Canones, qui concedunt præscriptionem, solùm loquuntur de casu, quo præscribens habet Ecclesiam: ergo non præscribuntur decimæ, nisi aut præscribam Ecclesiam, aut possessionem juris decimandi, quod ratione meæ Ecclesiæ jam habeo, in alienam Ecclesiam duntaxat extendam. II. Qui nullum habet Beneficium nec verum jus aliquarum decimarum, non potest possidere bonâ fide decimas, quia non habet titulum coloratum, aut bonam fidem: cùm sciat decimas non competere nisi ob ministerium spirituale; quod tamen ipse non obit.

Assert. III. Possunt præscribi 444 decimæ in aliena Parochia, tametsi non præscribatur ipsa Parochia, & licèt præscribens nullum Beneficium habeat, ratione cujus decimas percipit. Ita sentiunt Panorm. *in c. 6. de Præscript. n. 1. & in c. pen. h. t. n. 5.* Rebuff. *q. 13. n. 63.* Guttier. *l. 2. can. c. 21. n. 60.* Monet. *c. 5. n. 107.* Barbos. *de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 48.* & hoc teste Rota Rom.

Laym.

Laym. *l.4. tr.6.c.6.n.7.* Leüren *Fori Benef.p.1.q.479.n.2.* Quòd decimæ alicujus Ecclesiæ præscribi possint, etiamsi non præscribatur Ecclesia, & cum ipsa suscipiantur onera, vi quorum decimæ debentur, evidens est ex *cit. c. ad aures 6. de Præscript.* Quòd verò non requiratur, ut præscribens habeat curam animarum, vel Beneficium, ratione cujus ipsi debeantur decimæ antecedenter ad præscriptionem alienarum, patet I. Quia ad præscribendum decimas alienæ Parochiæ, prorsus impertinens est, jam priùs habere Beneficium & ex hoc decimas: nec enim vel istæ vel illud dant capacitatem aut titulum ad alienas. Unde ut Beneficiatus alienas decimas præscribat, alium titulum alleget necesse est, videlicet consuetudinem loci, donationem, transactionem, compromissum, vel privilegium, vi cujus bonâ fide existimet decimas ad auctorem, à quo illas habet, pervenisse. Atqui ejusmodi titulum coloratum vel existimatum habere potest etiam Monasterium vel Clericus Beneficium & curam animarum non habens. Patet II. Quia quod potest haberi per privilegium, haberi potest etiam per præscriptionem, ut instar regulæ tradunt DD. ex *c.12. de Excess. Præl.* & *c.20. de V. S.* modò adsit capacitas possidendi. Atqui, ut nemo negat, per privilegium obtinere decimas possunt Religiosi & Clerici, licèt non habeant curam animarum. Patet III. à pari. Potest Clericus, qui non est de capitulo, jus eligendi præscribere, juxta *c.4. de Post. Præl.* & *c.2. de in integr. rest.* tametsi jus ipsi resistat, & in nulla alia Ecclesia jus eligendi habeat: ergo pariter præscribere potest decimas, qui in nulla alia Ecclesia jus decimandi habet. Neque enim est major ratio pro præscribendo jure eligendi, quàm pro decimandi.

Hinc patet responsio ad opposita *n.443.* diximus enim, etiam Monasterium vel Clericum curam animarum, vel decimas ex proprio Beneficio non habentem, posse habere titulum consuetudinis, donationis, privilegij &c. Jura, quæ præscriptionem decimarum concedunt, faciunt quidem pleraque mentionem Ecclesiæ à præscribente possessæ: at non dicunt, hanc conditionem esse necessariam. Imò hoc ipso non requirunt, sed absolutè cuicunque Clerico & Monasterio facultatem præscribendi concedunt, dum solis eam laicis negant, juxta dicta *n. 442.* Reliqua, quæ hìc opponi possent, dissolvimus *n.274. & 295.* 445

Assert. IV. Ut contra propriam Ecclesiam, seu illam, cui Jure communi debentur decimæ, istæ præscribantur, opus est 40. annis cum titulo, sine titulo tempore immemoriali. Ita omnes, sicque deciditur *c.1. de Præscript. in 6. juncto c.15. eod.* & *c.2. de restit. spol.* Ra- 446

tionem dedi *n. 297.* Neque obstat, quòd *c. 6. de Præscript.* ad præscribendas decimas absolutè requiritur solùm possessio 40. ann. ubi ratio additur: *quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Nam 1°. suppono fuisse ibi Pontificem, quòd titulus adsit; quæ explicatio sumitur ex *cit. c. 1. in 6.* nisi dicere malis, decisionem anteriorem *cit. c. 6.* fuisse correctam per posteriorem *c. 1. in 6.* Reliqua, quæ hîc objici possent, solvi *n. 298.*

447 Assert. V. Tempus 40. ann. cum titulo, & sine hoc tempus immemoriale, requiritur etiam ad præscriptionem Ecclesiæ Sacramentalis contra Prædialem. Ita sentio cum Gloss. in *c. 18. h. t.* & Suar. *c. 22. n. 7.* contra Panor. Guttier. Laym. Pirrhing. Card. de Luca, Leûren, aliósque, qui in hoc casu requirunt cum titulo solùm longum, seu 10. ann. & sine illo longissimum, seu 30 ann. Ratio est: quia ideò Ecclesia, Monasterium, vel Clericus contra Ecclesiam præscribere nequeunt nisi tempore 40. ann. vel immemoriali, quia jus ipsis resistit: atqui resistit etiam Ecclesiæ Sacramentali, ut dixi *n. 441.*

448 Assert. VI. Dictum tempus 40. ann. vel immemoriale requiritur ad præscribendas decimas etiam contra Monasterium, Academiam &c. cui Parochia, quæ decimas percipit, pleno jure est incorporata. Ita quoad Monasteria decidit Rota Rom. decisione, quam attuli *n. 439.* ubi alias suas decisiones refert, & *n. 11.* tantum tempus requirit ad præscribendum contra Monasterium, quantum adversùs Parochum. Unde sequitur, & patet ex ead. decis. *n. 5.* quòd Monasterium fundatam in Jure intentionem habeat contra ipsum suum Vicarium & Episcopum. Rationem dedi *cit. n. 439.* Estque eadem ratio de Academijs, aliisque Communitatibus Ecclesiasticis, quibus auctoritate Apostolica incorporatæ sunt Parochiæ.

Limitandæ sunt assertiones hactenus factæ. I. Non procedunt, quando præscriptis decimis Parochus aliique Ecclesiæ Ministri non haberent congruam sustentationem: cùm enim ea, quæ ad hanc sunt necessaria, Jure tam naturali quàm Divino ipsis debeantur, ut dixi *à n. 29.* nec privilegio auferri ipsis possunt, ut patet ex dictis *n. 159. 258.* & *291.* II. Quando ex instrumento aliquo, vel aliunde constaret, possessionem etiam immemorialem fuisse vitiosam seu titulo injusto cœptam, vim non haberet præscriptio, ut bene observant Suar. *c. 27. n. 3.* Fachin. *l. 8. contr. c. 33.* Laym. *l. 4. tr. 6. c. 6. n. 9. ad 2.* Arn. Rath. *tract. de usucap. c. 3. asser. 34.* ac passim alij apud Mascard. *de Probat. vol. 3. concl. 1220. n. 46.* contra Fern. Vasq. *contr. p. 1. l. 3. c. 81. n. 12.* & 15. Tametsi enim longissimo tempore purge-

purgetur mala fides *l. ult. C. unde vi.* & tempus immemoriale loco tituli habeatur *l. 3. §. 4. ff. de aq. cottid. & æst.* ac minuendarum litium causâ vetustas pro lege habeatur *l. 2. pr. ff. de aq. plu. arc.* hæc tamen duntaxat vera sunt, quando de contrario non constat: cùm leges ex diuturnitate temporis solùm præsumant bonam fidem. At præsumptioni cedit veritas. *can. 4. & 5. dist. 8.* éstque illimitatè vera regula, quòd possessor malæ fidei nullo unquam tempore præscribit. *reg. 2. Juris in 6. & c. 20 de Præscript.* Quando verò Bald. Jason, Salic. Card. Dec. aliique asserunt, in possessione temp. immem. non requiri bonam fidem, solùm intelligendi sunt, ut LL. cit. videlicet illam probandam non esse, sed præsumi: non verò negant, elidi hanc præsumptionem probatione contraria.

450 Dices: Etsi injusto titulo res fuerit occupata, potuit tamen postea justus titulus & bona fides supervenire: & hoc ex temporis, cujus memoria non extat, diuturnitate præsumendum est. R. neminem præsumi ex alio titulo possidere, quem non ostendit, si de injusto titulo, quo cœpit possidere, constet. *l. 2 C. ae acquir. p. ff. & l. 77. ff. de rei vind.* Brunnem. *ibi. n. 3.* Arn. Rath. *l. c.* cum Menoch. Mascard. Crav. Ruino, ac alijs.

451 Cùm ad præscribendas decimas contra Parochum aut Monasterium, cui incorporata est Parochia, requiratur sine titulo tempus immemoriale, juxta dicta *446. & seqq.* dubium nascitur, quodnam tempus sit immemoriale, seu *cujus non extat memoria*, ut dicitur *c. 26. de V. S.* vel, ut *c. 1. de Præscript. in 6. cujus contrarij memoria non existit.* Videtur quidem absolutè dicendum, tempus immemoriale non esse, quando ex instrumento constat de initio possessionis, tametsi cœperit ante 200. aut 300. annos: sic enim dici non potest, quòd ejus memoria non extat; hæc enim habetur non minùs per testes mortuos, seu libros & instrumenta, quàm per vivos. At Cyn. Cæpoll. Balb. aliique, quos refert Georg. Everh. *vol. 1. conf. 8. n. 6.* tenent tempus 100. annorum, esse immemoriale. Unde consequens esse videtur, possessionem immemorialem sufficienter probari, si probetur intra 100. annos non cœpisse, tametsi constet, cœpisse ante illos. Quin Cravet. *de antiq. temp. p. 4. prin. p. 2. n. 2.* Menoch. *de arbitrar. l. 3. cas. 3. n. 7.* Farinac. *in prax. crim. l. 1. tit. 5. q. 47. n. 119.* & Engel *h. t. §. 2. n. 14.* asserunt, ne 100. quidem annorum tempus requiri. Ex quo inferendum videtur, tempus esse immemoriale, tametsi constet, possessionem cœpisse intra proximos 100. annos: modò non constet, quando cœperit. Ajunt tamen Cravetta & Farin. hoc solùm procedere, si agitur de modico e-

jus, contra quem præscribitur, præjudicio; secùs, si de gravi.

452 Assert. VII. Ad præscriptionem vi possessionis immemorialis non sufficit possessio 100. ann. Ratio est: quia centenaria possessio non est immemorialis. Ita post Cardin. Felin. aliósque Covarr. *in reg. Possess. p. 3. §. 3. n. 6.* Carpz. *p. 1. const. 16. defin. 74.* Schneidewin. *Instit. de usucap. rubr. Quot sint species Præscript. n. 35.* Mol. Jur. *l. 2. de Primog. c. 6. àn. 43.* Molin. Th. *tr. 2. de Just. disp. 76.* Solorzan *tom. 1. de Jure Ind. l. 3. c. 3. n. 71.* Gonzal. *in c. 14. de Præscript. n. 8.* Gibal. *de un. negot. hum. l. 5. c. 5. art. 6. n. 9.* aliíque communissimè, idque non tam probant, quàm supponunt. Sensus est, quòd etiamsi centenariam possessionem probes, non tamen propterea probaveris immemorialem, si de initio centenariæ constet. Ratio est I. Quia Jura majus privilegium tribuunt immemoriali, quàm centenariæ: ad hanc enim requiritur titulus, si præsumptio est contra præscribentem, ut fatentur omnes; ad illam verò nunquam requiritur, ut constat ex *c. 1. de Præscript. in 6.* Supponunt ergo Jura, illam hâc esse diuturniorem, aut certè plus ad eam requiri, ita ut licèt centenariæ non obsit, si constet cœptam esse ante 100. annos completos, obsit tamen immemoriali. II. Præscriptio immemorialis procedit etiam in reservatis Principi, habetur pro veritate, nec ipsi derogatur, quando Princeps derogat cuicunque Præscriptioni aut Consuetudini, ut latè Mascard. *de Prob. vol. 3. concl. 1221. àn. 50.* quæ tamen non procedunt de Præscript. centenaria: plus igitur ad illam requiritur, quàm ad istam. III. Si præscriptio immemorialis esset, quam quidem constat inchoatam intra 100. annos proximè lapsos, at non constat, quo anno intra illud seculum, sequitur (ut considerantipatet) meliorem fore cujuscunque privati Clerici conditionem, quàm Ecclesiæ Romanæ ac aliarum, contra quas ex speciali privilegio non nisi 100. aut 60. annis præscribitur, aut certè nihil speciale ipsis esse concessum. At hoc est contra mentem SS. Pontificum & Imperatorum, qui aliàs illa privilegia inutiliter concessissent. Quin affirmamus cum Canisio *c. 9. de decim. àn. 16. & c. 13. n. 9.* immemorialem possessionem non esse, si constet, quòd aliquando cœperit, tametsi cœperit ante annos 150. aut ultra. Ratio est: quia *l. si arbiter 28. V. sed cùm. ff. de Probat.* dicitur, tunc memoriam operis facti (& cœptæ possessionis) non extare, *cùm omnium hæc est opinio, nec vidisse, nec audisse, cùm id opus fieret: neque ex eis audisse, qui vidissent aut audissent: & hoc infinite sursum versum.* Ex quibus verbis manifestum est, ad hoc, ut tempus sit immemoriale, infinitè sursum versum non debere extare memoriam

rei

rei vel possessionis à præscribente cœptæ. Igitur si constat, quòd aliquando cœperit possessio, jam non erit immemorialis. Idem apertè traditur *l. in summa 2. §. 8. ff. de aqua & aquæ pluviæ arc.* ubi habetur, adhoc, ut extet memoria rei (seu possessionis cœptæ) *sufficere, si factum esse non ambigitur.* Atqui si constat, quòd Parochi aliquando, v. g. ante 180. annos, fuerint in possessione juris decimandi, quam jam habet v.g. Monasterium, aut Episcopus, jam non ambigitur, cœptam à Monasterio esse possessionem; igitur ejus memoria extat, & sic talis possessio non est immemorialis. Accedit, quòd *c. 1. de Præscript. in 6.* illa possessio & præscriptio dicitur immemorialis, *cujus contrarij memoria non existat.* Ergo si existit memoria contrarij, non erit possessio vel præscriptio immemorialis. Sed si constat, quòd decimæ, in quarum possessione nunc est Monasterium aut laicus, ante annos v.g. 200. fuerint penes Ecclesiam Parochialem, constat de contrario hujus possessionis, hoc est, existit memoria contrarij, ergo talis possessio non est immemorialis. Unde non bene dicitur, illud tempus vel possessionem immemorialem esse, cujus initij memoria non extat (nisi hoc intelligas in sensu mox afferendo) sed juxta *cit. c. 1.* illa dicenda est immemorialis, cujus contrarij memoria non extat: quia fieri potest, ut possessionis alicujus memoria non quidem extet (quia nescitur, quo anno determinato cœperit) extet tamen memoria de ejus contrario, quâ extante juxta *cit. c. 1.* non datur immemorialitas. Et ita jam pridem censuit Facultas nostra Juridica Ingolstadiensis in causa decimarum à quodam Monasterio per 150. & ampliùs annos possessarum, teste Canis. *de Decim. c. 9. n. 19.* certúmque esse ait Wesenbec. *consil. 14. n. 26.* dato initio immemorialem possessionem excludi.

Hinc non valet, si dicas: etiamsi 453
constet, quòd possessio, quæ nunc est penes Monasterium, ante 80. aut 90. annos fuerit adhuc penes Parochum, fieri tamen potest, ut non constet, quo anno determinato illam amiserit Parochus, & acquisierit Monasterium. In tali autem casu jam non extat memoria cœptæ à Monasterio possessionis; erit igitur immemorialis, cùm immemorialis possessio sit, cujus non extat memoria. Hæc, inquam, non valent. I. Quia *cit. l. 2. §. 8. Labeo ait, cùm quæritur, an memoria extet super facto opere* (aut super habita possessione) *non diem nonConsulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere, si quis sciat factum, hoc est, si factum esse non ambigitur.* Igitur adhoc, ut extet memoria, & consequenter ut excludatur tempus immemoriale, non requiritur notitia diei seu certi temporis, quo unus amiserit, alter acquisierit possessionem,

nem, sed sufficit, *si factum esse non ambigitur*, quòd ille habuerit aliquando possessionem, alter non habuerit. II. Quia etsi non constet determinatè, quo anno cœpta sit possessio à Monasterio, constat tamen, quòd ante annos v. g. 100. non fuerit penes Monasterium, sed penes Parochiam, ergo Monasterij possessio non est immemorialis; talis enim non est juxta *cit. c. 1. de præscript. in 6.* si de ejus contrario existit memoria; atqui hæc memoria in dato casu existit. III. Ex facta replica sequeretur, possessionem & præscriptionem fore immemorialem, si constat quidem, quòd Parochus adhuc anno 90. prioris seculi fuerit in possessione, in qua nunc est Monasterium, nescitur verò, quo determinatè anno illam Monasterium acquisierit: quia in tali casu, ut volunt adversarij, non extat memoria cœptæ possessionis, quod juxta ipsos sufficit adhoc, ut sit immemorialis. Sequelam autem nec ipsimet, ut existimo, admittent. Quando igitur DD. apud Balbum *p. 2. tertiæ prin. q. 6. n. 24.* Mynsing. *cent. 1. obser. 30.* & Covarr. *in Reg. Possessor relect. 2. §. 3. n. 7.* asserit, immemorialem possessionem tunc demum probari, quando probatur, initij non extare memoriam, id juxta alleg. Jura non ita intelligendum est, quasi sufficiat, si non constat de certo tempore inchoatæ à novo possessore possessionis; sed sensus est, quòd non debeat constare de anteriore alterius possessione: si enim constat, quòd alius possederit v. g. ante annos 150. jam constat, quòd secundus cœperit possidere, & sic nequit dicere, quòd initij possessionis suæ memoria non extet, quia extat memoria, quòd alius possessionem habuerit, & sic ipse secundus possessor possessionem inchoârit, tametsi non constet, quo determinatè anno id contigerit. Hæc enim certi temporis designatio ad probandam rei vel possessionis memoriam non requiritur, sed sufficit, si constat aliquid esse factum, seu cœptam esse possessionem, uti habetur *cit. l. 2. §. ff. de aqua & aq. plu. arc.* Illud libenter concedo, & à plerisque tradi non ignoro, tempus immemoriale satis probari, quando testes deponunt, quòd nunquam viderint aut audiverint aliter contigisse &c. tametsi deponere nequeant, quòd intra 100. pluresve annos contrarium non contigerit; modò de contrario nec ipsis nec aliunde constet: quia sic verum jam est, quòd de contrario non extet memoria. Et hoc duntaxat voluerunt Cravetta aliique, quos *n. 451.* retuli. Quamquam, dum dicunt, tantùm 100. annos aut pauciores requiri, valdè impropriè loquuntur. Id enim absolutè verum non est, quia si constaret, tot duntaxat esse, illi non sufficerent. Sed solùm procedit negativè, dum videlicet necesse non est positivè probari, quòd

sint

sint plures quàm centum, sed sufficit, si de contrario non constat: de hoc verò si constaret, præscriptio immemorialis non foret, ut constat ex *cit. c. 1. de Præscript. in 6. l. 28. ff. de Probat. l. 2. §. 8. ff. de aqua & aq. plu. arc.* Hinc nemo est, qui dicat, quòd præscriptio immemorialis detur, quando constat, quòd possessio infra 100. cœpta fuerit.

Alterum dubium de præscriptione immemoriali est, quomodo probanda sit.

454 Assert. VIII. Ut præscriptio immemorialis legitimè probetur, testes deponere debent I. Quòd sit communis opinio, de contrario usu non extare memoriam. II. Quòd ita semper viderint, & audiverint à suis majoribus. III. Quòd nunquam fuerit observatum contrarium. Ita post Gloss. *in c. 1. de Præscr.* Panor. Alexandr. Specul. Aretin. Oldrad. Balb. Corn. ac aliorum communem Covarr. *l. c. n. 7.* Molina *l. c.* Mynsing. *cent. 1. observ.* 30 Barbos. *in cit. c. 1.* Addunt plerique, debere testes saltem esse 54. ann. & testificari de 40. annis. Verùm, ut advertit Molina *l. c. n. 4.* sufficit, ipsos esse 48. aut 50. annorum. etsi enim testis debeat esse pubes tempore, quo deponit, non tamen necesse est, ut fuerit pubes eo tempore, de quo deponit; nisi in aliquo casu speciali Jura pubertatem exigant, ut pro testamentis. Quòd si testes aliqui deponant, se nunquam vidisse contrarium; alij verò asserant, se vidisse, & sic memoriam cœptæ possessionis extare, magis his creditur, quàm illis: quia magis creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus, juxta communem DD. apud Gabriel. *l. 1. tit. de Testib. concl. 4.* nisi, qui negant, probent, se scire, non esse verum, quod adversarij affirmant.

Si porro quæras, an ad probandam memoriam sufficiat scriptura, affirmo cum Joan. Andr. *in c. 1. de Præscript. in 6.* Franc. *ibid. n.* 15. Balb. *l. c. n. 25.* Covarr. *l. c. n. 8.* Cravett. *de antiquit. Tempor. p. 4. §. Materia n. 40.* Alexand. *l. 4. consil. 75.* Panorm. *in c. cùm nobis de Præscript.* Wesenbec. *consil. 12. n. 36.* Canis. *l. c.* Emman. Gonzal. *in c. 14. de Præscript. n. 8.* ac alijs. Ratio est: quia juxta *cit. l. 2. §. 8.* memoria rei legitimè probatur per testes de auditu alieno. Ergo etiam probatur per instrumentum, utpote quod à Jure æquiparatur testibus etiam de proprio auditu deponentibus *l. 15. C. de Fid. instr.* cùm memoria rei non tantùm in mentibus hominum resideat, sed etiam in scripto, quod memoriæ conservandæ causâ confici solet. *l. 10 l. 13. & fin. C. de Proxim. sacri scrutin.* Et juxta *cit. l. 2. §. 8.* ad probandam rei memoriam sufficit, *si quis sciat factum, hoc est, si factum esse non ambigitur.* Atqui si ex scriptura authentica constat, aliquid factum esse, jam non ambigitur esse factum, sed scitur esse factum.

Assert.

455 Assert. IX. Quando dubium est, ad cujus Parochiæ limites prædium pertineat, potest una earum, inter quas dubitatur, contra alteram decimas ex illo præscribere tempore ordinario, seu 10. annis. Ita post Innoc. Host. Panor. ac alios Covarr. *l. c. n. 8. §. quintò.* Suar. *c.* 22. *n.* 8. Laym. *l. c. n. 7. §. Porrò* Pirrhing. *h. t. n.* 117. Leûren. *l. c. q.* 479. *n.* 5. Ratio patet: quia in tali casu Jus commune non resistit præscribenti, cùm sit dubium pro utraque Ecclesia, & uni non magis faveat, quàm alteri.

456 Assert. X. Ad præscribendas decimas contra Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel præscriptione competunt, sufficiunt 40. anni, vel 60. si qua sexagenariæ præscriptionis privilegio munita sit, uti munita sunt Monasteria Ordinis S. Benedicti & Mendicantium. Ita post Gloss. in *c.* 1. *de Præscript. in 6.* Butr. Anchar. Balb. ac alios, Barbos. *l. c. n.* 56. ubi varias Rotæ decisiones affert, Engel *h. t. §.* 2. *n.* 2. Leûren *l. c. n.* 6. & patet ex *cit. c.* 1. Patet quoque ratio: quia in tali casu Jus commune, uti uni Ecclesiæ non assistit, ita alteri præscribenti non resistit. Excipitur casus *n.* 448. allatus: etsi enim sit quoddam privilegium, quando v. g. Monasterio incorporantur una vel plures Parochiæ, verè tamen per unionem Monasterium fit Parochus proprius & ordinarius: unde sicut contra priorem Parochum non processisset præscriptio, nisi 40. ann. cum titulo, & sine hoc tempore immemorali, ita nec contra Monasterium post unionem procedit.

Assert. XI. Ad præscribendas 457
decimas contra privatum Clericum, cui decimæ Jure communi seu ratione Beneficij non debentur, opus duntaxat est tempore ordin. cum titulo, videlicet 10. inter præsentes, 20. inter absentes; sine titulo annis 30. Ita cum communi Engel & Leûren *l. c.* Ratio patet ex dictis: quia in tali casu Jus commune Clerico non assistit, possidetque is decimas velut bonum patrimoniale. At quoad patrimonialia Clerici contra Clericos non habent privilegium. Assertio ejusque ratio à fortiori procedit de præscriptione contra laicum. An verò & quo tempore laicus contra laicum decimas præscribere possit, dicemus *cap. seq. à n.* 485. Utrùm præscriptio decimarum se extendat ad novalia, diximus *n.* 386. *& seqq.* 402. 406. & 419.

CAPUT III.

De Decimatoribus Laicis.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Laici sint capaces Decimarum.

SUMMARIUM.

458. *Jus decimandi Primarium & Secundarium.*
459. *Primarij capaces non sunt laici.*
460. *Sunt Secundarij.*
461. *Corollaria inde deducta.*

458 Cùm magna, & non paucis in locis dimidia pars, decimarum colligatur à laicis, quo jure id fiat, postquam de Ecclesiasticis Decimatoribus dixi, examinandum est. Vulgaris hîc affertur distinctio inter jus decimandi Primarium & Secundarium. Primarium dicunt, quod est fundatum in officio sacro & Ministris Ecclesiæ ratione sacrorum, quæ Fidelibus exhibent, ministeriorum competit, & solum propriè dicitur Jus decimandi: cùm decimæ Ecclesiasticæ, de quibus hîc agitur, & origine sua & primæva institutione, ac natura dentur duntaxat propter officium spirituale. Secundarium est, quod secluso spirituali officio alicui competit ad percipiendum id, quod in decimis est temporale, nimirum ad fructus, qui nomine Decimarum solvuntur & ex se sunt aliquid merè temporale, percipiendos. Avelli & separari hoc Jus ab illo primario Ecclesiæ duntaxat auctoritate posse, clarum est: cùm enim decimæ ex sua natura debeantur propter ministeria sacra, & ex hoc tantùm titulo à Fidelibus solvantur, patet, eas solùm deberi Ecclesiæ, quia hæc sola officio sacro fungitur. Si igitur alijs, qui hoc officio non funguntur, competit, id non contingit nisi auctoritate Ecclesiæ, quod suum est, alijs ultrò & liberaliter vel etiam titulo oneroso concedentis: sicut cùm Princeps supremus Regalia, & quæ aliàs Principis sunt propria, Vasallis, aut alijs, quibus jure proprio non competunt, impertitur.

Assert. I. Laici non sunt capaces juris decimarum primarij, seu fundati in officio sacro. Ita omnes Th. & Canon. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 3. Patet ex *c.* 15. 17. 19. 25 *h. t.* *c.* 7. *de Præscript. Can.* 1. 3. 7. 16. *q.* 7. & *Can.* 13. 1. *q.* 3. Ratio obvia est: quia cùm hoc jus sit connexum cum officio sacro, officij verò sacri capaces non sint laici, pariter hujus juris incapaces sunt. 459

Assert. II. Laici sunt capaces juris decimarum secundarij, seu prout hoc avulsum est à titulo spirituali & solùm respicit utilitatem temporalem, quæ est in percepti- 460

ne fructuum. Constat ex praxi Ecclesiæ, decimas in laicos locatione, donatione &c. transferentis, ut *seqq. qq.* declarabitur.

461 Ex dictis consequitur I. nec ipsas decimas, prout sunt fructus Ecclesiastici, & stipendium ministerij spiritualis, per se deberi posse laicis. II. Jus decimarum primarium & fundamentale semper manere penes Ecclesiam: quia radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, ut loquitur S. Thomas *l. c.* unde cùm jus decimandi juxta *c. ult. de rer. permut.* sit spirituale, utpote fundatum in officio sacro, semperque maneat, eò quòd fideles, etiam dum laicis solvunt decimas, id faciant propter ministeria sacra ab Ecclesia ipsis impensa, necesse est, ut perseveret apud Ecclesiam, cùm in laicos, ut qui officio sacro non funguntur, non transeat. III. Laicos non tam suo quàm Clericorum nomine decimas ab Ecclesia concessas colligere, ut observant Suar. *c. 25. à n. 6.* & Petr. Barbosa *in l. Titia ff. sol. matrim. n. 41.* IV. Sequitur, ut bene observat Engel *tit. de decim. §. 3. n. 19.* quòd Ecclesia decimas à laico possessas vindicare contra fiscum possit, si ille sine legitimo hærede defunctus bona vacantia reliquerit, aut crimen confiscatione dignum commiserit; quia jus accipiendi, ut loquitur S. Thomas *cit. a. 3. ad 3.* directum videlicet & primarium, semper manet penes Ecclesiam, & in feudis ac bonis emphyteuticis domino directo præjudicari non potest.

QUÆSTIO II.

An Privilegio Jus Decimandi acquiri Laicis possit.

SUMMARIUM.

462. *Privilegij & Feudi discrimen.*
463. *Laicis acquiri jus decimandi potest privilegio Pontificio.*
464. *Episcopus ijsdem fructus decimales ex justa causa ad aliquod tempus concedere potest.*

462 PRivilegium & Feudum, quæ hìc à non paucis confunduntur, discernenda sunt. Privilegium enim, etsi non rarò sub modo, & cum aliquo onere concedatur, suâ tamen naturâ onus non exigit, & sæpè est liberalis tantùm concessio & pura donatio. Feudum verò etsi & ipsum sit quoddam beneficium, quia est benevola rei immobilis concessio

concessio cum translatione utilis dominij: fit tamen sub fidelitatis & obsequiorum honestorum obligatione.

463 Assert. I. Potest laicis jus decimandi acquiri privilegio SS. Pontificis. Constat à posteriori ex praxi Ecclesiæ, quæ Regibus varijs ac Principibus hoc jus concessit, uti referunt Covarr. *qq. pract. c. 35. n. 2.* Suar. *c. 75. n. 11. & 12.* Rebuff. *q. 10. de Decim.* Gonzal. *ad c. 19. h. t. n. 4.* ac alij, & patet ex *Can. Adrianus dist. 63. c. 7. de his, quæ fiunt à Prælat. c. 3. h. t. & c. 2. eod. in 6. §. 1. & 2.* Ratio est: quia cùm SS. Pontifex de Beneficijs & omnibus bonis Ecclesiasticis liberam habeat disponendi potestatem juxta *c. 2. de Præb. in 6.* potest perceptionem decimarum, quæ ex primæva dispositione annexa est titulo spirituali, ab hoc separare, & quod temporale est, laicis concedere, vel in perpetuum, sive in remunerationem beneficiorum & obsequiorum, quæ præstiterunt Ecclesiæ, sive cum onere fundandi novas Ecclesias &c. vel ad tempus, v. g. pro bello sacro contra Infideles, aut Hæreticos. Estque hæc potestas, ut observat Suar. *cit. n. 12.* moraliter necessaria ad bonum Ecclesiæ universale, quemadmodum & gratitudo ac remuneratio. Cæterùm hoc privilegium non extendi ad decimas Novalium, dixi suprà *n. 390.* Absolutâ verò & plena donatione decimas translatas non fuisse in laicos, sed tantùm in feudum datas, dicetur infrà *n. 505.*

Assert. II. Etsi Episcopus non 464
possit laico concedere jus percipiendi decimas, uti tradunt omnes DD. & constat ex *can. Pervenit. 1. q. 4. can. Benè dist. 96. c. Venerabilis de Confirm. ut.* Potest ipsi tamen ex justa causa, v. g. quia Ecclesiæ bona ab Hæreticis vindicavit, concedere ad vitam aliúdve tempus brevius, non quidem jus percipiendi decimas, sed decimarum fructus, ut eas nomine Ecclesiæ percipiat. Ita cum Glossa in *c. quamvis h. t.* Rebuff. *cit. q. 10. n. 34. & q. 13. n. 110.* Covarr. Azor (qui tamen non ad vitam, sed solùm ad tempus breve id permittit) ac communiter DD. apud Monet. *c. 5. q. 3. n. 61.* & Barbos. *de Offic. Paroch. c. 28. n. 58.* Ratio dari potest, quia cùm in tali casu totum jus decimandi maneat penes Ecclesiam, illi fructus, qui laico obveniunt, erunt tantùm annuæ quædam præstationes, quales ex suis fructibus facere potest Ecclesia vel ex liberalitate vel ex contractu oneroso, sicut potest fructus Beneficiales jam perceptos ex gratitudine donare, vendere &c.

***

QUÆSTIO III.

An Decimæ in Feudum Laicis concedi possint.

SUMMARIUM.

465. *Potest SS. Pontifex laicis Decimas in feudum perpetuum concedere.*
466. *Hæc potestas Episcopis aut nunquam competebat aut seculo ij. ablata fuit.*
467. *Eam saltem à tempore Concilij Lateran. sub Alexandro III. celebrati non ampliùs habent.*
468. *Possunt tamen etiamnum in feudum temporale dare.*
469. *Opinio quorundam, posse decimas à laicis ad Ecclesiam reversas eisdem ab Episcopo rursus infeudari.*
470. *Negativa præfertur.*
471. *Respondetur ad opposita.*
472. *Decimæ ad Ecclesiam reversæ primigeniam naturam recuperant.*
473. *Possunt in alium transferri, quando prior possessor adhuc vivit, aut si ad Ecclesiam reversæ sunt solùm accessoriè, rum fierent, quæ per se obtinere non valerent.*

465 ASsert. I. Potest SS. Pontifex decimas laicis in Feudum etiã perpetuum concedere. Patet ex dictis *n.* 463. Hoc potissimùm modo pleraſque, quas laici possident decimas, ad ipsos pervenisse, supponunt DD. & Jura allegata, idque jam olim testatus est Fridericus I. Imperator, Barbarossa dictus, in oratione habita in Conventu Principum, uti scribit Arnoldus Lubecensis *l. 3. c.* 18. *Scimus* (dicebat) *decimas & oblationes à DEO Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas: sed cùm tempore Christianitatis ab adversarijs infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas Præpotentes & Nobiles viri ab Ecclesijs in Beneficio stabili acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesia-*

466 De Episcopis aliisque SS. Pontifice inferioribus Prælatis, supponunt omnes, ut existimat Suar. *c.* 26. *n.* 2. ipsos olim potuisse fructus decimarum in feudum etiam perpetuum dare laicis justa ex causa, multíque censent, hanc Episcoporum potestatem durâsse usque ad Concil. Lateran. sub Alexandro III. anno 1179. celebratum, in quo eam fuisse sublatam dicunt, videturque asseri *c.* 2. *h. t.* §. *sanè in fine.* Verùm constat, ademptam fuisse Episcopis jam ab Urbano II. in Concilio Turonico anno 1096. id est, annis 83. ante dictum Concilium Lateran. nisi fortè cum Laym. *l.* 4. *Theol. Mor. tr.* 6. *c.* 6. *n.* 4. asseras,

ras, Urbani constitutionem ante tempora Alexandri III. non fuisse ubique receptam. At nihil statuisse Alexandrum, sed supposuisse, hanc facultatem Episcopis non competere, fusè ostendunt Rebuffus *q.* 10. *de decim. à n.* 11. & Suar. *cit. c.* 26. *n.* 3. & 4. Imò Lemaistre *l.* 1. *de decim. c.* 10. & Gonzal. *in c.* 19. *h.t. n.* 5. contendunt, Ecclesiam nunquam permisisse Episcopis decimas in feudum dare.

467 Assert. II. Episcopi jam non possunt laicis decimas in feudum perpetuum concedere. Ita omnes. Ratio patet: quia, si hanc potestatem unquam habuerunt, ea adempta ipsis est saltem in Concilio Lateran. anno 1179. nec unquam hactenus restituta: ut omnes DD. supponunt, nec novæ concessionis ullibi extat aliquod vestigium. Unde consequens est, ut observat Suar. *l. c. n.* 3. ejusmodi concessionem sine Pontificia auctoritate factam, non tantùm illicitam, sed etiam invalidam esse.

468 Assert. III. Probabile est, quod post Panorm. & Covarr. & hoc teste communem DD. asserunt Suar. *cit. c.* 26. *n.* 1. & Laym. *l. c. n.* 5. §. *His adde*, posse etiamnum Episcopos ex justa causa & adhibitâ Juris solemnitate, laico ad vitam ipsius decimas in feudum concedere. Rationem dant: quia Jure antiquo id erat licitum, & nec ab Urbano II. nec ab Alexandro III. nec à posteriori aliquo Pontifice vetitum invenitur, sed solùm, ne decimæ in feudum perpetuum laicis concederentur, uti colligitur ex *c. ad hæc. c. quamvis jun. Gloss. h. t. & c.* 2. *eod. in* 6. §. *sanè*. Asserit quidem Antonelli *l.* 2. *de Temp. legali c.* 37. *n.* 21. obstare Extravagantem *Ambitiosæ de reb. Eccl. alien.* utpote in qua omnis locatio & concessio bonorum Eccles. ultra triennium prohibetur. Potuisset addere Trident. *Sess.* 25. *c.* 11. *de Reform.* ubi similis prohibitio habetur. Verùm non obstant: quia ibi ea solùm locatio, infeudatio &c. prohibita est, quæ fit sine justa causa & Juris solemnitate: at nos utramque requirimus. Porrò quòd ejusmodi concessio, sive ab Episcopo, sive à SS. Pontifice fiat, se non extendat ad decimas Novalium, nisi etiam istæ fuerint expressæ, diximus suprà *n.* 390.

Dubium ex dictis nascitur, an si 469
decimæ, quæ ante Lateranense laicis infeudatæ erant, ad Ecclesiam revertantur, Episcopus eas denuò infeudare possit. Negant absolutè multi. Affirmant Card. Castr. Alvaret. ac alij, quos citat Menoch. *l.* 6. *præsump.* 86. *n.* 3. Rationem isti dant. I. Quia Episcopus juxta *c.* 2. *de Feud.* non obstante, quòd juravit, se res Ecclesiæ de novo non infeudaturum, poterit decedente vasallo feudum alteri liberè concedere, si viderit expedire. II. Quia Lateran. Concilium prohibet decimas dari laicis in feudum de no-

vo, & antèa concessas non aufert: non videntur autem de novo dari, si datæ sunt ante Concilium, sed solùm continuari. Distinguunt Sonsbeck. *de Feud. p. 8. n.* 11. Suar. *l. c. n. 8.* Laym. *l. c. n. 6.* Palao *tr.* 10 *pun. 9. in fine*, ajúntque, posse in feudum denuo dari, si Episcopus mortuo Vasallo eas nondum acceptauit & Ecclesiæ incorporauit, quia sic nondum censentur esse sub dominio utili Episcopi neque ad hunc pertinere: non posse, si eas jam acceptavit & Ecclesiæ incorporavit, quia sic alienaret; at hoc ipsi est prohibitum.

470 Assert. IV. Non potest Episcopus decimas olim infeudatas, si vasalli linea fuerit extincta, vel illæ aliâ ratione ad Ecclesiam fuerint reversæ, denuo in feudum concedere. Ita cum Joan. Andr. Panorm. Calder. Præpos. Imola ac alijs, sentiunt Covarr. *l.* 1. *var. c.* 16. *n.* 5. *V. præter hæc.* Menoch. *l.* 6. *præsum.* 86. *n.* 3. Zasius *de Feud. p.* 4. *n.* 25. Bocerus *de Investit. Feud. c.* 3. *n.* 64. Fachin. *l.* 7. *c.* 72. Barbos. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 121. *n.* 10. Hunnius *Encyclop. p.* 3. *tit.* 2. *n.* 20. Moneta *c.* 5. *de decim. q.* 3. *n.* 72. Canis. *c.* 14. *n.* 3. Balthasar *Pract. Resol. tit.* 9. *resol.* 1. *n.* 22. ac alij, latéque id probat Clarus §. *Feudum q.* 13 *V. sed quæro.* Ratio est: quia *c. Prohibemus, & c. Quamvis h. t. c. Cùm apostolica de his, quæ fiunt à Prælat. c.* 2. §. *sanè de decim. in* 6. *ac alibi*, absolutè prohibetur, ne laicis decimæ concedantur.

Neque obstat *c.* 2. *de Feudis*: hoc 471
enim aut nunquam fuit intellectum de decimis, aut quoad has per Jura allegata ipsi fuit derogatum. Neque verum est, quod pro secunda opinione addebatur, concessionem feudi post finitas v. g. generationes ad Ecclesiam reversi non esse novam, sed antiquam: contrarium enim patet ex *l. sed etsi manente ff. de Precario, l.* 4. *prin. ff. de damno infecto junct. Gloss. V. Renovare, l.* 113. *ff. de V. O.* ex quibus habetur, quòd finitâ obligatione seu exacto tempore, quo ipsa durare debuit, per renovationem nova causa constituatur, idque fusè probant Tiraq. *de Retractu Convent.* §. 1. *gloss.* 7. *àn.* 24. Berojus *vol.* 1. *consil.* 129. *n.* 3. Gabriel. *l.* 3. *tit. de Dilat. concl.* 2. *&* 3. Guttier. *de Juram. confir. p.* 1, *c.* 49. Hinc pariter non valet, quod ex Suar. & Laym. dicebatur de decimis ab Ecclesia nondum acceptatis & eidem incorporatis. Hoc ipso enim dum feudum aperitur, vi juris directi, quod semper penes Ecclesiam manet, ad eam devolvitur; aliàs non posset alteri concedere. Quando autem alteri conceditur, nova est concessio, & novum feudum, ut cum communi latè tradunt Rosenthal *de Feud. c.* 2. *concl.* 22. & Menoch. *consil.* 104. *n.* 35. at decimas de novo in feudum dare Prælatis SS. Pontifice inferioribus juxta dicta est prohibitum.

Ratio intrinseca dictorum est: 472
quia,

quia, ut passim tradunt DD. ac patet ex *c.* 34. *de Præbend.* decimæ ad Ecclesiam reversæ naturam primigeniam recuperant, & per consequens in laicos, nisi auctoritate suprema Ecclesiæ, alienari nequeunt. Unde declaravit jam pridem S. Ludovicus Galliarum Rex, teste Molinæo *ad Consuet. Paris. §. 68. n. 21. quòd decimæ ad Ecclesiam reversæ ex tunc & deinceps semper censerentur meræ Ecclesiasticæ, tanquam ad originem & primitivum statum reversæ, etiamsi constaret, quòd priùs spectabant laicis jure infeudationis ante Concilium Lateranense.* Ex quo benè deducit Molinæus *l. c.* quòd decima simpliciter & purè reversa ad Ecclesiam, sit deinceps exempta à Jurisdictione seculari. Quod ait procedere, sive detur seu remittatur Ecclesiæ Parochiali, ad quam de jure communi spectat, sive alteri Ecclesiæ vel Collegio Ecclesiastico, dummodo sine onere & qualitate feudi. Idem S. Rex, eodem teste, optimè permisit omnibus, qui in suis terris possident decimas aut alibi, à se tanquam *relevantes* jure feudi, eas Ecclesijs restituere in *perpetuum* sine ulla alia Regis licentia. Ex quo infert Renat. Choppinus *l. 3. de Domanio Gallico tit. 23. n. 8.* & non semel ita judicatum refert, decimas infeudatas, si Ecclesiæ venditæ sint, retractui gentilitio non subijci: quia decimarum, ut ait, *sacrum jus, quæ redierunt ad Ecclesiam postliminio, pristinam recipit sacræ rei conditionem.*

Duo hîc ultrò concedo. Primum 47§
est, quod Suar. & Barbosa *ll. cc.* velut indubitatum tradunt, transferri decimas in alium posse, quando prior possessor adhuc vivit, quia dum feudum sic transfertur, manet adhuc feudum, & per consequens, dum alteri conceditur, non erigitur de novo; neque decimæ adhuc sunt sub dominio utili Ecclesiæ, ergo per ejusmodi translationem non magis alienantur, quàm modò alienatæ sint, dum ab antiquo possessore detinentur. Alterum est, quod tradunt DD. *in cit. c. cùm apost.* novam infeudationem fieri posse, quando decimæ redierunt ad Ecclesiam non per se, sed accessoriè, v. g. cum castro, cui sunt annexæ: quia tunc cum castri concessione de novo concedi possunt, sicut Jus Patronatûs alienatur cum castro, cui adhæret, juxta *c. Ex litteris* & *c. Cùm seculum de Jure Patron.* quâ ratione Marta *p. 2. de Jurisdict. c. 43. n. 64.* conciliandas putat relatas opiniones contrarias.

QUÆSTIO IV.

An Decimæ à Laicis præscribi possint.

SUM-

SUMMARIUM.

474. *Singularis opinio Vasquij de Menchaca præscriptionem decimarum laico asserentis.*
475. *Rationes ita opinandi.*
476. *Laici decimas contra Ecclesiam præscribere nequeunt etiam tempore immemoriali & cum bona fide.*
477. *Relinquendi tamen sunt in possessione immemoriali ob præsumptionem tituli legalis.*
478. *Juxta plerosque DD. necesse est, ut insuper adsit fama privilegij vel investituræ.*
479. *Dicta possessio non prodest, si constat, titulum legitimum defuisse.*
480. *Aut si constat, decimas concessas fuisse post Concilium Lateran. nisi pateat, id factum esse à SS. Pontifice.*
481. *Aut si præsumptioni ex tempore immemoriali obstat alia præsumptio.*
482. *Post temporis etiam immemorialis possessionem restituendæ sunt decimæ ante omnem sententiam, si constat, legitimo titulo ad laicum non pervenisse.*
483. *Multum interest, utrùm præscriptæ sint decimæ, an solum præsumantur legitimè concessæ.*
484. *Præsumptio ex tempore immemoriali non est Juris & de Jure.*
485. *Respondetur ad argumenta Vasquij.*
486. *Laicus contra laicum decimas præscribere potest.*
487. *Tempore ordinario cum titulo, absque hoc 30. annis.*
488. *Et ad illud tempus, ad quod alteri sunt concessæ.*

474 TEmpore immemoriali decimas à laicis præscribi posse solus tenet Fernand. Vasquius *l. 2. contr. c. 87. n. 7.* dicens, per tale tempus, cujus initij memoria non extat, laicum assequi firmum jus in decimis, si sciat allegare titulum habitum à Rom. Pontifice, licèt re verâ ab illo non habuisset. Allegat pro sua opinione Glossam magnam in *c. causam de Præscript.* Quam tamen nec invenire licuit, nec inveniri alicubi posse existimo. Idem tamen mox fluctuans ait, per tanti temporis lapsum induci à lege vel concesionem decimarum quasi à Rom. Pontifice habitam, vel efficacem præsumptionem & probationem illius concesionis quasi habitæ à Papa: quod ultimum cum communi DD. ipsi mox concedetur. Argumenta, quæ partim ipse affert, partim afferri pro hac præscriptione possunt, ferè hæc sunt.

I. Si laicus præscribere decimas non posset, tunc ideò, quia 475

propter

propter ſuam incapacitatem legitimè & civiliter eas poſſidere nequiret. At hoc non obſtat: quia interventus temporis immemorialis facit, ut etiam civiliter eas retrò poſſediſſe cenſeatur, quaſi conceſſionem à Pontifice retrò habuiſſet, ſicque capax eas poſſidendi factus eſſet. Ita Vaſq. *l. c.*

II. Tempus immemoriale non exigit poſſeſſionem civilem, nec etiam naturalem, ſed nudam rerum detentionem. Ita idem *l. c.*

III. Prohibitio *cit. c. cauſam*, quo dicitur, quòd laici decimas nullà ratione præſcribere valeant, cùm eas detinere non poſſint, ſolùm procedit de caſu, quando laicus non in conceſſione Papali, ſed in conceſſione aliunde habita, ſuam fundat intentionem & præſcriptionem. At hîc ſermo eſt de caſu, quo laicus allegat conceſſionem ſibi factam à Pontifice, vel ab Epiſcopo ante Concil. Lateran. & pro probatione adducit tempus immemoriale, quo decimas collegit. Idem Vaſq. *l. c.*

IV. Si laicus verè impetrauit decimas à Pontifice, deinde amiſit inſtrumentum conceſſionis, iniquum foret ipſi non patrocinari poſt tempus immemoriale. Ergo pariter patrocinandum eſt, ſi re verà conceſſio ipſi facta non eſt, modò eam alleget, & tempus immemoriale probet. Imò etiamſi eam non alleget: quia tempus illud verum titulum, quin verum jus induxit, ita ut titulum nec probari nec allegari neceſſe ſit. *l. 3. ff. de uſucap. l. 1. & ult. §. fin. ff. de aqua & aquæ plu. arc.* Ita rurſum Vaſq.

V. Illud poteſt præſcribere laicus, quod poteſt poſſidere; atqui poſſidere poteſt, quod eſt temporale in decimis, cùm de facto laici ita poſſideant, dum decimas colligunt vi privilegij Pontificij aut inveſtituræ: neque plus prætendunt per præſcriptionem, quàm quod habent per feudum, ac libenter, quod ſpirituale eſt, Eccleſiæ relinquunt.

VI. Præſcriptio temporis immemorialis æquivalet privilegio & easdem vires cenſetur habere. *c. 26. de V. S.* Ergo ſicut laici decimas habere poſſunt per privilegium, ita per præſcriptionem immemorialem.

VII. Etiamſi Jura ſacra negent præſcribi à laicis decimas poſſe, non tamen cenſendum eſt, quòd loquantur de præſcriptione immemoriali: quia, etſi lex dicat *nullâ præſcriptione obſtante*, non tamen intelligitur excluſa *immemorialis*, imò nec *centenaria*, ut tradunt communiter DD. cum Baldo *in l. 1. C. de ann. except.* ſicut non cenſetur damnata conſuetudo immemorialis, tametſi lex vel ſtatutum conſuetudinem reprobet quamcunque, dummodo expreſsè non damnet etiam immemorialem, ut cum Covarr. aliiſque multis tenet Suar. *de Leg. l. 7. c. 20. n. 18.*

VIII. Jus Patronatûs præſcribi

poterat etiam contra ipsam Ecclesiam, ac licèt Trident. *Sess. 25. c. 9. de Refor.* hanc facultatem restrinxerit, nihilominus, qui etiam post illud allegant possessionem immemorialem, illud retinent, quamvis non allegato titulo. Ergo à fortiori præscribuntur decimæ, cùm istæ, dum detinentur à laicis, sint aliquid merè temporale, Jus verò Patronatûs aut purè spirituale est aut spirituali annexum.

476 Assert. I. Laici præscriptione etiam immemoriali & cum bona fide præscribere decimas contra Ecclesiam nequeunt. Ita DD. omnes Catholici, nemine, quem sciamus, nisi Vasquio, dissentiente. Consentiunt passim Acatholici, præcipuè Schurpfius *cent. 1. consil. 26. n. 12.* Schneidevvin *in §. retinenda In ff. de Interdict. n. 36.* Bocerus *de Natura Feudi c. 2. n. 28.* Mynsing. *Decad. 3. resp. 30. n. 24.* Carpzov. *p. 2. const. 2. defin. 4.* Brunneman. *de Cessione action. c. 4. n. 63.* Joan. Hochmann. *p. 1. consil. Tubing. consil. ult. n. 123. & 143.* & Anonym. *ibid. consil. 19. n. 53.* Neque invenire etiam inter Heterodoxos potui, qui refragetur. Quando verò nonnulli DD. asserunt, à laicis jus decimandi præscribi posse, vel loquuntur de præscriptione impropriè dicta, uti Palao *tr. 10. pun. 9. n. 3.* & Leûren. *p. 1. Fori Benefic. q. 474. n. 7.* nimirum quòd ex possessione immemoriali præsumantur habere titulum; vel de decimis à Jure spirituali jam avulsis; uti Lessius *l. 2. de Just. c. 39. n. 19.* Ratio assertionis est: quia præscriptio supponit capacitatem possidendi juxta *l. 25. ff. de Usurp. & usucap.* & *c. 3. de R. I. in 6.* ergo *cùm laici*, ut dicitur *c. causam 7. de Præscript. decimas detinere non possint, eas nullâ valent præscribere ratione.* Quæ similésque Pontificum ac Conciliorum responsiones, non procedunt de Jure decimarum solùm spirituali, seu quatenus in spirituali titulo fundatum est, sed etiam de mera utilitate & fructibus temporalibus, uti latè probant Beroius *consil. 21. à n. 8.* Barbos. *de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 50.* Suar. *c. 27.* Laym. *l. c. n. 8.* Gonzal. *in cit. c. 7. n. 16.* Nam Nobilis ille laicus, de quo *cit. c. 7.* agitur, non prætendit jus aliquod spirituale, sed solùm fructus decimales, & nihilominus pronuntiavit Pontifex, ipsum aliósque laicos non esse capaces possidendi: quia cùm decimæ dentur propter spirituale ministerium, sunt de se annexæ officio sacro, ac idcirco potestate solùm Ecclesiæ, & non propriâ vel Clericorum vel laicorum separari ab illo possunt; quod tamen fieri deberet, si laici eas præscribere possent. Cujus rei ratio ulterior est I. Quia præscriptio requirit bonam fidem & capacitatem possidendi rem ut suam, quarum neutram habet laicus, dum vult apprehendere possessionem decimarum, nisi istæ

prius

priùs separatæ sint à titulo spirituali: hec enim dum nondum separatæ sunt, eas posidendi est capax, quia non est capax juris spiritualis, nec bonam fidem habet, quando rem, quæ adhuc spiritualis est aut spirituali connexa, vult posidere ut suam. II. Quia sunt nonnullæ res, quarum possessio involvit titulum proprietatis, id est, quæ propter legis vel Canonis dispositionem possideri juridicè non possunt, nisi subsit titulus, seu jus habendi ac detinendi. Sic liber homo posideri nequit, nisi cum titulo, quo in servitutem redactus sit. *l. 30. §. possessionem. ff. de acquir. possess.* Ita pariter spiritualia posideri nequeunt, nisi titulo privilegij seu concesionis ab Ecclesia legitimè factæ. Unde sicut laicus posidere non potest jus percipiendi stipendij quod Clericis pro Misis, sepulturis &c. debetur, nisi concesione facta ab Ecclesia, vel postquam ejusmodi stipendia à Clericis percepta jam sunt; ita similiter nec jus decimandi posidere potest, nisi Ecclesiæ beneficio capacitatem obtinuerit. Hinc in tali casu neque bona fides prodest possidenti: quia juxta *l. 24. ff. de Usucap. ubi lex impedit usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* At in nostro casu Canon impedit possessionem & usucapionem.

477 Assert. II. Quando laicus decimas à tempore immemoriali percepit, præsumitur bona fides & titulus legalis, & idcirco in sua possessione tanquam legitima defendendus est, saltem si cum illa concurrat fama privilegij vel investituræ. Ita contra Hostiensem ac alios communis DD. apud Menoch. *l. 6. præsum. 86. n. 4.* Felician. Oliva *p. 1. de Foro Eccl. q. 7. n. 103.* Mascard. *de Probat. concl.* 1378. Card. Luca *discurs. 6. & 7. de decim.* Guttier. *l. 1. pract. q. 16.* Balb. *de Præscr. 1. p. 5. prin. q. 7. n. 20.* Ratio est: quia temporis immemorialis possessio vim privilegij sustinet, ejúsque præsumptionem inducit. *c. 1. de Præscript. in 6. c. super. 26. de V. S. l. Hoc jure §. ductus ff. de aqua quot. l. siquis ff. de servit. vend.* Neque in dubio mala fides & delictum præsumendum est, nec in dubio privari aliquis debet pacifica possesione immemoriali, cujus capax esse potest aliquo titulo seu concesione.

Num autem sufficiat sola possessio immemorialis, an verò concurrere debeat communis opinio & fama de privilegio vel investitura, controversum est. Sufficere possesionem immemorialem tenent cum alijs nonnullis Gilken *de Præscript. p. 3. c. 8. n. 37.* Balbus *p. 1. part. 5. prin. q. 7. n. 20.* Guttier. *l. c. n. 2.* Mascard. *de Probat. concl. 483. à n. 8.* Molin. *de Primogen. l. 2. c. 6. n. 47.* & Covarr. *cit. c. 17. n. 5.* qui tamen in fine addit, fortasse requiri, quòd saltem ex fama constet, laicos decimas titulo feudi possedisse. Præter possesionem immemorialem famam privilegij vel investi- 478

turæ & hujus famæ probationem requirunt post Joan. Monach. Hostiens. Archidiac. Frider. Sen. Felin. ac alios Beroius Consil. 21. *n.* 15. & 16. Rebuff. *q.* 13. *n.* 69. Moneta *c.* 5. *n.* 74. Vivian. *de Jur. Patron. p.* 1. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 33. Menoch. *l. c. n.* 5. Suar. *cit. c.* 27. *n.* 4. & 5. Antonelli *de Temp. leg. l.* 2. *c.* 37. *n.* 12. Barbos. *cit. c.* 28 §. 2. *n.* 52. & 53. ubi ait communiter hoc teneri, Gonz. *in c.* 7. *de Præscript. n.* 16. Balboa *ibid. n. ult.* Schurpfius *cit. consil.* 16. *n.* 12 Felic. Oliva *l. c. n.* 104. Pirrhing *tit. de Præscript. n.* 44. Laym. *in c.* 1. *de Præscr. in* 6. *n.* 3. & *Compos. Pacis c.* 8. *q.* 68. *n.* 159. Fagn. *in c. Cùm Apost. de his, quæ fiunt à Prælat. à n.* 5. ubi dicit esse communem, & constanter teneri à Rota Rom. idémque testantur Garc. *de Benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 38. Barbos. *l. c.* & Card. Luca *cit. disp.* 6. Harum opinionum fundamenta non vacat discutere: frustra enim posteriorem decimatoribus laicis opposueris, quamvis dubium esse vix queat, non paucas decimas non privilegio aliquo Ecclesiæ, sed injuriâ temporum & bellorum, desertæ in plerisque Germaniæ Provincijs antiquæ veræque Fidei, Clericorum quà apostasiæ, quà socordiæ in defendendis suæ Ecclesiæ juribus aut impotentiæ, in manus secularium, uti complura alia Ecclesiæ bona, esse devolutas. Unde non benè agunt, qui Principibus & Magnatibus decimas possidentibus suadent, ut eas non alienent in aliquam Ecclesiam, tanquam deventuras in manus, ut loquuntur, mortuas. Quidni enim revertatur ad Ecclesiam & Patrimonium Christi, quod olim in illo fuit, & forsan iniquè ablatum est, ac remanens in manibus laicorum obstupescere faciet dentes filiorum, quorum patres comederunt uvam acerbam?

47) Nonnulla nunc ex doctrina modò tradita corollaria, Judicibus causarum decimalium, iisque, ad quos decimæ jure communi pertinent, scitu apprimè necessaria, deducenda sunt. I. Sequitur, quòd si ex scriptura aliqua aut actis constaret, decimas hujus vel illius Parochiæ etiam ante dictum Lateran. Concilium illegitimâ & ipso jure irritâ alienatione in laicum translatas fuisse, v. g. quia consensus Episcopi, aliæve solemnitates requisitæ non intervenerunt, vel quia vi aut clam occupatæ fuerunt, aut precariò concessæ: sequitur, inquam, quòd restituendæ sint Ecclesiæ post quanticunque temporis lapsum. Ratio patet: quia etsi successores, etiam universales, si mediati duntaxat sunt, rem à suis majoribus malâ fide occupatam, propter bonam suam fidem præscribant, ita ut licèt postea de vitioso auctoris initio constet, hoc ipsis non obsit: quia tamen in nostro casu præscriptio locum non habet, & titulus legalis ex diuturnitate temporis tantùm præsumitur, idcirco probatâ

hujus præsumptionis falsitate restituendæ erunt decimæ utpote illegitimè & absque justo titulo possessæ, ut passim notant DD. cum Felino in *c. accedentes de Præscript. in 6.* Eadem est ratio, si ex instrumento v. g. reperto appareat, eas post Concilium Lateran. sub Alex. III. celebratum, ab Episcopo, vel Prælato Monasterij, cui incorporatæ erant, vel à Parocho, sine consensu Papali, laico fuisse donatas, infeudatas, venditas &c. aut à Prælato Monasterij vel Parocho etiam ante dictum Concilium sine consensu Episcopi. Restitui enim tunc debent Ecclesiæ, quia alienatio fuit invalida, & præscriptio laicis non prodest. Idem dicendum est, si fortè Præco Lutheranus vel Calvinianus jus Parochialium decimarum vendidit, ac postea Parochia Catholicis restituatur, uti ante paucos annos in Hungaria annexisque Provincijs, ac antehac in Austria, Bohemia, Silesia, Palatinatu, &c. factum est. Compelli enim tunc earum emptor, sive Catholicus sive acatholicus, ad restitutionem potest ac debet, etiam non refuso ipsi pretio, utpote quod à venditore, qui de evictione tenetur, repetendum erit. Neque obstat Instrumentum Pacis Osnabrugensis, uti patebit consideranti ea, quæ ibi de decimis aliisque reditibus Ecclesiasticis continentur *§. 3 & 15.*

480 II. Sequitur, quòd dicta præsumptio ex temporis diuturnitate non sufficiat, quando constat, quòd decimæ sint concessæ post dictum Concilium Lateran. etsi dubium sit, ab Episcopo, an à Papa sint concessæ. Ratio est: quia si ab Episcopo non ad vitam, sed in perpetuum concessæ fuerunt, concessio fuit invalida, nec præscriptio, ut diximus, jus aliquod tribuere potuit. Quòd autem concessæ fuerint à Pontifice, non est præsumendum: quia etsi SS. Pontificibus non sint ligatæ manus, sicut Episcopis, rarissimè tamen, saltem post illud Concilium, decimas laicis concedunt, & ferè solis Principibus, ac solùm pro aliquo casu necessario, v. g. belli contra Infideles aut Hæreticos, non verò in perpetuum. Si ergo constat, cœptam esse possessionem primùm post dictum Concilium, præsumi nequit, concessionem à Pontifice factam esse: quia præsumptio est de ijs, quæ frequenter & communiter fiunt; non verò de ijs, quæ aut nunquam aut rarissimè, uti notant Salicet. ac alij *in leg. neque natales C. de Probat.* Donell. *l. 25. c. 3.* & Hilliger *ibi*, Menoch. *l. 1. de Præsum. q. 7. & 13.* Hinc nullus DD. dicit, quòd diuturnitas temporis sufficiat ad præsumendum titulum, si constat, quòd laicus possessionem cœperit post dictum Concilium; sed tunc solùm hanc præsumptionem admittunt, quando dubium est, utrùm illa cœpta fuerit ante vel post Concilium, uti apparet ex ijs, quæ tradunt Covarr. *l. c. V. si dubitetur*

bitetur Guttier. *l. 2. Can. qq. c. 21. n. 71.* & *l. 1. practic. q. 14.* Gabriel. *de Præscript. concl. 1. n. 22.* Balb. *cit. q. 7. n. 19.* Mascard. *de Probat. consl. 483. n. 6.* Suar. *c. 27. n. 4.* Rosenthall *de Feud. c. 4. concl. 28.* Moneta *c. 5. q. 3. n. 74.* ac passim alij. Ex quo rursum consequens est, si constaret, laicos fuisse quidem in quasi possessione juris decimarum annis v. g. 300. aut 400. attamen ante hoc tempus jus illud adhuc fuisse penes Ecclesiam, hanc contra laicos restituendam esse. Nam etsi daremus, tam diuturnam laicorum quasi possessionem immemorialem esse, ea tamen juxta dicta nequaquam sufficit ad præsumendum legitimum titulum; quâ tamen solâ præsumptione se defendere queunt laici, si ipsum titulum probare nequeunt. Hinc admittendum neutiquam est, quod tradit Prænob. D. de Clingensperg *assert. 39. de Decim. n. 2.* tametsi constet, quòd decimæ, quæ modò sunt penes laicum, ante 200. annos extiterint penes Parochum, adhuc dicendum esse, quòd perfectum fuerit tempus immemoriale, & (ut sequitur ex ijs, quæ dixerat *assert. 38. n. 1.*) laicum ob præsumptum ex tanti temporis lapsu titulum in sua quasi possessione manutenendum esse: modò non constet de vitioso initio. Hæc, inquam, doctrina neutiquam admitti aut practicari potest: cùm, ut dixi, ex lapsu cujuscunque temporis præsumptio justi tituli pro laico sumi non possit, si constat, post dictum Concilium Lateranense decimas ad laicum pervenisse. Neque ullus Doctorum hanc præsumptionem in tali casu pro laico admittit, sed omnes constanter aut supponunt aut asserunt, eam tunc solùm locum habere, quando constat, decimas ante illud Concilium ad laicos pervenisse, aut saltem si dubium est, num ante, an post illud pervenerint.

III. Sequitur, quòd pariter locum non habeat præsumptio tituli ex possessione immemoriali, quando laico hanc alleganti obstat præsumptio aliqua specialis contraria, nimirum quòd vi vel clam vel precariò possideat, quòd acceperit ab injusto possessore, vel quòd ab Episcopo vel Parocho sine consensu Pontificis. Ratio patet: quia etsi juxta *c. 1. de Præscript. in 6.* possessioni immemoriali non obstet sola præsumptio juris, quæ pugnat contra eum, qui possidet id, quod alteri de Jure communi competit, obstat tamen, si concurrat aliqua specialis præsumptio, quæ ex quodam facto determinatè contra hunc vel illum possessorem pugnat, eúmque malâ fide vel absque titulo legali possidere arguit. Cum tali enim præsumptione, utpote directè contrariâ, stare nequit præsumptio ex tempore immemoriali: quia præsumptio præsumptione tollitur. *l. Divus ff. de integr. Rest. l. non solum. ff. de*

431

48

ff. de Ritu Nupt. & ſpecialis præſumptio tollit generalem. *l. Cùm de indebito ff. de Probat.* & Bart. *ibi n. 1.* Bald. *in l. ſive poſſidetis C. de Probat. col. 1.* ac latè Menoch. *l. 1. præſump. 29. & de Arbitrar. caſu 472.* Peckius *in Reg. 34. Fur. in 6. n. 2.* Debet igitur laicus in prædictis caſibus allegare & probare titulum legalem, cùm ceſſet præſumptio tituli, quæ cæteroqui ex poſſeſſione immemoriali naſcitur: habétque tunc maximè locum diſpoſitio *c. 2. de Reſt. ſpol. in 6.* ubi Canonicis, qui in aliena Parochia decimas poſſederant, & à Parocho loci fuerant ſpoliati, negatur reſtitutio, *niſi evidenter docuerint, quòd earum poſſeſſionem legitimè aſſecuti eſſent. Quia eas occupâſſe injuſtè veriſimiliter præſumuntur, cùm proveniant ex prædijs intra alienam Parochiam conſtitutis.*

481

482 IV. Sequitur, quòd laicus vel communitas laicorum in conſcientia & ante omnem ſententiam decimas Eccleſiæ reſtituere teneatur, quamprimùm novit, eas ſine vero titulo ad ſe perveniſſe, v. g. quia reſcifcit, aliquem è majoribus vi aut clàm eas uſurpâſſe aut ab iniquo poſſeſſore accepiſſe. Etſi enim mala fides anteceſſoris non obſit, quin ſucceſſor longiſſimi aut immemorialis temporis poſſeſſione rem alienam uſucapere poſſit, quia tamen præſcriptio locum hìc non habet, & præſumptio, quam parit immemorialis poſſeſſio, veritatè ſeu veri notitiâ tollitur *can. 4. §. & 6. diff. 8.* idcircò reſtituendæ ſunt decimæ, utpote alienæ, quia nec vero titulo nec uſucapione acquiſitæ.

V. Sequitur, multùm intereſſe, 483
utrùm laicus decimas præſcribat præſcriptione verâ & propriè dictâ, an verò ſolùm improprià, quando videlicet defenditur ſolùm ex præſumptione tituli, quam inducit quaſi poſſeſſio immemorialis. Si enim propriè præſcriberet, ſive ex ipſa poſſeſſione & bonâ fide titulum & jus acquireret (quod fieri poſſe cum communi omnium negavi *n. 475.*) tunc etiamſi poſtea conſtaret, absque habili titulo, id eſt, absque legitima Eccleſiæ conceſſione, decimas ad ipſum perveniſſe, nihilominus in earum poſſeſſione manutenendus eſſet, propter jus ſive titulum ex præſcriptione ſibi bonâ fide comparatum. Si verò (quod *n. 476.* dixi) ſolùm defenditur vi privilegij ex quaſi poſſeſſione immemoriali præſumpti, tunc non obſtante tali poſſeſſione eas reſtituere tenetur, ſi poſtea de contrario conſtet, videlicet decimas ipſi ab Eccleſia aut omnino non aut non validè fuiſſe conceſſas, ut patet ex dictis *n. 478. & ſeqq.*

Dices: Præſumptio, quam parit 484
tempus immemoriale, eſt juris & de jure, ut tradunt Felin. *in c. cùm nobis de Præſcript.* aliique apud

Maſ-

Mascard. *de Probat. concl. 1378. n.37.* At præsumptio juris & de jure non admittit probationem in contrarium: ergo qui possedit decimas tempore immemoriali, solùm tenetur probare hanc possessionem, nec admittendus est adversarius volens defectum tituli probare. Verùm major negatur cum Glossa *in c.1. de Rescript. in 6.* (quam Parisius *vol. 1. consil. 27. n. 120.* ait à nemine reprobari) Franco, aliisque, quos congerit Gabriel. *tit. de Præscript. concl. 1. n. 50.* & sequuntur Arnol Rath. *de Usucap. c. 5. assert. 47. & c. 3. asser. 34.* Canis. *de decim. c. 9. n. 18.* Fachin. *l. 8. contr. c. 33.* hisque testibus Juridica nostra Facultas respondendo sæpius secuta est: idque jure meritissimo, quia aliàs possidenti tempore immemoriali objici non posset mala fides, cum qua tamen nullo tempore præscribitur. *c. 5. & ult. de Præscript. reg. 2. Jur. in 6.* Adde, quòd Præsumptio Juris & de Jure juxta *c. Js qui de Sponsal.* est dispositio legis & canonis aliquid præsumentis & super præsumpto, tanquam sibi comperto, statuentis: unde ad eam requiritur, ut lex exprimat & sanciat, ne in hoc vel illo casu probatio in contrarium admittatur, ut cum Innoc. & Baldo tradit communis apud Menoch. *l. 1. de Præsumpt. q. 3. à n. 19. & l. 4. præsum. 89. n. 19.* at nulla lex sanxit, ut contra immemorialitatem temporis probatio non admittatur. Quando Felinus aliique ajunt, tempus immemoriale facere præsumptionem Juris & de Jure, intelligendi sunt de casu, quando illud tempus est causa inducens, ut cum Ant. de Butrio ac alijs loquitur Mascard. *l. c. n. 39.* id est, si usucapionem & jus inducit: non verò, si est causa solùm declarans, id est, si tantùm declarat & præsumi facit justum titulum, uti in nostro casu contingit.

Sic stabilitâ nostrâ assertione de 4ª incapacitate laicorum ad præscribendas contra Ecclesiam decimas, facile est dissolvere rationes *n. 474.* eidem oppositas. Ad l. R. tempus immemoriale facere, ut quis etiam retrò civiliter possedisse censeatur, si is, qui detinet, possessionis est capax; secùs, si incapax est, uti est laicus decimarum. Quòd verò censeatur capax esse factus à Pontifice, ultrò concessimus. At quia hæc est mera præsumptio, idcirco corruit, si aliunde constat, quòd per privilegium Ecclesiæ vel investituram capacitatem non obtinuerit, utpote quam sola detentio non tribuit, sed supponit.

Ad II. Quòd tempus immemoriale non exigat possessionem aut civilem aut naturalem, gratis asserit Vasquius, quia sine legis & DD. auctoritate, qui omnes supponunt, possessionem ad usucapiendum esse necessariam. Sic *c. 7. de Præscript.* absolutè traditur, laicos nullâ ratione posse præscribere decimas, quia eas non possunt detinere, videlicet

delicet detentione juridica & utili ad usucapiendum. *Reg. 2. Jur. in 6.* & *leg. sine possessione ff. de usucap.* absolutè pariter asseritur, sine possessione non procedere præscriptionem, nullâque vel ibi vel alibi præscriptio excipitur.

Ad III. Ex eo, quòd laicus decimator allegat concessionem Pontificis vel Episcopi ante Concil. Later. tantùm sequitur, quòd ex possessione immemoriali allegatio vera esse præsumatur; neutiquam verò, quòd verum alleget, aut quòd decimas sine titulo acquisitas præscripserit. Hinc si aliunde constat, aut ex contraria aliqua præsumptione probabile est, quòd titulum habilem ab Ecclesia non habeat, corruit illa præsumptio tituli ex tempore immemoriali.

Ad IV. Quòd tempus immemoriale verum titulum & jus tribuat, ita ut illum probari necesse non sit, solùm procedit de illo, qui possessionis & usucapionis est capax; non item de incapaci, ut diximus ad primum.

Ad V. Responsio patet ex dictis n. 425. neque enim illud, quod in decimis temporale est, separari à jure spirituali potest per solam laici detentionem, sed hoc fieri necesse est auctoritate Ecclesiæ.

Ad VI. Regula illa, quòd quidquid acquiri potest privilegio, acquiri possit possessione temporis immemorialis, vera est de possessione juridica, & cui lex non resistit, qualis non est, quâ laici detinent decimas: huic enim Canones resistunt, & ipsa decimarum natura. Unde latum est discrimen inter privilegium ex una, & inter præscriptionem ac possessionem ex altera parte: illud enim dat capacitatem; at præscriptio supponit possessionem, & hæc supponit capacitatem possidendi, non verò eam dat, ut fusè explicant Felin. *in c. accedentes de Præscript.* Panorm. *in cit. c. 7.* & Balbus *de Præscript. 1. p. 5. prin. q. 7. n. 17.*

Ad VII. Licèt sub generali exclusione præscriptionis non reprobetur immemorialis, hæc nihilominus locum non habet, ubi deest capacitas possidendi, ut hactenus diximus. Hinc Pontifex *cit. c. 7.* non tam prohibet laicis omnem decimarum præscriptionem, quàm supponit esse impossibilem, eò quòd possessionis sint incapaces, antequam legitimâ Ecclesiæ auctoritate separatum à jure spirituali fuerit, quod in ipsis est temporale.

Ad VIII. Jus Patronatûs præscribere possunt laici fideles, qui a privilegio Ecclesiæ generatim & absolutè ejusdem sunt capaces: non autem capaces pariter sunt facti juris decimandi. Si etiam hujus capaces fuissent redditi, præscribere pariter possent.

Assert. III. Laicus jus decimandi præscribere contra laicum potest. Ita sentiunt Felin. *in c. 7. de Præscript. n. 4.* Aug. Barbos. *ibid.* 486

n. 5. & de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 54. Balb. *de Præscript. 1. p. 5. prin. q. 7. n. 21.* Fern. Vasq. *l. 2. contr. c. 89. n. 3.* Valasc. *de Jure Emphyt. q. 17. n. 15.* Card. Paris. *vol. 4. consil. 25. à n. 10.* Guttier. *l. 1. pract. q. 4. n. 3. & q. 15. n. 7.* ubi dicit esse communem, Rebuff. *q. 13. n. 55.* Leüren. *in Foro Benefic. q. 476. n. 6.* Felic. Oliva. *p. 1. de Foro Eccl. q. 7. n. 58.* Antonelli *de Temp. legali l. 2. c. 37. n. 18.* ac alij. Rationem dant: quia mutatâ personæ possidentis conditione, mutatur ipsorum bonorum conditio. *c. 1. §. Verùm de Jure Patr. in 6. l. 90. ff. de acquir. hared.* Quando ergo decimæ per legitimam Ecclesiæ concessionem in laicum transferuntur, separantur à jure & titulo spirituali, fiúntque laicales, & per consequens alij quoque laici earum sunt capaces. Qua capacitate semel positâ jam non est ratio, cur ab ipsis non possint præscribi. Videtúrque hoc non solùm tunc admittendum, quando decimæ absolute & in vim simplicis ac perpetuæ donationis in laicum translatæ fuerint; sed etiam quando in feudum datæ sunt. Quamvis enim de hoc dubitet Felic. de Oliva *l. c. n. 59.* eò quòd, si solùm in feudum dantur, non omnino separentur à jure spirituali, propter recognitionem, quam debent Ecclesiæ, & dominium directum, quod penes eam manet. Non tamen hoc obesse videtur: quia etiam per investituram id, quod in decimis temporale est, separatur à jure spirituali. Unde non apparet, cur præscribi etiam à laico non possit: neque enim præscriptio tollit jus directum Ecclesiæ (cùm istud non præscribatur) neque præjudicium aliud eidem facit, cùm respectu Ecclesiæ perinde sit, penes quem ex laicis sit dominium utile; & forsan istud faciliùs redibit ad Ecclesiam, dum est penes præscribentem, quàm dum penes eum, cui in feudum est concessum.

Dubium duntaxat est, quantum 487
tempus ad hanc præscriptionem requiratur. Pafisius *l. c. n. 12.* requirit immemoriale. Verùm meliùs alij ajunt, sufficere cum titulo ordinarium, absque titulo longissimum: quia si cum titulo requireretur longissimum, sine illo immemoriale, uti juxta *c. 1. de Præscript. in 6.* requiritur, quando contra propriam Parochiam Parochia aliena vel Monasterium præscribit, tunc hoc ideò, quia in tali casu laico Jus resisteret: at non resistit, ut patet ex dictis suprà *n. 457.* 485

Cæterùm laicis hanc præscri- 488
bendi facultatem DD. duntaxat concedunt, quando decimæ titulo perpetuo feudi vel simili illis concessæ sunt: non verò, si solùm ad vitam, vel tempus aliud determinatum aut indeterminatum, non tamen perpetuum. Fatendum equidem est, non posse in hoc ultimo casu decimas à laico præscribi ita, ut fiant præscribentis in perpetuum

tùm vel ultrà id tempus, ad quod concessæ sunt ab Ecclesia illi, contra quem præscribitur: non tamen apparet, quare non possint præscribi & possideri ad certum illud tempus, ad quod ab Ecclesia concessæ sunt, v. g. ad 30. annos, si ad hos unus est investitus, & alter eas post 5. aut 10. annos bonâ fide & cum titulo cœpit possidere.

QUÆSTIO V.

An Decimæ laicis vendi & locari possint.

SUMMARIUM.

489. *Status quæstionis.*
490. *Jus decimandi nec licitè nec nec validè venditur, aut permutatur re temporali.*
491. *Locari fructus decimales possunt etiam laicis.*
492. *Decimæ, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, locari ultra triennium non possunt sine solemnitatibus.*
493. *Possunt illæ, quas percipit Parochus.*

489 SErmo hîc non est de decimis à jure spirituali jam avulsis, &, ut loquuntur, secularizatis (de his enim *seq. q. agetur*) sed de decimis Ecclesiasticis propriè sic dictis, ita ut sensus quæstionis sit, an decimæ quæ penes Ecclesiam sunt, venditione, locatione, aut permutatione transferri in laicos possint. Pariter sermo non est de solis fructibus; hos enim, quando semel vel decimarum, vel oblationum, alióve simili nomine ab Ecclesia percepti sunt, aut certè quando omne jus percipiendi penes ipsam est, in laicos titulo vel oneroso vel lucrativo transferri posse, extra dubium est; partim quia hanc alienationem ab ipsa ejúsque ministris fieri necesse est in dandis eleemosynis, faciendis remunerationibus, comparandis ex pretio venditorum fructuum rebus, quibus indigent; partim quia alienando fructus, quorum omne jus penes ipsos est, nihil vel rei vel juris spiritualis in laicos transferunt.

Assert. I. Jus decimandi laici 490
nec licitè nec validè emere possunt. Patet cùm ex eo, quòd hoc jus est spirituale, & sic pretio ne quidem à Clerico vel Ecclesia comparari potest, juxta dicta *n.* 433. tum quòd laici ejus non sunt capaces. Neque contrahentium propriâ auctoritate separari, quod in decimis temporale est, à jure spirituali potest. Eadem est ratio de permuta-

tione, aliisque hujusmodi contractibus, in quibus intervenit aliquid pretio æstimabile, idque agitur, ut plenum jus & dominium transferatur.

491 Aliud dicendum est de locatione: constat quidem, jus ipsum decimandi, utpote spirituale, locari non posse; at certum pariter est ex *c. 2. de locato*, locari posse fructus. Patétque ratio: quia per hanc locationem transfertur in conductorem sola commoditas fructuum temporalium, pro qua accipere mercedem non est simoniacum, cùm nihil spirituale veniat in contractum. Unde consequens est, eos etiam laicis locari posse, sicut vendi vel locari ijsdem possunt alia bona temporalia Ecclesiæ, fundi, prædia, &c. Dubium duntaxat est, ad quod tempus locari possint. Suar. *cit. c. 25. n. 9.* Canis. *c. 13. n. 11.* ac passim alij, absolutè tradunt, absque debitis solemnitatibus ad longum tempus id fieri non posse, juxta *cit. c. 2. c. 1. & 9. de Reb. Eccl. alien. Clem. 1. & Extrav. un. comm. eod.* Verùm distinguendum est inter decimas, quæ debentur propriè ipsi Ecclesiæ, & applicantur in sumptus, quos facere ipsa debet in fabricam, alendos cantores, aliósque ministros, comparandas vestes sacras; & inter eas, quæ sunt assignatæ Rectori aliisque Beneficiatis. De illis sit

492 Assert. II. Decimæ, quæ debentur ipsi Ecclesiæ, & non Parocho, locari nequeunt, nisi ad breve tempus, quale est triennium juxta *Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccl. alien.* si agitur de rebus Ecclesiæ alienandis, vel novennium, sicubi forte illa Extrav. non est recepta. Ita cum communiore tradunt Guttier. *l. 1. qq. can. c. 8. n. 14.* Barbos. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 95. n. 30.* & *in Extrav. un. de reb. Eccl. alien. n. 4.* Rationem dant; quia inter res Ecclesiæ alienari prohibitas cit. Extravagante expressè numerantur fructus.

Assert. III. Potest Parochus aliúsve decimator Ecclesiasticus fructus decimarum ad tempus longum, imò etiam ad vitam suam locare laicis. Ita post Panorm. Silvest. ac Covarruv. traduntLess. *l. 2. c. 24 n. 70.* Molina Jur. *l. 1. de Primog. c. 21. n. 24.* Molina Th. *tr. 2. de Just. disp. 466. n. 6.* Quaranta *V. Alienatio n. 18. v. 3.* Filliuc. *tom. 3. tr. 44. c. 2. §. 1. q. 8.* Bonacina *tr. 2. de alien. per. Eccl. q. un. pun. 3. n. 24.* Barbosa *in cit. Extravag. n. 7.* Laym. *in c. 7. de Præscript. n. 2.* Ratio est: quia tali locatione non læditur Ecclesia, cùm res duntaxat suas locet decimator, séque obliget obligatione solùm personali ad dandam alteri commoditatem, quam ipse esset habiturus: quæ obligatio cessat, si Beneficio ipse decedit, eò quòd extincto jure dantis extinguatur etiam jus accipientis. *l. lex vectigalis ff. de Pignor.* Ex quo ritè infert 493

uter-

uterque Molina cum alijs plurimis, vendi etiam totam illam commoditatem unico pretio posse ad totum tempus, quo decimator jus decimandi habebit.

QUÆSTIO VI.

An laici transferre Decimas in alios pro arbitrio possint.

SUMMARIUM.

494. *Laicus decimas injustè detentas nequit sine consensu Episcopi alteri Ecclesiæ restituere, quàm cui debentur.*
495. *Valida est translatio in aliam Ecclesiam, si accedat consensus Episcopi, & occupatæ illæ fuerint ante Concilium Lateranense.*
496. 497. 498. *Respondetur ad opposita.*
499. *Non valet illa translatio, si fuerunt injustè obtentæ post dictum Concilium, aut si concessæ fuerunt solùm ad tempus.*
500. *Multò minùs valet alienatio in laicum.*
501. *Concessæ validè in feudum perpetuum transeunt ad successores etiam laicos.*
502. *Possúntque cum consensu Episcopi alteri laico infeudari, si præjudicium filiorum absit.*
503. 504. *Solvuntur objectiones.*
505. *Decimæ laicis donatæ non sunt, sed solùm in feudum datæ.*
506. *Justè possessæ absque consensu Episcopi restitui possunt Ecclesiæ, cujus antè fuerant.*
507. *Alteri verò Ecclesiæ cum consensu Episcopi.*
508. *Et oppignerari etiam laico.*
509. *Consuetudine inolitâ laici de illis disponunt sicut de patrimonialibus.*

EXplicatum hactenus est, qua ratione decimæ ab Ecclesia in laicos transferri possint: nunc discutiendum è contrario est, an laici eas liberè in alios vel laicos vel Clericos alienare possint. Quæ quæstio difficilis est, quòd Jus scriptum & consuetudo inter se pugnant, nec minùs inter se Doctores in Jure explicando & contraria consuetudine tuenda. Ad evitandam confusionem, quam apud non pauços invenies, juxta diversos casus diversas decisiones fieri necesse est.

Assert. I. Laicus decimas injustè detentas restituere tenetur illi 494

Ecclesiæ, cujus sunt, nec absque consensu Episcopi in aliam transferre potest. Assertio certa est, patétque cùm ex *l. Id, quod nostrum ff. de R. J.* & *c. 15. h.t.* tum ex ratione naturali, quæ jubet cuique restitui, quod suum est.

495 Assert. II. Si laicus detinens decimas ante Concil. Lateran. injustè obtentas induci nequit, ut eas restituat Ecclesiæ, cui debentur, consentire potest Episcopus, ut dentur alteri Ecclesiæ vel pio loco, valebítque hæc translatio. Ita contra Panor. aliósque sentiunt Fer. Vasq. *l. 2. contr. c. 89. n. 2.* Suar. *c. 26. n. 11. & 12.* Em. Gonzalez *in c. 19. h.t. n. 8.* Aug. Barbosa *p. 3. de Offic. Episcop. alleg. 121. n. 6. & 7.* (ubi Suarezium malè citat in oppositum) Schambogen *h.t. n. 68.* aliíque communiter. Probatur ex *c. Cùm Apostolica 7. de his quæ fiunt à Prælat.* ubi dicitur, decimas laico ante Lateranense in feudum perpetuum concessas posse auctoritate Episcopi absque consensu Capituli in aliam Ecclesiam transferri. Similia habentur *c. 2. h.t. §. 3.* Esse autem ibi sermonem de decimis injustè & invalidè concessis, ex *cit. c. 7.* apertè desumitur: dicitur enim ibi, *quòd monendus est laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat: qui si fortè induci nequiverit, & eam cum diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui, constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixa.* Ubi inprimis notandum est verbum *detinet*: dicuntur enim detineri, quæ retinentur injustè, cùm *detinere* referatur ad factum, *possidere* ad jus. Præterea dicitur monendus esse laicus, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat. Igitur sermo est de eo, qui injustè detinet, & restituere tenetur: neque enim, qui justè possidet, monendus est, ut restituat. Denique citat ibi Pontifex S. Hieronymum; at iste expressè dicit, *si fuerint à laicis malè detentæ.* Loquitur ergo etiam Pontifex de decimis malè detentis.

Dices I. Episcopus spoliare Ecclesiam decimis nequit, ergo non potest concedere, ut quæ debentur uni, applicentur alteri: sicut non potest concedere, ut res furtiva applicetur Ecclesiæ, & domino non restituatur. R. tunc solùm id posse concedi ab Episcopo, si laicus induci nequeat, ut eas restituat illi, cui debentur: quia sic evitatur majus malum, cùm minùs inconveniens sit decimas transferri ab una Ecclesia in aliam, quàm à laico injustè retineri. Sicut ergo creditor licentiam dare mihi potest, ut, quod ipsi debeo, largiar pauperibus, vel pio loco; ita Ecclesia universalis, quæ est velut principalis creditor, ad decimas recuperandas, quæ ipsi aliàs omnino perirent, per Episcopos concedere potest, ut alteri Ecclesiæ restituantur, hæcque restitutio valida habeatur.

Dices

497 Dices II. Ad alienationem rerum Ecclesiæ non sufficit auctoritas Episcopi, sed requiritur insuper consensus Capituli: atqui hîc agitur de alienatione decimarum. R. ex *cit. c. 7.* majorem esse veram, si agatur de alienatione propriè dicta; non verò, si solùm de revocatione, qualis hîc est. Sic enim loquitur textus: *In alienatione consensus Episcopi sine Clericorum consensu non sufficit: in revocatione autem sufficit consensus Episcopi; cùm per utrumque utilitati Ecclesiæ consulatur.*

498 Dices III. Juxta *c. ult. h. t.* non potest laicus decimas injustè obtentas cum consensu Episcopi alteri Ecclesiæ oppignerare, ergo neque donare potest. R. N. Conseq. quia si tales decimæ oppignerarentur cũ consensu Episcopi, censeretur Ecclesia iniquitatem laici injustè eas detinentis approbare; haberet enim laicus jus pignoris: si autem donat, nihil retinet.

499 Assert. III. Episcopus non potest consensum præstare, ut laicus decimas post Lateranense injustè obtentas, restituat alteri Ecclesiæ, quàm cui debentur. Ita Suar. *cit. c. 26. in fine*, Barbos. *cit. alleg. 121. n. 7.* Schambogen *cit. n. 68.* Ratio perspicua est: quia concessio, de qua *n.* 495. facta est solùm quoad decimas ante Lateran obtentas, ut patet ex *cit. c. 7.* neque licentia, quæ cedit in præjudicium particularium Ecclesiarum, extendenda est; præsertim cùm nec ratio nec necessitas, ob quam licentia illa data est circa decimas ante Lateran. detentas, procedat de decimis post illud Concilium obtentas: cùm enim de decimis ante Lateran. obtentis, constare vix posset, justè an injustè concessæ fuerint, idcirco indistinctè permissum fuit, ut Ecclesiæ cuicunque restitui possent; modò consensus Episcopi accederet: quæ ratio, ut palàm est, non procedit de decimis posteriùs concessis. Eandem ob causam dicendum est, non posse cum consensu Episcopi decimas restitui alteri Ecclesiæ, quàm cui debentur, si concessæ laico fuerunt, non in feudum perpetuum, sed solùm ad tempus; quia *cit. c. 7. & c. 2. h. t. §. 3.* tantùm loquitur de illis, quæ in feudum perpetuum concessæ invalidè fuerunt.

Assert. IV. Multò minùs con- 500
cedere potest Episcopus, ut laicus decimas invalidè, sive ante sive post Lateran. obtentas, alienare possit in laicum. Conclusio certa est, & ab omnibus recepta: quia *c. 19. h. t.* absolutè prohibetur, *ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre*, & *cit. c. 7.* ac *c. 2.* hujusmodi translatio cum consensu Episcopi solùm conceditur in aliquam Ecclesiam.

Assert. V. Laicus decimas sibi in 501
feudum perpetuum validè concessas transmittit, etiam sine Episcopi

copi consensu, in successores etiam laicos, juxta naturam & qualitatem feudi, ita ut si feudum sit ex pacto & providentia, transmittat solùm in liberos; si est hæreditarium vel mixtum, transmittat in hæredes etiam extraneos. Ratio patet: quia Ecclesia decimas concedere in feudum potest: ergo si concedit etiam pro liberis, vel pro hæredibus quibuscunque etiam extraneis, necesse est, eas etiam ad hos vel illos transire. Quod verum est, etsi expressa mentio successorum facta non sit, dummodo decimæ in feudum perpetuum datæ fuerint; neque enim intelligi potest, quomodo feudū possit esse aut dici perpetuum, nisi ratione successionis hæreditariæ. Unde quando Panor. *in c. Prohibemus h. t.* Hostiens. Archidiac. Rebuff. aliique multi negant, posse laicū alteri laico, etiam cum consensu Episcopi, donare vel transmittere decimas in feudum sibi concessas, intelligendi solùm sunt de feudo invalidè, vel duntaxat ad tempus concesso; vel quòd in particulares successores, qui ex testamento vel ab intestato non succedunt, transferri nequeunt: secùs enim negarent hoc ipso, decimas in feudum perpetuum concedi laicis posse; hoc autem negare tantis Doctoribus utique in mentem non venit.

502 Assert. VI. Laicus justè possidens decimas, eas alteri laico in feudum dare potest cum consensu Episcopi, dummodo per hoc juri filiorum non præjudicet. Ita tradunt Gloss. *in c. Prohibemus 19. h.t.* Card. *ibid.* Jo. Andr. *in c. 1. de Præscr. in 6.* Sylv. *V. decimæ q. 10.* Suar. *cit. c. 26. n. 8.* aliique, quos citant & sequuntur Barbos. *cit. alleg. 121. n. 8. & 9. & in cit. c. 19. n. 7.* & Fern. Vasq. *cit. c. 89. n. 2.* contra Panorm. ac alios, quos ijdem recensent. Ratio nostræ sententiæ, quam Guttier. *l. 1. pract. c. 15. n. 6.* veriorem ac communiorem dicit, est: quia dum feudum Ecclesiæ nondum apertum transit ab uno in alium, non conceditur ab Ecclesia de novo, neque est sub ejus utili dominio, sed solùm sub directo, ac idcirco talis translatio auctoritate Episcopi facta non est alienatio, sed solùm continuatio alienationis jam antè legitimè factæ: ergo non comprehenditur sub prohibitione Urbani II. & Concilij Lateran. quia hæc solùm vult, ut decimæ, quæ sunt penes Ecclesiam, non dentur in feudum laicis, & alienentur, ut diximus suprà *n.* 473. Cæterùm præter consensum Episcopi requiri etiam consensum Ecclesiæ, de cujus decimis transferendis agitur, benè asserit Laym. *l. 4. Th. Mor. tr. 6. c. 6. n. 6.* cùm de rebus Ecclesiæ sine ejus consensu disponere nequeat Episcopus, nisi fortè ejus Rector irrationabiliter dissentiat.

Dices I. cum Panor. *l. c.* & Lessio 503 *l. 2. de Just. c. 39. n. 21.* talis infeudatio cederet in magnum Ecclesiæ præ-

præjudicium, si is, qui decimas transfert, careret liberis: quia feudum, quod tunc reverteretur ad Ecclesiam, manebit apud secundum vasallum, seu subvasallum ejúsque descendentes masculos. R. præjudicium hìc nullum fieri Ecclesiæ: quia, quidquid sit de feudis secularibus, feudum certè Ecclesiasticum non manet apud subvasallum mortuo vasallo, qui subinfeudavit, ut observat Pirh. *h.t.n.147.*

504 Dices II. Episcopus consentiens in infeudationem decimarum, censeretur ipse eas in feudum dare: cùm, qui eas accepit à laico, non hujus, sed Ecclesiæ vasallus efficiatur. Atqui Episcopus eas in feudum dare nequit, ut dixi suprà *n.* 470. R. Episcopo eam duntaxat concessionem esse vetitam, quæ est alienatio; per consensum autem, quem præstat in infeudationem, non alienat, sed solùm continuat alienationem jam antè legitimè factam; quod ipsi prohibitum non est, juxta dicta *n.* 473. & *n.* 502.

505 Dices III. C. *19. h.t.* absolutè prohibetur, *ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo eas transferre.* Atqui ordinariè præsumuntur eas cum animæ periculo detinere, ut colligitur ex *cit. c. 7. de his, quæ fiunt à Prælat.* vel quia concessæ ipsis non sunt prudenter & in commodum Ecclesiæ; vel quia in concessione intervenit aliqua coactio; vel quia Ecclesiæ non præstant obsequia, quæ deberent. R. illo *c. 19.* agi de decimis injustè detentis, ut ibi observant Barbosa ac alij, patétque ex verbis *cum animarum suarum periculo,* & verbo *detinentes.* Quamvis autem dubitari nequeat, non paucas decimas à laicis injustè retineri, cùm olim non infrequens fuerit Advocatorum & Patronorum Ecclesiæ violentia in ejus bona involantium, præsertim tempore schismatum, & dissidiorum Imperatores inter & SS. Pontifices, ac turbatæ per hæreses utriusque Germaniæ, Galliæ, Hungariæ &c. jure tamen asseri universim non potest, quòd laici cum periculo animæ illas detineant, nec de hoc vel illo in particulari præsumendum est, quamvis servitia & juramentum Ecclesiæ non præstent: hæc enim etsi vi feudi debeantur, eidem tamen substantialia non sunt, sed solùm connaturalia, & consequenter pacto vel gratuita remissione, vel præscriptione tolli possunt. Hinc ex eo, quòd laici illa Ecclesiæ non præstant, non sequitur, quòd decimæ ipsis non in feudum concessæ, sed simpliciter & absolutè donatæ fuerint, ac ipsi propterea liberè de ijs disponere, & in quoscunque transferre possint, nullúmque ampliùs jus in illis Ecclesiæ supersit: nullibi enim legitur, ejusmodi donationes ab Ecclesia factas esse, sed loquuntur Jura solùm de infeudatione. Neque etiam

hodie decimatores vel Ecclesiastici vel laici ab omni onere immunes sunt, cùm teneantur ad reparandas Ecclesias aliásque ejus necessitates sublevandas concurrere, si ipsæ sufficientes ad id reditus non habeant, ut patet ex Trident. *sess. 21. c. 7. de Refor.* traditque ibi Barbosa cum communi DD. Unde consequens est 1. quod benè observat Leûrenius *p. 1. Fori Benef. q. 475. n. 3.* cum Engel ac alijs, jus directum in decimis semper salvum manere Ecclesiæ, háque per præscriptionem nunquam transire in allodium, eò quòd juris directi incapax sit laicus. Consequens est 2. quòd laicus decimator neque remittere possit decimas ijs, qui solvere tenentur, in perpetuum & ultra tempus, quo jus penes ipsum & familiam suam permansurum est: quia tali remissione præjudicaret juri directo, quod manet penes Ecclesiam, & cum quo consolidatur jus utile, si familia decimatoris est extincta.

506 Assert. VII. Laicus decimas justè acceptas, etiam in feudum perpetuum, restituere seu redonare potest Ecclesiæ, ad quam spectabant, etiam absque Episcopi consensu. Ita omnes. Patet ex *cit. c. 7. de his, quæ fiunt à Prælat.*

507 Assert. VIII. Potest laicus decimas, accedente consensu Episcopi ordinarij, donare alteri cuipiam loco sacro. Patet à fortiori ex dictis *n.* 495. Si enim cum illo consensu decimas etiam injustè detentas transferre potest in aliam Ecclesiam, quàm cui debentur, poterit à fortiori transferre justè possessas. Esse tamen hìc necessarium consensum Episcopi, ex eo patet, quòd Ecclesia, quæ eas in feudum concessit, per hujusmodi translationem in perpetuũ amittit spem illas recuperandi, & idcirco translatio est quædam alienatio, quam constat fieri non posse absque consensu Episcopi. Necessarium tamen non esse consensum Capituli, aut tractatum, tradunt cum Azor Lessius *l. c. n. 20.* Palao *pun. 9. n. 6.* Leûren *l. c. n. 2.* & diximus *cit. n. 495.* 509

Assert. IX. Laicus justè possidens decimas oppignerare eas etiam laico potest. Ita cum Innoc. Panor. ac alijs Pirhing *h. t. n. 148.* Leûren *l. c. n. 4.* oppignerat enim solùm id, quod ipse possidet; hoc autem solùm est temporale: neque talis oppigneratio ullibi prohibita est. Neque obstat *c. ult. h. t.*, ubi dicitur: *interdicimus universis personis Ecclesiasticis, ut decimas detentas à laicis ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus accipere ab iisdem laicis non præsumant.* Nam vel loquitur de decimis injustè detentis, cùm res, quæ in bonis nostris non sunt, in pignus dare non possimus. *l. filios C. quæ res pign. oblig. non poss.* Unde sic detentæ nequidem Ecclesiæ, multò minùs laico, oppignerari possunt etiam cum consen-

consensu Episcopi, utpote qui per suum consensum iniquitatem detentoris approbare videretur. Vel, si loquitur de decimis justè possessis, sensus est, eas sine consensu Episcopi dari in pignus non posse: si enim cum hujus consensu Ecclesiæ vel laico donari possunt, poterunt à fortiori, utpote quod minus est, oppignerari.

509 Assert. X. Consuetudo in plurimis locis obtinuit, ut laici de decimis justo titulo possessis liberè disponant, sicut de bonis patrimonialibus, non tantùm in feudum dando, sed etiam donando, vendendo, permutando, dando in dotem, & emphyteusin, dividendo inter hæredes &c. De Hispaniæ consuetudine testantur Ferd. Vasq. *l. c. n. 2.* Guttierez *cit. q. 15. n. 7.* & Barbos. *in c. 19. h. t.* de Gallia Chassan. *in consuet. Burgund. rubr. 1. §. 6. n. 36.* de Belgio & Gallia Bern. van Espen *Jur. Eccl. p. 2. tit. 33. c. 4. n. 38.* de Germania quoad plurimas decimas Pirhing. *h. t. n. 147.* & Zasius *in Epitome Feudorum p. 3. n. 26.* ubi postquam dixerat, indubitatum esse, quòd laicus decimas, quas possidet, alteri laico infeudare non possit, addit hoc malè servari in nostra Germania, dum Principes laicis decimas infeudare soleant; séque refert ad Canonistas, an fortasse usus vetustus illos excuset. Qui hanc consuetudinem non damnant, ajunt cum Fern. Vasquio, Gilken, & Christinæo, eam damnari ac reijci non posse, quia plurimæ animæ damnentur, & innumeri contractus evertantur. Addunt, postquam semel licitè in in laicos alienatæ fuerunt, factas esse de ipsorum patrimonio, & ut profana bona censeri debere, juxta *l. 36. §. quindecim. ff. de legat. 3.* Verùm hoc ad summum procedit de decimis absolutè donatis; non verò de concessis in feudum: has enim absque consensu Ecclesiæ in feudum dari, & alienari non posse, veritas est, ut loquitur Mart. Laudensis *l. 1. de Feud. tit. 18. n. 7.* cùm Jure communi Feudorum vasallus res in feudum concessas sine consensu domini alienare nequeat; fuisse autem decimas laicis solùm in feudum concessas, non verò simpliciter donatas, & pleno jure in ipsos translatas, constat ex dictis *n. 505.* Adduntulteriùs, consuetudinem & possessionem immemorialem habere vim præsumpti privilegij vel alterius legitimæ concessionis factæ, háncque legitimi tituli præsumptionem esse sufficientem probationem, etiamsi is nunc exhiberi & probari non possit. Verùm possessio immemorialis solùm facit præsumptionem legitimæ concessionis in feudum; cùm nullibi legatur, decimas absolutè donatas & pleno jure in laicos ab Ecclesia translatas fuisse, sed tantùm quòd in feudum datæ fuerint. Addi complura alia possent, præsertim ex Bulla Cœnæ Domini

& Bullâ Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex* editâ *a. 1641. 5. Jun.* sed torrens consuetudinis obstat, valétque hîc maximè illud *Eccli. c. 4. v. 32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij.*

PARS IV.

De Materia & Forma Decimarum.

CAPUT I.

De Materia Decimarum.

QUÆSTIO I.

Quibus ex rebus solvendæ sint Decimæ.

SUMMARIUM.

510. *Ratio exigendi decimas tam personales quàm prædiales.*
511. *Debentur ex omnibus fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium.*
512. *Proventus molendinorum, & fodinarum, merces locatarum ædium, furnorum &c. computantur inter prædiales.*
513. *Decimæ ex apibus sunt de cera & melle.*
514. *Solvendæ sunt etiam de rebus minutis.*
515. *Non debentur bis ex eadem re; bene tamen occasione ejusdem rei.*
516. *Debentur etiam ex novalibus.*
517. *Toties solvendæ sunt, quoties res fructificat.*
518. *Personales ex omnibus lucris justè partis.*
519. *Enarrantur species lucrorum.*
520. *Consuetudo ferè sustulit personales.*

Duplex

510 Duplex quæstio est: de Realibus seu Prædialibus decimis una, altera de Personalibus. Utrasque enim deberi à Fidelibus notum est cùm ex *c. 6. 22. & 23. h. t.* tum ex eo, quòd singulis impenduntur officia spiritualia, & singulis propè omnia. Cùm igitur his officijs respondeant decimæ, à singulis & ex omnibus proventibus jure eas exigit Ecclesia. Neque obstat, quòd in lege veteri solùm datæ fuerint de frugibus, & pomis arborum, ac animalibus, quæ sub virga pastoris transeunt, ut colligitur ex *c. ult. Levit. in fine.* Nam imprimis in veteri Testamento singulæ familiæ habebant suos agros, unde decimas solvere possent, & ita necesse non erat exigere personales: at novi Testamenti tempore non solùm multæ familiæ, sed integræ etiam urbes agris carent: unde oportuit exigi decimas personales; alioquin plurimi nihil contribuerent, & ubi nulla sunt prædia rustica, Clerus ali non posset. 2. Singuli nunc plura à Sacerdotibus accipiunt beneficia, quàm in lege veteri. 3. Penduntur decimæ ad agnoscendum Dei in nos cùm supremum dominium tum paternum amorem ac liberalitatem: at non solùm fructus terræ, sed etiam omnis alius quæstus licitus Dei munere provenit. *quodcunque enim te pascit, ingenium Dei est*, inquit S. August. *serm. 219. & inde decimas exigit, unde vivis.*

511 Assert. I. Decimæ debentur ex omnibus fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium. Regula hæc traditur *c. 6. 7. 21. 22. 23. 33. h. t. & tot. causâ 16. q. 1. & 7.* Igitur debentur I. ex omni frumento & grano. *cit. c. 21.* II. ex fabis aliisque leguminibus. *c. 3. h. t.* III. ex vino. *cit. c. 22.* & *can. 4. 16. q. 7.* IV. ex pomis, nucibus, amygdalis, castaneis, aliisque fructibus arborum. *cit. can. 4.* & *c. 7.* ac *22. h. t.* V. ex fœno. *c. 5. eod.* VI. ex melle & cera. *c. 6.* VII. ex lana, lacte, fœtu animalium. *c. 4. 5. & 22.* ac *Clement. 1. eod. can. 4. & 5. 16. q. 7.* VIII. ex locatione domûs, piscinæ, furni, prati &c. *c. 4.* & *c. 28.* IX. ex proventibus molendinorum. *c. 23.* & 28. X. ex oleo, lino, cannabe, croco, serico. Rebuff. *q. 8. n. 8.* & *q. 13. n. 41.* Aufrer. *q. 109.* Moneta *c. 4. q. 1. n. 7.* ac alij. XI. ex caule & oleribus: exceptis modicis, quæ ex hortis colliguntur non ad lucrum, sed ad commodum familiæ. Sot. *l. 9. de Just. q. 4. a. 2. ad 3.* Suar. *c. 34. n. 7.* Barbos. *cit. c. 28. §. 1. n. 5.* ac alij. XII. ex stramine & palea, si triticum fortè decimetur post trituram. Panor. *in c. 5. h. t. n. 3.* Suar. *l. c. n. 3.* aliique apud Barbos. *l. c. n. 2.* quia etiam palea inter fructus computatur, ut colligunt DD. ex *l. adeò. §. sùm quis. ff. de acq. rer. dom.* XIII. ex lapicidinis: non quòd ex lapidibus decimus quisque dandus sit, sed quòd decima pars pretij, quod quis inde redigit. Suar.

c. 34. n. 3. Rebuff. *q. 8. n. 23.* Moneta *l. c. n. 33.* Azor *p. 1. l. 7. c. 34. q. 9.* cum Joan. Andr. ac alijs. Idem tradunt de auri, argenti, aliísque fodinis. XIV. ex lignis sylvæ cæduæ. Rebuff. *n. 26.* Azor *l. c.* Moneta *n. 13.* cum Card. ac alijs: nimirum ut ex decem fasciculis decimus solvatur Parocho loci, ubi ligna crescunt Barbos. *n. 15.* ac alij.

§12 Ex modò dictis sequitur I. Decimas enarratas deberi Ecclesiæ, intra cujus fines sita est res fructifera, tametsi, qui fructus percipit, alibi habitet: quia sunt decimæ prædiales. Solùm dubitari posset de proventibus molendinorum, mercede ex locatis ædibus, furnis &c. lapidibus item ac metallis. Verùm has quoque decimas prædiales censendas esse tenent cum alijs Suar. *l. c. n. 3. & 7.* & Leûren. *l. c. q. 468. n. 4. & 7.* ex *l. 9. §. 2. & 3. ff. de usufr.* ubi lapicidinæ & metalla in usufructu fundi computantur, & ex *c. 28. h. t.* ubi domus, molendinum, piscaria, & clibanus accensentur rebus, ex quarum fructibus decima debetur: & prohibetur, ne expensæ ex earum decimis deducantur; quod proprium est decimis prædialibus. Idem supponitur *c. 4. h. t.* & *c. 7. de Pactis.*

§13 Sequitur II. Quando *c. 6. h. t.* dicitur, solvendas esse decimas ex apibus, id intelligendum esse de earum cera & melle; nam de earum fœtibus & novis examinibus decima non solvitur; sive de rigore Juris, quia nihil de illis expressit; sive quia apes feræ reputantur *§. apes. Inst. de rer. divis.* & sic non tam fundi, quàm industriæ capientium fructus esse censentur, sicut aliæ feræ, de quibus mox *assert. 2.*

Sequitur III. etiam de rebus §14
minutis decimas prædiales solvendas esse, ut constat cùm ex cit. Juribus, ac præcipuè ex *c. 3. & 30. h. t.* tum ex eo, quòd licèt singulæ earum videantur minimæ, cumulus tamen omnium potest esse magni valoris: ac licèt modica sint, quæ singulis annis penduntur, jus tamen perpetuum quotannis modicum quid percipiendi non est modici valoris. Ad auctoritatem S. Thomæ, qui *2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.* dicere videtur, decimas minutas esse solùm de consilio, respondent Sotus *l. 9. de Just. q. 4. ad 3.* & Suar. *c. 34. in fine*, esse intelligendum de minutissimis oleribus, quæ ex privatis hortis colliguntur non ad lucrum, sed ad familiæ duntaxat comodum aut voluptatem. Quam limitationem, ut addit Suarez, omnes adhibent etiam in domesticis vivarijs & piscinis.

Sequitur IV. etsi ex eadem re §15
decimæ bis non debeantur, posse tamen contingere, ut ex eadem vel occasione ejusdem duplex decima debeatur, quando videlicet duplex est fructus, ut observat Suar. *l. c. n. 9.* Sic ex frumento, & pecore debentur decimæ prædiales; personales verò, siquis circa illa negotietur emendo,

emendo, & postea cariùs vendendo: nam frumentum & animalium fœtus, lana &c. sunt fructus prædiales; lucrum verò, quod ex ijsdem venditis comparatur, est fructus industrialis; decimæ autem tam ex industrialibus quàm ex prædialibus fructibus debentur. Similiter ex eadem re nonnunquam solvenda erit duplex decima prædialis, nimirum ex prato decima fœni, & decima ex fœtibus animalium, quæ ex prato aluntur: etsi enim eadem res sit, ex quibus fructus proveniunt, ipsi tamen fructus sunt multiplices ac diversi. Unde quando dicitur, ex eadem re non deberi duplices decimas, nomine *rei* intelliguntur fructus, non fundus, ex quo fructus proveniunt.

516 Sequitur V. etiam ex novalibus decimas esse solvendas: quia, ut dictum est, solvendæ sunt ex omni fructu & proventu; éstque de fructibus novalium apertè decisum *c. 4. 12. 13. 27. 29. h. t.*

517 Sequitur VI. si idem fundus bis in anno fructificet, ut sæpe fit, dum post collectas fruges conseritur rapis, decimas ex singulis fructibus deberi, ut traditur *c. 21 h. t.* quia, ut dictum est, ex omni fructu solvendæ sunt.

518 Assert. II. Decimæ Personales, stando in Jure communi Ecclesiæ, solvendæ sunt ex omnibus lucris, quæ verè ac justè acquiruntur. Est communis omnium sententia, & evidens ex varijs Canonibus: nam *can. 66. 16. q. 1.* ex S. August. *Ser. 219.* dicitur: *de militia, de negotio, de artificio redde decimas.* Estque manifestum ex verbis tam antecedentibus, quàm subsequentibus, non consilium, sed præceptum dari. Juxta *c. 22. h. t. de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Juxta *c. 23. eod. fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Ratio ita præcipiendi erat, quia non est major ratio de uno lucro, quàm de alio: cùm omnia honesta lucra proveniant à liberali DEI manu, & de omnibus DEUS sit honorandus. Ministeria quoque sacra omnibus fidelibus & singulis ferè omnia, impenduntur: unde non est ratio, cur non etiam de omnibus & singulis proventibus solvantur decimæ; item cur illi ad decimas teneantur, qui colligunt fructus prædiales, & non etiam illi, qui industriales, & cur illi potiùs fructus decimandi sint, quàm isti.

519 Consequens ex dictis est I. solvendas esse decimas non tantùm ex venatione propriè dicta, sed etiam ex aucupio, & piscatu: tum quia *cit. c. 22.* exiguntur decimæ de venatione; venatio autem nomen est generale, comprehendens etiam aucupium & piscatum: tum quia etiam istorum proventus inter fructus computantur *l. 9. §. 5. ff. de usufr. & quemad.* Esse tamen has

has decimas personales, omnium est sententia, teste Suar. *cit. c. 34. n. 7.* II. Artifices & opifices de lucris artificij, juxta *cit. can. 66.* III. Negotiatores & Institores de lucris negotiationis & mercaturæ. *cit. c. 22. & 28. h.t.* Non tamen debentur decimæ pretij pro re vendita accepti, nisi lucrum aliquod accrescat ex venditione: cùm pretium neque sit fructus personæ, neque rei, sed æquivalenter ipsa res; neque debetur decima personalis nisi ex lucro, ubi ergo hoc non est, illa locum non habet. IV. Milites non tantùm de præda & captis in bello justo, sed etiam de stipendijs. *cit. can. 66.* Rebuff. *cit. q. 8. n. 11.* Barbos. *cit. §. 1. n. 19.* ac passim alij. V. Judices, Consiliarij, Doctores, Advocati, Procuratores, Notarij, de suis salarijs, sportulis &c. *cit. can. 66.* & Gloss. *ibi.* ac *in cit. c. 28.* Rebuff. *q. 12. n. 5.* Moneta *cit. c. 4. q. 1. n. 28.* cum Anchar. ac alijs. VI. Mercenarij ac famuli de sua mercede. Rebuff. *q. 5. n. 16.* Moneta *n. 31.* cum cit. Gloss. Azor, ac alijs. Ratio dictorum est, quia etsi hujusmodi lucra sint justa stipendia laborum, sunt tamen simul fructus personæ. *c. 23. h.t.* & *cit. can. 66.* VII. Debetur decima ex lucro per lusum justum acquisito, ut benè tradit Suar. *c. 32. n. 5.* nemine refragante, cùm juxta cit. Jura decimæ debeantur ex omni lucro justè parto. VIII. Debetur decima de quacunque re etiam immobili, si per modum lucri ex propria actione obtinetur, v. g. si cui pro stipendio aut salario aliquot annorum detur domus aut ager, ut fusè probat Suar. *l. c. n. 4.* addens tamen, non deberi decimam in specie, v. g. decimum agri jugerum, sed in æstimatione & pretio.

Hactenus dicta procedunt de jure communi scripto. Aliud est de consuetudinario, vi cujus decimæ personales plerisque in locis non ampliùs debentur. Standum autem esse consuetudine etiam circa decimas, constat ex *c. 20.* & *32. h.t.* & dixi suprà *à n. 255.*

QUÆSTIO II.

An debeantur Decimæ ex ijs, quæ titulo lucrativo acquiruntur.

SUMMARIUM.

521. *Opinio affirmativa proponitur.*
522. *Præfertur negativa.*
523. *Solvuntur opposita.*
524. *Fructus rei acquisitæ obnoxij sunt decimationi.*

Certum

§21 CErtum est, ex rebus emptione, permutatione, alióve titulo oneroso comparatis, sive mobiles sint sive immobiles, non deberi decimam, quia non sunt lucrum aliquod ex industria personæ, nec fructus prædiales respectu illius, qui comparavit; ponimus enim, quòd jam sint decimatæ, si sint fructus, v.g. frumentum, vinum. At verò magna controversia est, an debeantur decimæ ex rebus titulo lucrativo obtentis, ut donatione, legato, hæreditate. Deberi absolutè affirmant Hostiens. & Sylvester. Idem sentire videntur Andr. Hisp. *q.* 12. & Rebuff. *q.* 8. *n.* 2. dum ajunt, eas deberi ex omni lucro castrensi & quasi, adventitio, & profectitio. Rationem dant: quia Jura decimas exigunt de omni lucro: atqui lucrum sunt, quæ titulo lucrativo acquiruntur. Limitant tamen Gloss. *in c.* 28. *h.t. V. quasi*, aliique multi I. in filio, qui succedit patri in hæreditate, vel non habente fructus, vel habente illos jam decimatos: quia tunc non censetur filius aliquid lucrari, sed possidere incipere, quod jure suum jam erat. Alij hanc exceptionem extendunt ad omnes, qui ab intestato succedunt: quia etiam isti, ut ajunt, non tam acquirunt, quàm rem sibi debitam accipiunt. Limitant II. cit. Gloss. multíque alij, ac ajunt, deberi decimam solùm de mobilibus; non verò de immobilibus: quia frugum nomine, ut ait Rebuff. *cit. q. n. ult.* non veniunt res immobiles, & si ex his quoque deberetur decima, omnia ferè bona immobilia ad Ecclesiam pervenirent.

§22 Assert. I. Decimæ non debentur ex bonis titulo etiam lucrativo acquisitis. Inclinat in hanc sententiam Innoc. *in c.* 22. *h.t.* aítque fuisse opinionem antiquiorem. Fusè eam præter alios propugnant Valent. *tom.* 3. *Theol. disp.* 6. *q.* 5. *pun.* 2. & Suar. *c.* 31. *à n.* 6. Ratio est: quia non sunt augenda onera sine Jure cogente; at ex nullo Jure vel constat vel colligitur, ex his rebus decimam esse solvendam: nam Jus solùm exigit, ut illa solvatur ex fructibus prædialibus, & ex lucris, quæ quis facit ex sua industria & actione: atqui dictæ res nec sunt fructus prædiales, uti patet; nec lucra ex acquirentis industria & actione, cùm acquirantur ex alterius, qui legat, vel donat, voluntate & actione. Confirmatur I. Juxta adversarios non debent decimam ex hæreditarijs rebus, qui ab intestato succedunt, saltem si sunt hæredes sui, qui in testamento præteriri nequeunt: ergo neque alij tenentur: nam quòd hæres suus quoddam jus jam antecedenter habet ad hæreditatem, nihil ad rem præsentem facit, quia verè de novo aliquid acquirit, dum adit hæreditatem: sicut mercenarius de novo aliquid acquirit, dum accipit mercedem operæ, tametsi jam antecedenter Jus quoddam habuerit post operam

præstitam, & idcirco non obstante hoc jure tenetur ad decimam mercedis solvendam. Unde eximi à decima præstanda hæres suus non poterit, nisi supponamus, non de omni lucro quocunque modo nobis accedente deberi decimam, sed solùm de eo, quod propria actione comparamus: at hæc ratio æqualiter procedit de omni alio hærede, legatario, donatario. Confirmatur II. Ex eleemosynis nec Religiosi nec alij pauperes debent decimas, cùm nullus canon, nullus Doctorum, hanc ipsis imponat obligationem, licèt illæ sint quædam bona licitè comparata: quia videlicet non tam ipsorum industriâ & labore, tametsi eas petant, quàm aliorum actione comparantur. At hæc ratio pugnat æquè pro legato, donato &c. Neque valet, si dicas, ideò ex eleemosynis decimas non deberi, quia pauperibus sunt necessariæ, vel quia sunt minimæ, & de lucris minimis decimæ non exiguntur: nam quantitas post unum v.g. annum sæpe magna est, longéque major, quàm annui fructus olerum & caulium, ex quibus nihilominus decimæ solvuntur; sæpe quoque minùs necessariæ sunt pauperib°, quàm mercenario sua merces, quam tamen vi Juris scripti decimare tenetur.

523 Hinc verum non est, quòd illimitatè dicebatur, à SS. Canonibus exigi decimas ex omni lucro: nam solùm exigunt prædiales ex fructibus prædiorum, & personales ex fructibus personarum, qui sunt actiones & labores ipsius personæ, & lucra illorum: at quæ donantur, aut ex testamento vel ab intestato obveniunt, neutro modo sunt fructus, ergo non sunt materia decimarum. Neque obstat, quòd *c.22. h.t.* dicitur, solvendas esse decimas *de omnibus bonis*, & *c.23. de omnibus, quæ fidelis homo licitè potest acquirere*: quia hæc explicanda sunt juxta contextum & subjectam materiam *de cunctis proventibus*, ut loquitur textus *c.26. h.t.* at *proventus* sunt reditus vel fructus, quorum neutrum sunt legata, & dona: quæ explicatio si bona non esset, solvendæ forent decimæ etiam ex immobilibus bonis hæreditarijs vel legatis, quia etiam hæc verè bona sunt: quod tamen nec ipsi adversarij admittunt.

Assert. II. Si res ad donatarium, vel hæredem transeat cum fructibus pendentibus, v.g. hortus aut ager, tenetur is postea decimas de fructibus collectis solvere. Idem est, si fructus indecimati, v.g. frumentum, aut vinum, ad ipsum perveniant. Assertio certa est, & patet ratio: quia res transit cum suo onere, & sicut novus possessor tenetur eas solvere de fructibus postea proventuris, ita de illis quoque, qui ad ipsum pervenerunt nondum ab antecessore decimati; quia nascuntur cum hac obligatione, & cum ea ad quemcunque possessorem tran-

524

transeunt, tametsi hic eos habeat ex titulo oneroso, v. g. emptionis aut permutationis. Si verò fructus jam decimati ad ipsum transierunt, nihil ampliùs solvendum erit de novem residuis partibus, sive titulo lucrativo sive oneroso transierint: quia non habent onus reale, nec debetur inde decima prædialis, utpote jam soluta; nec personalis, cùm, ut dixi, non sint fructus industriales.

QUÆSTIO III.

An debeantur Decimæ ex illicitè acquisitis?

SUMMARIUM.

525. *Duplex genus rerum illicitè acquisitarum.*
526. *Prædiales decimæ solvuntur ex illicitè acquisitis.*
527. *Non item personales ex rebus restitutioni obnoxijs.*
528. 529. *Secus, si res restituendæ non sunt.*
530. *Nisi turpitudo accipientis sit notoria.*

525 QUæstio est tam de ipsis rebus illicitè acquisitis, quàm de earum fructibus. Et res quidem illicitè acquisitæ duplicis generis sunt. Aliquæ enim contra justitiam detinentur, ita ut vel omnino non transeant in dominium detentoris, uti sunt res furtivæ, raptæque, vel transeant quidem in dominium accipientis, uti multi sentiunt de usuris, restitutioni tamen sint obnoxiæ. Aliæ illicitè quidem obtinentur, sed fiunt accipientis, uti est quæstus meretricius, quæstus histrionum, merces data sicario, stipendium militis in bello injusto operam locantis, res seu mobiles seu immobiles ex usuris vel pecuniâ furtivâ comparatæ &c. De singulis ordine dicendum est.

526 Assert. I. Decimæ prædiales solvendæ sunt de rebus illicitè acquisitis, sive res sint in dominio obtinentis sive non. Sensus est, quòd de fructibus rerum illicitè obtentarum, v. g. agri, aut gregis injustè occupati, aut pecunijs furtivis vel usurarijs comparati, decimæ solvendæ sunt. Ita omnes cum S. Thoma 2.2. *q.* 78. *a.* 2. Ratio est I. Quia onus decimarum quemcunque possessorem sive justum sive injustum sequitur. *c. 33. h. t. c.* 18. *§. Hac eâdem de Usur. c. 5. de Pignor. c. 34. de sent. Ex com. l. Imperatoris ff. de Publicanis.* II. Quia aliàs prædo foret melioris conditionis, quàm legitimus possessor, contra *l. si à domino §. ult. ff. de Petit. hæred.* III. Quia proventus fructuum non est

ex illicita actione, sed à natura & liberalitate Divina, ut notat Turrecrem. *in can. 66. 16. q. 1. n. 5.* unde post S. Raym. & S. Thomam notat *n. 4.* decimam deberi, tametsi semine furtivo seminatus fuerit ager.

527 Assert. II. Decimæ personales non debentur ex rebus, quæ contra justitiam commutativam comparatæ sunt, ita ut in comparantis dominium non transierint, aut transierint quidem, sed restituendæ sint, quales v. g. sunt furto, rapina, injustis tributis, exactionibus, & concussionibus comparatæ, excessus justi pretij ex re vendita, usuræ &c. Ita rursum omnes cum S. Thoma *l. c. ad 2.* Ratio clara est, quia qui sic lucratur, non acquirit dominium rei, & sic non potest de ea disponere, ergo eam vel partem ejusdem non potest Ecclesiæ dare. Item qui rem ita obtinet, ut eam teneatur restituere, revera non lucratur, quia sic acquisita non computatur in ejus bonis: *id enim bonorum cujusque esse intelligitur, quod ære alieno superest*, ut ait JC. *l. 11. ff. de Jure fisci.*

528 Assert. III. Decimæ personales debentur per se loquendo ex rebus turpiter quidem acquisitis, sed sine injuria danti illata, & sine obligatione restituendi, e. g. de pecunijs, quas lucratur prostituta femina, histrio, sicarius, miles ex stipendio in bello injusto. Ita cum S. Thoma, & Hostiensi Sylvester *V. Decima. q. 6.* Suar. *c. 32. n. 6.* Rebuff. *q. 5. n. 17.* ac communis aliorum. Rationem dant: quia etsi ista turpiter acquirantur, transeunt tamen in dominium accipientis sine obligatione restituendi, sùntque proinde lucra propriè dicta, & sic comprehenduntur sub regula generali de solvendis decimis personalibus. Accedit, quòd non debet esse melioris conditionis, qui turpiter, quàm qui licitè & justè lucratur: aliàs enim consequeretur totum lucrum sine onere decimæ solùm propter suam turpitudinem, cùm tamen nemo ex sua iniquitate commodum ferre debeat. *c. Intelleximus de Judicijs.*

529 Dices: Miles in bello injusto injuriam facit illi, contra quem militat, concubina uxori adulteri, sicarius occiso, ejúsque uxori &c. at quæ obtinentur contra justitiam commutativam, non sunt obnoxia oneri decimarum juxta modò dicta *n. 527.* R. læsionem justitiæ hìc considerandam esse respectu illius, à quo miles v. g. aut sicarius obtinet mercedem, cùm agatur de injustitia excludente jus accipiendi aut retinendi: hæc autem non committitur adversùs eum, qui mercedem dat. Ita accipiendum est, quod dicitur *c. 23. h. t.* dandas esse decimas ab homine fideli *de omnibus, quæ potest licitè acquirere*; sensus enim non est, quasi illæ de nullo lucro illicitè comparato solvendæ sint; sed quòd non debeantur de rebus contra justi-

tiam

tiam commut. comparatis & restitutioni obnoxijs, ut Glossa ibi alique explicant.

530 Assert. IV. Ecclesia non debet acceptare decimas ex lucris turpiter factis, si crimen, ex quo illa proveniunt, sit notorium, ut benè observant Innoc. *in cit. c. 23.* & reliqui DD. ex *can. 8. 7. q. 4. & can. 2. dist. 90.* ubi Ecclesia reijcit oblationes & dona eorum, qui pauperes opprimunt, aliorúmque, quorum publica & notoria est improbitas, ne hanc videatur approbare illa acceptando. Hinc diximus *n.* 528. decimas ex lucris turpiter partis deberi *per se loquendo*, ut hunc casum exciperemus. Possunt verò acceptari, imò exigi dictæ decimæ, si peccaminosa lucri causa non est publica, & acceptatio non est scandalosa, ut post Turrecr. *l. c.* docent Rebuff. *l. c.* Suar. *n.* 10. ac passim alij. Imò addit S. Th. *l. c.* posse Ecclesiam etiam à peccatore publico post actam pœnitentiam, & quando de vitæ mutatione constat, decimas accipere etiam de anterioribus lucris. Idémque cum S. Raym. & Innoc. affirmat Silvest. *l. c.* Plus addunt alij apud Suar. *n.* 9. nimirum peccatorem etiam publicum, quamvis Ecclesia ab eo de lucris injustis non recipiat decimas, teneri tamen eas dare pauperibus, vel in alia bona opera insumere. Sed non vacat immorari, cùm, ut non semel diximus, personales decimæ per consuetudinem ferè sint abrogatæ.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Decimæ integrè solvendæ sint?

SUMMARIUM.

531. *Duplex quæstio cum rationibus dubitandi.*
532. *Prædiales decimæ solvendæ sunt non deductis expensis.*
533. *Consectaria doctrina.*
534. *Personales non nisi deductis expensis debentur.*
535. *Nec prædiales debentur ex fructibus melioribus.*

531 SEnsus quæstionis est, utrùm debeantur non deductis priùs expensis, videlicet famulorum aliarúmque operarum mercede, semine, æstimatione laboris in colendo fundo, censibus, tributis, vectigalibus, & portorijs, canone ex re emphyteutica solvendo, sumptibus in negotiationem, in vehicula aliáque instrumenta ac jumenta factis &c. Item num cum Abele offerendi sint DEO decimales fructus meliores,

an verò cum Caino seligi possint minores deteriorésque. Ad I. Quæstionem videtur dicendum, decimas, quæcunque sint, non deberi nisi deductis priùs expensis. I. Quia Ecclesia exigit decimas ex fructibus; atqui *fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorúmque eorum gratiâ fiunt*, ut ait Paulus *l. 36. §. fin. ff. de hæred. pet.* &, ut Ulp. *l. 7. ff. sol. matr. fructus eos esse constat, qui deductâ impensâ supererunt.* Ac juxta Impp. *l. 1. C. de fruct. & lit. expens. fructuum nomine continetur, quod justis sumptibus deductis supersit.* Idem habetur *l. 46. ff. de Usur. l. 4. & l. 6. §. 3. ff. de Oper. servor. l. 51. prin. ff. fam. herciſc.* Hinc etiamsi agatur de commodo Reipubl. & Principis, tributum tamen de fructibus solvendum non est, nisi deductis expensis, uti tenent Angel. Imol. Aretin. Alex. & Jason apud Capycium *decis. 20. n. 8.* II. Præstatio redecimæ seu duplicis decimæ ex eadem re æquitati repugnat. *arg. c. 32. h. t.* Sed nisi deducatur semen, aliæque impensæ, eadem res redecimatur, præsertim cùm sæpe contingat non plures fructus nasci, quàm fuerit quantitas seminis. III. Certum est, ut mox dicetur, personales decimas non deberi nisi deductis expensis, ergo nec prædiales alio modo debentur: quia par utrimque est ratio.

532 Assert. I. Decimæ prædiales solvi debent integræ, & non deducto semine, aliisque expensis. Ita statuitur *c. 4. §. 8. 21. 23. & 32. h. t.* ubi præcipitur, ut persolvantur *absque diminutione aliqua, cum integritate, & plenariè*, & *c. 26. ac* 28. ubi expresè prohibetur deductio seminis & sumptuum, qui fiunt in agricultura: denique *c. 33.* ubi vetatur deductio tributorum & censuum. Concordant Statut. Bavar. *tit. 28. art. 6. & 7.* Ex Doctoribus *ne unus quidem contradicit*, ut loquitur Tiraq. *de Retract. gentil §. 15. gloss. 1. n. 10. nam textus illi, adeò sunt in hanc sententiam aperti, ut nullo modo cavillari possint.* In alleganda tamen ratione non conveniunt, estque difficile eam investigare, ut ait Barbos. *cit. c. 28. §. 1. n. 35.* Vulgaris responsio est, fructus considerari posse vel civiliter, id est, prout accipiuntur à Jure civili, nimirum deductis expensis; vel naturaliter, & secundùm veritatem rei, sub qua consideratione ea, quæ à terra & animalibus proveniunt, fructus sunt, tametsi sumptus in adjuvanda natura facti sint; & hoc posteriore modo fructus considerari quoad solutionem decimarum. At hæc vera quidem sunt, sed petitur adhuc ratio, cur fructus hîc potiùs naturaliter, quàm civiliter sumantur. Hanc varij variam reddunt. 1. possessor fundi obligatus ad decimas similis est colono partiario; at iste non deducit expensas ex ea

par-

parte fructuum, quam socio debet. Ita Alex. Zaf. Barbos. & Brunneman. ad *cit. l. 7. ff. solut. matr.* & ante ipsos Innocent. *in cit. c. 26.* 2. In lege Mosaica debebantur prædiales decimæ integræ & non deductis expensis: igitur & nunc ita debentur; quia si olim Sacerdotibus & Levitis jubente DEO sic solvendæ erant, longè majore ratione, ut diximus *n. 47. & seqq.* nunc solvendæ sunt sacris Ministris. Ita Barbos. *l. c. n. 37.* ac alij. 3. Quando agitur de favore animæ vel piæ causæ, fructus sumuntur naturaliter, & idcirco si ex dispositione legis vel statuti vel etiam ex dispositione hominis debentur Ecclesiæ vel alteri piæ causæ, non deducuntur expensæ, ut volunt Bart. Bald. Alex. Jason, & Imola apud Capyc. *l. c. n. 8. & 9.* 4. Quando debentur fructus omnes, sumuntur quidem civiliter; quando verò vel conventione vel statuto debetur solùm quota pars, intelliguntur naturaliter: at Ecclesiæ debetur sola decima pars, reliquis novem manentibus apud dominum. Ita Suar. *c. 35. n. 6.* cum Bart. Cardin. Panor. Hostiens. Socin. ac alijs relatis à Capyc. *l. c. à n. 11.* 5. Decimæ solvuntur in recognitionem supremi dominij Divini: atqui certissimum est, ut ait Illustriss. D. Schmid *ad cit. art. 6. Statut. Bavar.* quòd ubique terrarum rustici & coloni, quæ dominis suis temporalibus & terrenis in recognitionem directi dominij præstant, integerrimè nullarum expensarum habita ratione solvere debeant; ergo etiam supremo domino, quoniam temporales melioris conditionis esse non convenit.

Ex dictis consequens est I. con- 535
formem Juri esse nostræ patriæ consuetudinem, vi cujus decimatores non tenentur cum agrorum dominis & colonis concurrere ad sumptus, qui sæpe non modici fiunt in sepes & custodes appositos pro defensione segetum contra feras: etsi enim *sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet l. 52. §. 4. ff. pro socio*, quia tamen decimæ prædiales integrè ac sine deductione expensarum solvi debent, idcirco nec dicti sumptus deduci queunt: cùm non sit ratio, cur potiùs deducantur, qui fiunt in custodiendas fruges, quàm illi, qui fiunt in producendas. Illud libenter admittimus, quod asserit Illustriss. D. Schmid *ad cit. tit. 28. Statut. Bavar. art. 6. n. 7.* & à nemine in dubium vocari posse existimat, illam frumenti partem, v. g. vigesimam, quæ solvitur pro mercede triturantibus, detrahe dam esse etiam ex decimis, si istæ fortè juxta consuetudinem loci solvantur in granis jam excussis: cùm enim, ut infrà dicetur *n. 547. & seqq.* fruges decimales solùm debeantur ut crescunt, & in culmis ac stramine, colonus per se seclusâ consuetudine non tenetur grana suis sumptibus excutere, & decima-

torem

torem hoc onere sublevare. Consequens est III. Illicitum esse modum decimandi, quo coloni alicubi novem scamnorum seu porcarum fruges colligunt, & decimum intactum relinquunt demetendum ab ipso decimatore: quia debentur decimæ ex fructibus collectis & sine expensis decimatoris, quas tamen iste hac ratione facere deberet. Posse tamen etiam hîc prævalere consuetudinem, modúmque illum licitum reddi, constat ex dictis *n.* 260. & *seqq.*

534 Assert. II. Decimæ personales non debentur, nisi deductis expensis. Ita omnes DD. ex *c.* 28. *h.t.* ubi dicitur, concessum esse expensas necessarias ex negotiatione deducere. Additúrque, *cùm ipsæ* (res) *venduntur, deducendas esse expensas, & de residuo, quasi de lucro decimas persolvendas.* Igitur si mercator in merces comparandas impendit 100. aureos, ac eas postea vendit 150 ex hac summa priùs deducit 100. quibus emit, postea portoria ac vectigalia, & impendia itineris, & si fortè his deductis remaneat lucrum 20. aureorum, tenetur ex his duos solvere decimarum nomine. Ratio est: quia personalis decima præcipitur solùm solvi de lucro; at lucrum solùm est, quod remanet deductis expensis, *neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto*, ut ait Paul. *l.* 30. *ff. pro socio.* Alias rationes addunt Glossa, Hostiens. Panorm. ac alij in *cit. c.* 28. apud Suar. *c.* 33. *n.* 3. & Monet. *c.* 6. *g.* 4. *n.* 34.

535 Quæstio verò est, quid nomine impensarum hîc intelligatur, utrùm nimirum etiam illæ, quæ faciendæ sunt ad sustentandam ipsam personam officialis, advocati, militis, negotiatoris, mercenarij &c. nec non famulorum & familiæ. Distinguendum hîc est inter duplices sumptus: aliqui enim non causantur ex ipso officio vel arte, sed per se necessarij sunt, ita ut absque exercitio artis vel lucrativæ actionis evitari nequeant; aut sunt voluntarij, ut sine illis exerceri negotiatio vel ars posset: alij sunt, quos ipsum exercitium artis vel officij exigit, uti sunt pretia mercium comparatarum, portoria in ijs transvehendis, vectigalia &c. Hos posteriores deduci posse, non illos priores, constans est sententia DD. uti apparet ex ijs, quæ tradunt Suar. *cit. c.* 33. *in fin.* Canis. *l. c.* Monet. *l. c. n.* 32. Rebuff. *g.* 11. *n.* 4. & 6. Ex hactenus dictis facilè eruitur responsio ad ea, quæ primæ assertioni *n.* 530. opponebantur. Fusè illa reijcit Suar. *c.* 35. & Em. Gonzal. *in c.* 7. *h.t. n.* 8. Mihi non vacat immorari.

536 Assert. III. Quemadmodum non datur obligatio meliores fructus pro decimis deligendi, ita datur obligatio non seligendi viliores & minores. Ita jam olim statutum fuerat de decimis *Levit.* 27. *non eli-*

eligetur nec bonum nec malum: & sequitur praxis Ecclesiæ Christi. Ratio primæ partis est, quia sicut non datur obligatio in pensionibus & tributis, quæ hominibus solvuntur, meliora & optima quæque dandi, ita illa Deo offerre nullibi jubemur. Ratio secundæ partis est: quia decimæ fideliter solvendæ sunt. At *quid est fideliter decimas dare? nisi ut nec pejus nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus &c.* ut inquit S. Ambros. relat. *can. 4. 16. q. 7.* Hinc in frugibus decimus quisque manipulus, in fœtibus animalium decimum caput, in pomis arborum decimus sextarius, quem sors numeranti aut mensuranti obtulerit, solvendus est. Ex dictis sequitur I. Quòd si decimator prudenter dubitet, an fideliter solutæ sint decimæ, jus habeat repetendi numerationem manipulorum, fœtuum &c. uti statuitur *tit. 28. art. 2. Statut. Bavar.* Ein jeder Zehendt-Herr ist befugt/ob (wann) er auß redlichen Anzeigungen und Vermuthungen/ einer Gefahr/ Betrugs/ oder sonsten zubesorgen/ daß jhme der Zehendt nit wäre völlig geraichet worden/ den Zehendt-Mann in dem Stadel außzuzehenden/ und dardurch/ ob der Zehendt-Mann gleich Recht erfunden/ weder Roß/ Wagen/ wie durch die Zehendt-Leuth je zu Zeiten will angezogen werden/ noch ainig andere Straff nit verworchen. Sequitur II. Quòd decimator possit inhibere colonis, ne decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsente, uti tradunt Specul. *h. t. ad fin.* ubi id probat ex varijs leg. & Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. v. octavò*, cum Panor. ac aliorum communi in *c. 10. h. t.* Si verò alicubi consuetudo viget, ut absente decimatore decimatio vel in horreis fiat, & hic probare possit, se multoties inde læsum, potest ab Ordinario petere, ut talem consuetudinem reddat invalidam, ut benè censet Engel *h. t. §. 1. n. 13.* eò quòd illa tunc sit irrationabilis, quia occasionem peccandi præbet.

CAPUT II.

De Forma Decimarum.

QUÆSTIO I.

An solvendæ sint Decimæ, antequam exigantur?

SUMMARIUM.

§37. *Multiplex quæstio de forma decimarum proponitur.*
§38. *Ratio asserendi, eas non deberi nisi petitas.*
§39. *Debentur, etsi non exigantur.*
§40. *Respondetur ad opposita.*
§41. *Opinio asserentium, hoc anno non solutas sequenti peti non posse.*
§42. *Statuitur oppositum.*

§37 FOrmæ nomine hîc intelligimus modum, quo solutio decimarum, facienda est. Integritas earum, quam multi huc revocant, pertinet ad quantitatem, seu materiam; & idcirco de illa potiùs cap. præced. quàm isto, agendum erat. Ad modum ritè reducitur tempus solvendi. Quæri autem hîc potest 1. an decimæ solvendæ sint non petitæ. 2. An si ultrò vel post petitionem decimatoris non solvuntur, propria ejusdem auctoritate tolli possint. 3. Utrùm fructus in campo, an in horreo, decimandi sint. 4. An inferendæ in horreum aut cellam decimatoris. 5. Quomodo numeratio manipulorum vel mensurarum facienda sit. 6. An decimæ solvendæ sint in natura, an verò pecuuijs compensari possint. 7. Quando solvendæ sint.

§38 Ad 1. Quæstionem respondere videntur S. Thom. *2.2.q.87.art.1. ad 5.* & Cajetan. *ibi*, Cardin. in *c.3. h.t.* Archid. in *c.1.h.t.in 6.* S. Antonin. *2.p.tit.4.c.3.§.ult.* Paris. *vol.1. consil. 15.* Rot. Rom. *in antiq. decis. 1.n.1.* decimas non deberi nisi petitas. Rationem dat Cardin. quia *cit. c. 3.* dicitur, monendos esse Parochianos, ut solvant: ergo non debent, nisi moneantur. Accedit, quòd Paulus 1. *Corinth.* 9. ait, se nihil à Corinthijs petijsse aut recepisse, nec illos accusat, quòd nihil ultrò solverint: ergo nihil debetur Ministris sacris, nisi petant.

Assert. I. Decimæ debentur e- §39
tiam antequam exigantur. Ita post Gloss. Anchar. Panor. ac alios in *c.3.& 7.h.t.* Covarr. *l.c.* Rebuff. *q.12. n.7.* Guttier. *l.2.Canon.c.21.n. 45.* Ant. Faber *l.1.Cod. tit.2.defin. 66.* ac aliorum communis, & certa, ut loquitur Suar. *c.37.n.7.* Rationem dant 1. quia decimæ sine diminutione & integræ solvendæ sunt. Ergo tardari in solutione non potest, & expectari, donec petantur, quia minus solvit, qui tardiùs solvit. *l.si cui.ff. de V.S.* & *l.fin.C.de plus petit.* 2. Decimarum solutio est quædam oblatio Deo facta, ut patet *Exodi* 22. at offerre significat ultrò dare, etsi non petatur. Hinc ibidem dicitur: *decimas & primitias non tardabis reddere.* 3. Quivis, quod certo tempore debet, solvere tenetur etiam non postulatus, cùm dies interpellet pro homine *c.ult. de locat. l.3.C. de jur. Emph.*

Emph. & *l. magnam C. de contr. & commit. ſtipul.* maximè ſi res, quæ debetur, eſt aliena, vel onus reale annexum habet, quale habent fructus collecti.

540 Neque obſtat auctoritas S. Thomæ, aliorúmque. Nam, ut benè oſtendunt Covarr. *l. c. n. 12.* Suar. *cit. n. 2.* & Moneta *c. 6. q. 4. n. 23.* (quidquid dicat Thom. Hurtado *tom. 2. var. tr. 8. c. 1. reſol. 9.*) loquuntur ſolùm de caſu, quo vel cenſetur Eccleſia obligationem remittere, dum eas non petit; vel quo conſuetudo fert, ut non ſolvantur niſi petitæ; vel quòd non incurratur excommunicatio aliáve pœna humana ob eas non ſolutas, ſi non fuerunt petitæ. Quo modo intelligendum quoque eſt *cit. c. 3. h. t.* quia ibi ſolùm dicitur, eos, qui non ſolvunt, monendos eſſe, & ſi opus fuerit, ſub excómunicatione compellendos. Ex quo ſolùm ſequitur, ob non ſolutas neminem excommunicandum, niſi monitionem priùs factam contempſerit. Pariter non obſtat exemplum Pauli alimenta à fidelibus non accipientis: nam ultrò ea remiſit, & haud dubiè oblata recuſavit, ut ab omni quæſtûs ſuſpicione alienus tantò liberiùs prædicaret Chriſtum Crucifixum.

541 Difficilior quæſtio eſſe videtur, an ſi decimæ hoc anno ſolutæ non fuerunt, ſequenti anno repeti, ſícque duplices peti poſſint. Negat Ant. Faber *l. c.* ſícque in Senatu Sabaud. deciſum refert. Idem tradunt Balbus *de Præſcript. p. 1. p. 5. prin. q. 7. n. 12.* Pariſ. *vol. 1. conſil. 15. n. 26.* Bern. van Eſpen *p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 10. n. 25.* & Mich. du Perray *tr. de Port. congrua p. 2. c. 30. n. 38.* ubi inter regulas circa decimarum materiam in Gallijs receptas hanc refert, quòd decimæ annorum præteritorum non petantur. Rationem dant: quia cenſentur remiſſæ, ſi ſuo tempore non fuerunt poſtulatæ.

542 Aſſert. II. Decimæ non ſolutæ tempore, quo ſolvendæ erant, poſtea exigi poſſunt & ſolvi debent, tametſi ſuo tempore poſtulatæ non fuerint. Aſſertio certa eſt ſeclusâ contrariâ conſuetudine, & gratuitâ remiſſione. & ſequitur ex dictis *n. 539.* ſi enim ſolvendæ ſunt etiam non petitæ, per omiſſionem petitionis non liberatur debitor: poterit igitur poſtea conveniri. Accedit, quòd alia quoque debita & penſiones præteriti temporis ſolvendæ ſunt, niſi remiſſio intervenerit, præſcriptio &c. nec ullibi de decimis contrarium ſtatutum eſt: neque præſumi poteſt gratuita earum remiſſio & condonatio ex eo, quòd tempore ordinario petitæ non fuerint, cùm frequens ſit eas non peti propter oblivionem, ignorantiam, vel abſentiam decimatoris, aut fraudem vel negligentiam officialium ac Miniſtrorum, quorum erat, eas exigere. Unde contrariam opinionem

Covarr. *l. c.* meritò dicit, nec Jure veram esse, nec ex Archidiac. & sequacibus, qui pro ea citantur, commodè deduci posse: practicè improbabilem, & planè temerariam assertionem, ac gravem errorem esse pronuntiat Suar. *c. 38. n. 1.* Illud ultrò fatemur, quod cum S. Thoma, Panor. ac communi DD. tradunt Salon. *disp. de Tribut. & vectig. art. 2.* & Azor. *p. 1. Instit. mor. l. 7. c. 24. q. 17.* non dari obligationem 145
solvendi, ubi consuetudo viget, ut non solvantur nisi petitæ, aut ut præteriti temporis decimæ non solvantur, nisi tempore consueto, quo solvendæ fuerant, fuerint postulatæ. Et hac consuetudine dicendum est niti illa senatus consulta, quæ referunt Anton. Faber & Perray *l. c.* & sic suam opinionem explicat tandem Balbus *l. c. in fine.*

QUÆSTIO II.

An Decimator propria auctoritate Decimas auferre possit?

SUMMARIUM.

543. 544. *Propriâ auctoritate privatus decimator decimas nondum separatas auferre nequit.*

545. *Nec denegatione Sacramentorum debitores ad solvendum compellere.*

543 Cùm decimæ, ut modò dixi, debeantur etiam non petitæ, consequens quæstio est, an si ultrò vel petitæ non solvantur, decimator propria auctoritate, aut omnino negantibus aut solvere differentibus eas auferre possit. Opinionem, quòd propriâ tunc auctoritate auferri possint, Speculatori *tit. de decim. V. ultimò quæritur.* tribuere videtur Moneta *c. 6. q. 4. n. 25.* sed nihil vel ille vel alius simile vel asserit vel indicat.

544 Assert. I. Parochus aliúsve decimator, qui jurisdictionem temporalem in debitores decimarum non habet, non potest propriâ auctoritate eas auferre. Ita omnes, éstque assertio certa, ut ait Suar. *c. 36. n. 9.* Ratio patet: quia subditus est dominus & legitimus possessor omnium fructuum, antequam aliqui eorum pro decimis separentur, ergo non potest propriâ auctoritate decimatoris possessione privari, etiamsi illorum sit debitor: cùm constet, creditori licitum non esse, propria auctoritate bona possessoris invadere, eúmque ad debitum obtinendum spoliare. *c. 5. 6. & 7. ac toto tit. de rest. spol.* Accedit, quòd hæc vis foret contra pacem Reipublicæ, posséetque esse origo multarũ injuriarum ac scandalorũ. 146

Assert. II.

145 Assert. II. Non est licitum Parocho per denegationem Sacramentorum ad solvendas decimas compellere non solventes. Ita Navarr. *consil. 2. h. t.* Suar. *c. 38. n. 2.* ac reliquorum communis. Patet ex dictis: quia hoc foret propria auctoritate debitorem ad solvendum cogere. Si tamen manifesta esset iniquitas solvere renuentis, neganda certè ipsi forent Sacramenta; non quidem ex hoc capite, ut ipse compellatur ad solvendum, sed sicut alijs peccatoribus ad ad ea recipienda non dispositis.

QUÆSTIO III.

Utrùm fructus decimandi sint in agris, an in horreis?

SUMMARIUM.

546. *Varij modi solvendi decimas proponuntur.*
547. *Jure communi colonus in agro eas separare potest.*
548. *Jure Bavarico in arbitrio decimatoris est, in agro vel horreo exigere.*
549. *Consuetudo circa modum solvendi observanda est.*
550. *Nec obstant Statuta Bavarica.*

546 DIversis rationibus solvi possunt decimæ. 1. In manipulis in agro separatis ac relictis. 2. In manipulis in horreo jam reconditis. 3. In frumentis à stramine jam separatis, seu in granis. 4. In segete & fructibus adhuc pendentibus, in decima quavis stria agri seu porca ac scamno relictis messi decimatoris. Postremum istum decimandi modum, seclusâ consuetudine, præscriptione, aut pacto vel consensu decimatoris, illicitum esse, jam dixi *n. 532.* at è contrario non dubito, eum exigi à decimatore posse, si reliquos fortè modos fraudis suspectos meritò habeat, aut possessor agri falcem in messem nondum maturam mittat: quod ultimum si fiat sive ex imprudentia sive ex indigentia & necessitate coloni, decimator jure petere potest, ut ille fructus relictos suis sumptibus metat, aut alios maturos ejusdem sortis suo tempore restituat, uti sumitur ex *Statut. Bavar. tit. 28. art. 9.* quamquam in casu indigentiæ coloni austerè non erit agendum, sed modicum decimatori damnum sufferendum.

Assert. I. Spectato Jure cõmuni 547
potest debitor decimarum in agro eas separare. Ita Suar. *c. 37. n. 6.* Canis. *c. 7. n. 2.* Laym. *c. 5. n. 2.* ac passim alij. Ratio patet: quia sic satisfacit suæ obligationi, quæ

tantùm exigit, ut decimæ solvantur; has autem solvit, si etiam in agro eas separat, cùm ad solvendum nullus Canon plus requirat. Accedit, quòd hæc solvendi ratio minùs obnoxia sit fraudibus debitorum, quàm illa, quæ fit ex fructibus in horrea colonorum jam comportatis, ut benè explicat Illustriss. D. Schmid *ad Statut. Bavar. tit. 28. art. 4. n. 1. & semicent. 2. qq. for. contr. 32. n. 3.* Unde hæc solvendi ratio in nostris partibus passim usu recepta est. Quamvis illa, quæ fit in horreis, è contrario non modicum commodum decimatori afferat, cùm tunc non teneatur viâ longâ suis plaustris & equis eas ex agris advehere, nec periculum earum subeat ex tempestatum, murium ac furum injurijs, ut idem observat *cit. contr. 32. n. 2.*

548 Assert. II. Spectato Jure nostro patrio *Stat. Bavar. tit. 28. art. 1.* in potestate decimatoris est decimas aut in agris aut in horreis exigere. Sic enim ibi dicitur: Es soll auch in eines jeden Zehendt-Herrn freyen Wahl und Willen stehen/ seinen Zehendt auf dem Feld/ in dem Stadel/ oder da er sich mit den Bauren deßhalben vergleichen wolte/ in dem Sack an Körner zufangen/ dessen jhme auch der Zehendt-Mann/ unangesehen/ ob ein anders bey denselben zuvor im Brauch gewesen/ statt zuthun/ und darumben den Zehendt-Herrn/ ob er die Zehendt-Fängung auf dem Feldt thun wolt/ den Tag seines vorhabenden Schmidts zeitlich zuverkündigen schuldig seyn soll. Ad quem textum Illustriss. D. Schmid *n. 8.* existimat, in arbitrio decimatoris esse etiam tertium modum decimandi eligere, & exigere decimas in granis, nimirum decimum quemque cabum seu modiolum den Zehenden Metzen. Mihi salvo ipsius aliorúmque meliori judicio, videntur illa verba, da er sich mit den Bauren deßhalben vergleichen wolte/ sic intelligi posse, ut tunc demum decimator decimas in granis exigere possit, si ita inter ipsum & colonum convenit, videlicet ut illæ potiùs in granis quàm manipulis solvantur. Possunt tamen commodè etiam sic exponi, ut sensus sit, absolutè quidem posse decimas in granis exigi, ita tamen ut conventio fiat inter creditorem & debitorem circa expensas trituræ, an videlicet harum quota & rata pars à decimatore solvenda sit, & straminis simul decimæ eidem solvantur; an verò omnes illi sumptus à solo colono faciendi sint retento in earum compensationem stramine, vel minùs solvendo quàm decimum cabum. Porro gratis hìc à nonnullis disputatur, utrùm, si decimæ alicubi in granis solvuntur, mensurâ, quâ decima pars admetienda est, debeat esse exaggerata, an detersa ad limbum & æquata per hostorium durch das Streich-Holtz: clarum enim est, ad servandam æqualitatem & ne

unus

unus plus accipiat, vel retineat, quàm alter, modum mensurandi utrimque debere esse eundem in metiendis novem partibus, quæ remanent colono, & decimâ, quæ cedit decimatori. Ut autem unus potiùs, quàm alter modus adhibeatur, seclusâ consuetudine aut præscriptione nec creditor nec debitor exigere potest, sed adhibendus est, qui in mensurandis frugibus, dum venduntur aut pro canone solvuntur, adhiberi solet.

149 Assert. III. Si consuetudine legitimè præscriptâ aliquis ex prædictis decimandi modis inductus est, observari debet. Ita post Hostiens. Aufrer. Paris. ac alios Rebuff. *q. 13. n. 49. & 50.* Suar. *c. 37. n. 7.* ac passim alij. Ratio patet à fortiori ex dictis suprà de vi, quam consuetudo habet ad tollendam obligationem decimarum: si enim immunitatem à decimis dare potest, poterit à fortiori variare modum, quo illæ aliàs vi Juris solvendæ forent; maximè si certus solvendi modus à Jure statutus non fuit, uti re vera nullus statutus est. Limitationem tamen hîc addi oportet, quam dedi *n. 536. in fine.* Idem cum proportione dicendum est de præscriptione; nam non tantùm Ecclesia contra debitorem colonum præscribere potest, ut hic isto potiùs, quàm alio modo decimas solvat; sed ipse quoque præscribere contra Ecclesiam potest, ut non teneatur solvere, nisi hoc vel illo certo modo. Ita cum Panor. aliisque Covarr. *l. c.* Cravetta *consil. 21.* Guttier. *can. qq. l. 2. c. 21. à n. 45.* ac alij, qui quamvis expressè solùm loquantur de consuetudine, est tamen par ratio de præscriptione: non enim hîc agitur de præscribendo aliquo jure spirituali, ut patet; neque præscribitur alicui juri Ecclesiæ, cùm hæc, ut dixi, & ulteriùs *q. seq.* dicetur, seclusâ consuetudine & præscriptione non habeat jus, decimas uno potiùs quàm alio modo exigendi. Hinc cum Illustriss. D. Schmid. *cit. contr. 32. n. 10. & ij.* censeo, sufficere colono tempus ordinarium præscriptionis, illud videlicet, quod ad præscribendum contra Ecclesiam requiritur & sufficit, quando præscribenti jus non resistit; & vicissim Ecclesiæ præscribenti contra colonos sufficere tempus ordinarium, quo contra laicos præscribitur. Non tamen ad præscribendum sufficit, eum, contra quem præscribitur, huic vel illi solvendi modo sponte solùm acquievisse, seu liberè duntaxat permisisse, ut ille observaretur; sed necesse est, ut non obstante ejus contradictione observatus ille fuerit; cùm ex actibus merè voluntarijs quasi possessio acquiri non possit, ut ex *l. Proculus ff. de dam. infect. l. 1. §. denique l. si in fundo ff. de aq. pluv. arc. & l. 2. ff. de via publ.* fusè præter

ter alios tradunt Covarr. *in reg. Possessor p. 2. §. 4. n. 6.* & Manz. *cent. decis. Palat. q. 49.*

550 Iis, quæ modò dixi, obstare videtur Jus Patrium *cit. tit. 28. art. 1.* postquam enim dictum fuerat, esse in arbitrio decimatoris decimas aut in agris aut in horreis exigere, additur, unangesehen/ ob ein anders bey demselben (Zehendt-Mann oder Bauren) zuvor im Brauch gewesen. Videtur igitur contraria consuetudo & præscriptio excludi, eáque non obstante integrum esse decimatori, hoc potiùs quàm alio modo decimas exigere. Verùm respondeo cum eodé Illustriss. Commentatore *cit. contr. 32. n. 6. & seqq.* non ibi reijci præscriptionem legitimè completam, aut consuetudinem legitimè præscriptam; sed solùm illam, quæ vires ex diuturnitate temporis aliisque requisitis nondum obtinuit, & tantùm consistit in nuda quadam observantia jus parti non tribuente. eò quòd hic vel ille certus modus observatus fuerit ex sola alterius partis conniventia ac voluntaria permissione.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Decimæ inferendæ sint in horreum vel cellam Decimatoris?

SUMMARIUM.

551. *Opinio asserentium.*
552. *Contrarium statuitur.*
553. 554. 555. *Solvuntur opposita.*
556. *Inferendæ sunt horreo decimatoris, si ita fert consuetudo.*
557. *Sine consensu decimatoris non potest colonus fructus nondum decimatos suo horreo recondere.*

551 Diversa hæc quæstio est ab ea, quam modò examinavi. Ibi enim quærebatur, liberúmne sit Decimatori in horreis colonorum, an in agris decimas petere: hìc verò, an si agris numerentur, sumptibus solventium in ejus horrea vel cellas inferendæ sint; aut si decimator eas percipiat in horreis debitorum, horum duntaxat sumptibus illuc portandæ sint. Inferendas esse decimatoris horreo sumptibus debitorum illimitatè traduntGlossa in *can. Revertimini 65. 16. q. 1. V. In horrea, & in can. 1. 16. q. 7. V. In horreum.* Panor. in *c. 5. h. t.* referens Joan. Andr. ac alios, dicéns-que esse communem, Nicol. Everhard.

hard. Sen. *consil. 183. n. 6.* And. Hispan. *h.t. q. 14. n. 5.* Carpz. *l. 1. Jur. Saxon. tit. 9. resp. 92. n. 11.* Hunn. *l. 2 Jur. can. c. 6. n. 30.* multíque alij. Limitant Covarr. *l. c.* Guttier. *cit. c. 21. n. 48.* Moneta *c. 6. q. 1. n. 1.* ajúntque, comportandas esse in horrea decimatorum, ubi id fieri potest sine magno sumptu & labore debitorum. Ducuntur 1. quia juxta *cit. can. 6 5. & can. 1.* olim inferendæ erant decimæ in horreum Domini, juxta illud Malachiæ *c. 3. inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.* 2. debitor tenetur deferre rem ad domum creditoris, præsertim si sit de eadem civitate. Bartol. *in l. Item illa. ff. de constit. pecun. n. 14. & l. 4. ff. de eo, quod cert. loc.* 3. decimator assimilatur percipienti annuum canonem ab emphyteuta: at hic juxta Jason. tenetur suis sumptibus afferre canonem ad ædes domini.

552 Assert. I. Qui debet decimas, de Jure scripto non tenetur suis sumptibus ad eas horreo decimatoris inferendas, sed satisfacit, si eas in campo separet. Ita post Abulens. in *c. 23. Matth. q. 206.* Adrianum *quodlib. 5. art. 1. §. 2.* & Glossam in *c. 7. h.t. V. fructibus*, Suar. *c. 37. n. 7.* & apud hunc Rota Rom. Laym. *c. 5. n. 2.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 8. n. 5.* Wagnereck *ad c. 7. h. t. V. statim not. 2.* Schambogen *h.t. n. 46.* cum Bonacina ac alijs. Ratio ex una parte est: quia Jura nullibi hanc obligationem debitori decimarum imponunt; imò quando mentionem faciunt de decima non deductis expensis solvenda, solùm asserunt, non esse deducendum semen, tributa, & sumptus in colendo fundo, ut diximus suprà *n. 532.* non utique omissura sumptus in invehendis in horrea Parochi decimis, si etiam istos facere colonus teneretur: ex altera parte solùm præpiunt, ut decimæ ex fructibus solvantur; atqui solvit, qui eas in agris separat & decimatori relinquit. Accedit, quòd Ecclesia quoad decimas est instar fructuarij & pensionarij, uti cum alijs notant Laym. & Schambogen *l. c.* huic autem satisfit, si fructus solvantur ibi, ubi res frugifera sita est. Hinc nulla est distinctio facienda inter sumptus modicos & magnos, & inter horrea publica Ecclesiæ ac privata, ut faciunt Covarr. & Gutier. *l. c.* quia de nullo horum casuum aliquid Jura præcipiunt.

Ad *can. 65. 16. q. 1.* & *can. 1. q. 7.* 553
R. ibi nihil aliud dici, quàm quod Malachiæ *c. 3.* hìc autem nihil, nisi quod *Numer. c. 18. v. 26. & 29.* ac Deuter. *c. 14. v. 22.* præcipitur; at nihil ibi præcipitur de inferendis in horrea Levitarum ac Sacerdotum decimis, ut patebit legenti tam ipsos Scripturæ textus, quàm commentatores. Quin si præceptum inferendi datum fuisset Judæis, non sequeretur, illo ligari christianos, cùm fuerit ceremoniale, ac

ut alia ceremonialia & judicialia, cum synagogo sepultum, nec ullibi ab Ecclesia renovatum.

554 Quod secundo loco afferebatur de obligatione debitoris rem deferendi ad domum creditoris, universale non est, sed pro varietate contractûs & debiti modò datur hæc obligatio deferendi, modò non, uti patet ex ijs, quæ tradunt Gabr. Vasq. *de Restitut. c. 9. dub. 2. n. 50.* Rebell. *l. 12. de Iust. q. 13. sect. 2. concl. 2.* Laym. *l. 3. tr. 2. c. 10. n. 5.* Molina *tr. 2. de Just. disp. 752. concl. 2.* Less. *l. 2. c. 15. à n. 56.* qui, aliique conveniunt, census reales (quos inter numerantur decimæ) secluso speciali pacto aut præscriptione, non esse solvendos in loco, ubi est creditor, sed ubi census est constitutus, aut ubi res sita est, in qua obligatio est constituta, ut domus, ager &c. census verò personales ibi, ubi justâ pactione constituti sunt; debita denique ex mutuo, empto &c. ubi pecunia vel merx accepta fuerat. Hinc mirum non est, debitam pecuniam ordinariè deferendam esse ad domum creditoris, quia ibi ordinariè mutua pecunia, aut merx sumitur, vel census constituitur. Quæ ratio, ut patet, non procedit in decimis, sed harum obligatio inhæret immediatè fructibus ac mediatè agris; unde illi satisfit, si fiat solutio in agris, ubi fructus colliguntur.

555 Ad paritatem de Canone Emphyteutico ℞. idcirco emphyteutam obligari ad illum horreo domini inferendum, quia cùm sæpe canon sit modicus, parum comodi dominus haberet, si suis sumptibus illum ex agris sæpe multùm dissitis & diversorum emphyteutarum colligere teneretur, petiturque propterea minor canon, quia onus deferendi emphyteutæ imponitur. Quæ rationes, uti patet, non procedunt de decimis.

Assert. II. Valet consuetudo, 556
estque observanda, ficubi datur, ut debitores decimas horreo decimatoris inferant. Ita post Panor. omnes. Ratio patet ex dictis *à n. 260.* Sufficere ad hanc consuetudinem inducendam decennium, rectè tradunt Suar. *l. c. n. 8.* Palao *cit. n. 5.* Less. *l. 2. c. 6. n. 46.* cum Bonac. ac alijs: quia hoc tempus ad stabiliendam legem de re, quæ legibus non est prohibita, sufficit.

Assert. III. Non potest debitor 557
decimarum fructus indecimatos horreo inferre, ignaro & non consentiente decimatore. Ita recepta à Doctoribus & praxi sententia, teste Suar. *l. c. n. 7.* sequiturque cùm ex eo, quòd ab omnibus debet approbari, quod omnes tangit *reg. 26. in 6.* tum ex ipso jure decimandi, cùm ad debitum ejus usum & securitatem spectet, ut collecti fructus non recondantur absque interventu decimatoris, utpote cui aliàs sæpe fraus fieret, & damnum. Si monitus nec per se nec per procuratorem decimationi assistat, fieri

hæc

hæc potest ipso absente, & fructus decimati in agris relinqui, qui si postea vel cœli vel ferarum aut hominum injurijs damnum patiantur, id ipsi ferendum erit: nisi consuetudine alicubi receptum sit, ut in horreo colonorum decimentur, vel in granis solvantur, vel horreo decimatoris inferantur. Neque si in agris solvantur decimæ, colonus, postquam sua avexit, ad illarum custodiam tenetur, uti traditur in Statut. Bavar. *tit. 28. art. 5.* auf dem Feld ist der Zehendt-Mann dem Zehendt-Herrn sein Zehendt länger zuverwahren nit schuldig / dann so lang er sein eigen Traid einbringt. Nisi forte alicubi consuetudo ferat, ut colonus decimas etiam in agris separatas inferat horreo decimatoris: tunc enim obligatus videtur ad earum custodiam, donec horreo vel cellæ decimatoris illatæ fuerint. Additur *cit. art. 5.* animalia ad pastum agris immittenda non esse, donec decimæ fuerint avectæ: dummodo decimator in avehendis moram non trahat. Nec in agris, ex quibus avecta nondum fuere frumenta, spicilegium pauperibus concedendum esse. Doch soll man das Vich nicht auf die Aecker treiben / biß daß der Zehendt eingebracht ist / er seye gleich an Garben / oder stehe noch auf der Wurtzel / wie man dann an etlichen Orthen solchen stehen last / doch daß der Zehendt-Herr nicht säumig seye. Man soll auch auf den Aeckeren nicht äheren / es seye dann zuvor das Getraid derselben Revier und Felds allbereit einkommen / id est, antequam decimæ avectæ fuerint, ut *ibi n. 2.* explicat Illust. D. Schmid. Quæ sapienter provisa sunt, ne, quod aliàs fieri solet, vel rostris brutorum, vel manibus hominum præda fiant decimæ.

QUÆSTIO V.

Quomodo numeratio manipulorum ac mensurarum facienda sit?

SUMMARIUM.

558. *Status quæstionis proponitur.*
559. *Resolvitur ex Jure Bavarico.*
560. *Non potest decimator tantum exigere uno anno, quantum alio.*
561. *Nec anno sequenti continuare numerationem à manipulis residuis prioris anni.*
562. *Eam tamen continuare potest eodem anno ab uno agno in alium.*
563. *Et ab una specie frumenti ad aliam parùm diversam.*

558 QUamvis certum sit, decimam quamque partem ex fructibus deberi Ecclesiæ, nimirum decimum manipulum frumenti, aut decimum modium ex granis, decimam mensuram pomorum, decimum agnum ex fœtibus pecorum &c. controversum tamen est, quomodo hæc numeratio facienda sit: cùm enim post decimatos fructus sæpe residui sint 8 tantùm aut 9. manipuli, dubitari potest, an non sequenti anno dinumeratio continuari possit, & primus hujus anni manipulus vel agnus à decimatore exigi tanquam decimus ex ijs novem, qui priore anno erant residui, & decimati non fuerant: an verò ex novem, qui residui duntaxat sunt, peti jam nunc aliquid possit, vel decimus ex alijs fructibus suppleri debeat. Cujus controversiæ decisio clarissima æquè ac æquissima habetur in Statut. Bavar. *tit. 28. art. 3.* quæ quia conformis est Juri communi, & idcirco ubique, nisi contraria consuetudo prævaluerit, observanda, idcirco eam integram, sed numeris distinctam, loco assertionis ponam.

559 Sic igitur *cit. art. 3.* disponitur. Kein Zehendt-Herr ist (1.) befuegt von dem Zehendt-Mann so vil Zehendt-Garben zufordern / als er etwan das vorig Jahr im Außzehlen gehabt hat / noch auch (2.) da etwan verschienes Jahr 5. 6 oder mehr Garben under Zehen übergeblieben / daß man im folgenden Jahr auf dieselbige zehlen wolt. Sondern ein jeder Zehendt-Herr soll sich an dem Zehendt benügen lassen / was jhme jedes Jahr gebührt / und was (3.) die Zehendt-Garb / nach völliger Außzehlung nicht erraicht / von demselben nichts nemmen / doch mag er (4.) von einem Acker auf einen anderen demselben Zehendt-Mann gehörigen Acker und (5.) von einer Sorten härten auf ein andere Sort härten / also von einer Sorten geringen auf ein andere Sort geringen Traidt / doch im selbigem Jahr / wol zehlen. Id est *nullus decimator* (1.) *jus habet à colono exigendi tot manipulos, quot forsan priore anno collegit. Nec* (2.) *si forsan priore anno 5. 6. aut plures infra decem remanserant, illi sequente anno in numerum & decimationem veniant, sed quivis decimator illis decimis contentus sit, quæ pro hoc anno debentur, & quod* (3.) *post numerationem decimum manipulum non attingit, de illo nihil accipiat. Poterit tamen* (4.) *numeratio manipulorum fieri ab uno agro ad alium ejusdem coloni, &* (5.) *ab una specie ad aliam frumenti solidi & ab una levis ad aliã levu, eodem tamen anno.* Per solidum frumentum notum est intelligi hyemale, nimirum Triticum seu Siliginem der Waitzen / Secale der Rocken / Zeam, seu speltam der Fesen / der Kern; per leve verò intelligi æstivum, seu Hordeum die Gerste / & Avenam der Haber. Non igno-

ignoro, ultima hujus articuli verba ab Jllustriss. D. Schmid accipi solùm de ejusdem speciei frumento, quasi dinumeratio manipulorum fieri tantùm possit à tritico ad triticum, ab avena ad avenam; non verò à tritico ad secale, aut ab hordeo ad avenam &c. Sed cùm textus apertè dicat ab una sorte ad aliam sortem (speciem oder Gattung) fieri numerationem posse, non apparet, quo jure dicat, subintelligendum esse *Ejusdem sortis*, seu à tritico tantùm ad triticum, ab hordeo tantùm ad hordeum &c. Hac enim ratione non esset licitum ab una sorte ad aliam (quod tamen textus concedit) numerare. Accedit, quòd cùm tertio loco dictum fuisset, non posse hoc anno numerationem fieri à residuis prioris anni manipulis, illos videlicet tanquam nondùm decimatos computando, ut cum alijs hujus anni manipulis decimum numerum efficiant: hoc, inquam, ubi statutum fuit, mox in favorem decimatoris tanquam singulariter notandum additur, posse ipsum nihilominus, & non obstante, quòd de residuis prioris anni manipulis nihil prætendere valeat, manipulos numerare ab uno ejusdē coloni agro ad alium, & ab una sorte seu specie frumenti solidi ad aliam &c. Quod frustra fuisset additum, si numeratio fieri posset tantùm à tritico ad triticum, seu ab una specie ad eandem: cùm per se clarum sit, si numeratio facienda sit, hoc saltem modo fieri posse ac debere. Unde speciali id notà ac observatione dignum non erat. Explicationi, quam dedi, audio praxim favere. Ad id, quod idem Jllustr. D. Schmid ait, præjudicium coloni fore, si decimatori licitum esset, numerare ab avena v. g. ad hordeum, respondetur, nullum præjudicium esse, si de omnibus frugibus, quas colligit, decimas solvere cogatur; non autem de omnibus solveret, si non esset concessum decimatori numerare ab avena v. g. ad hordeum, quia hac ratione pars aliqua avenæ indecimata maneret, & præjudicum decimatori fieret, si nihil inde nomine decimarum perciperet. Neque obest, quòd aliquando continget transitum fieri à frumento viliore ad melius, v. g. à secali ad triticum: nam è contrario quandoque transeundum erit decimatori à meliore ad vilius, à tritico videlicet ad secale, vel ab hordeo ad avenā. Ut adeò par fit ratio coloni & decimatoris, nec unus magis gravetur altero. Illud verò in Bavaria tolerandum non est (nisi aliud consuetudine alicubi receptum sit) quod facere dicuntur quidam collectores decimarum (Zehendt-Träger) dum ex quinque v. g. residuis manipulis quintum solvunt & dividunt inter decimatorem & colonum. Hoc enim apertè repugnat Statuto mo-

dò allato. Hujus nunc æquitas ostendenda est, redditâ singulorum ejus capitum ratione. Itaque

560 Ratio primæ partis est: quia decimæ debentur ex fructibus quovis anno provenientibus, & sicut nihil debetur, si nihil provenit, ita juxta proportionem & quantitatem illius, quod provenit, aut multum aut parum debetur. Unde iniquè ageret decimator, si hoc anno, quo fortè parum provenit, tantundem exigeret, quantum percepit priore: nisi fortè inter ipsum & debitorem speciali pacto convenit, ut singulis annis certa eáque mediocris portio & quantitas solvatur, non minuenda, si modici; nec augenda, si magni proventus sint fructuum. Tale enim pactum valere ad vitam vel certos annos Parochi, si propriâ auctoritate initum est; in perpetuum verò, si Superioris Ecclesiastici auctoritas accessit, constat ex dictis suprà, quando de transactione super decimis, & earum locatione egi *àn. 308. & n. 493.*

561 Ratio secundæ & tertiæ partis est: quia debetur solùm decima pars fructuum, ergo ubi manipulorum numerus ad denarium non ascendit, nihil inde debetur. Et quamvis 8. aut 9. manipuli minores fieri, & decem inde confici possent, hæc tamen tam rigida rerum minimarum exactio non decet Ecclesiam, *ne Clerici videantur improbi exactores, & ne ditentur cum gravi jactura aliorum*, ut cum Hostiens. loquitur Panor. *inc. 28. h. t.* ac indicat S. Thom. *2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.* Quam ipsam ob causam non decet, ut ad 9. manipulos hoc anno residuos sequenti anno continuetur dinumeratio, & primus manipulus à decimatore exigatur tanquam decimus ad illos novem, qui priore anno residui fuerant.

Ratio quartæ partis est: quia cùm 562
fidelis homo de omnibus fructibus decimas debeat, illi non separatim, prout ex singulis agris proveniunt, sed secundùm totum cumulum considerandi sunt, & sic dinumeratio decimarum ab uno agro in alium continuanda est, sicut ex toto cumulo solvuntur, quando fructus decimantur in horreo: aliàs decimæ non solverentur ex omnibus fructibus, sed plus quàm novem partes colono remanerent.

Denique æquitati conforme est, 563
ut licèt dinumeratio fiat ab agro in agrum, non tamen fiat ab una specie frugum ad aliam multùm diversam, v. g. à tritico ad avenam; sed solùm ad eandem vel parùm diversam, nim. à tritico seu siligine ad secale & speltam, & ab hordeo ad avenam. Quia onus decimandi est distinctum, uti species fructuum distinctæ sunt, ita ut ab una specie ad alteram non transeat: aliàs non apparet, quomodo non etiam à frumento ad reliqua legumina, v. g. fabas

fabas ac cicera, imò ab his ad poma arborum, rapas &c. dinumeratio continuari possit: quod est praxi Ecclesiæ contrarium, & à nemine hactenus admissum.

QUÆSTIO VI.

An Decimæ pecunijs compensari possint?

SUMMARIUM.

564. *Pecunias pro fructibus solvere pro arbitrio non potest colonus, nec decimator exigere.*
565. *Tametsi vi contractûs hactenus pecuniæ tantùm solutæ sunt.*
566. *Potest consuetudine ac præscriptione induci, ut pecuniæ tantùm debeantur.*

564 QUæstio non est, utrùm pro arbitrio debitorum loco fructuum in natura, ut vocant, pecuniæ dari, vel à decimatore exigi possint: constat enim ex hactenus adductis Juribus solvendam esse decimam fructuum partem; obligari autem ad dandam partem fructuum aliud non est, quàm obligari ad ipsos fructus. Non igitur satisfaciet debitor eorum pretium solvendo, nisi decimator ultrò acceptet: cùm obligatio in specie implenda sit, si est obligatio dandi & non præcisè faciendi seu ad factum, uti patet ex *l. 75. §. fin. & l. 81. ff. de V. O. l. 13. ff. de rejudic. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. si cert. pet. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig.* Accedit, quòd sicut regulariter loquendo nemo cogi potest ad rem suam vendendam, ita nec ad commutandam. *l. 19. ff. de act. rer. amot. l. 11. 13. & 14. ff. de contrah. empt. l. 16. C. de Jure deliber.* Eandem ob causam decimator loco fructuum pecuniam exigere nequit, cùm debitor ad illos tantùm dandos teneatur. Igitur dubium duntaxat est, an detur obligatio solùm ad pretium fructuum, si hoc solutum fuit diuturno tempore, & non ipsi fructus. Ratio dubitandi est: quia magna vis est consuetudinis quoad solutionem decimarum, ita ut per eam omnino tolli possit obligatio solvendi, ut dixi *à n. 260.* à fortiori variari per eam poterit modus solvendi. Magna pariter vis est præscriptionis, ita ut contra Ecclesiam & Clericum alia Ecclesia & Clericus præscribere decimas possit, ut patet ex dictis *à n. 291.* ac contra laicum decimatorem etiam laicus, juxta dicta *n. 486.* Videtur igitur, quòd si tempore saltem longissimo

decimæ

decimæ non in natura, sed in æquivalenti seu in pretio & pecunijs solutæ sunt, decimator eas exigere ampliùs non possit in natura.

565 Assert. I. Si constat, quòd pretium loco decimarum alicubi solvi cœperit vi contractûs, quo videlicet decimator debitoribus eas vendidit aut locavit, remanet decimatori semper jus eas exigendi in natura, post finitum tempus contractûs: neque post qualecunque tempus prætendere debitores possunt, ut decimator loco fructuum pretium accipiat. Ita æquissimè deciditur in Statut. Bavar. *tit. 28. art. 8.* Wie der Zehendt-Herr mit seinem gebührenden Zehendt handlet / denselben an Körner oder Gestreu / auf dem Feld oder sonsten verkaufft / verläst / oder selbs einfänget / darein soll jhme der / so den Zehendt zugeben schuldig ist / nichts zureden / noch daran einige Verhinderung zuthun haben / uneracht er fürgebe / daß man jhm vil Jahr das Gestreu gelassen / und den Zehendt verkaufft hätte / dann hierinn kein Gewehrschafft / oder Verjährung / wie alt die seye / soll statt haben. Ratio clara est: quia vendere vel locare rem suam est actus liberæ facultatis, & sicut nemo ad id cogi potest, nisi auctoritate publica, & necessariam ob causam, ut patet ex cit. Juribus *n. prac.* ita nulla consuetudo vel præscriptio quantumvis diuturna hic prævalere potest libertati decimatoris: non quidem præscriptio, cùm ex parte conductoris aut emptoris desit bona fides & quasi possessio, ut patet; quia quamdiu 566 unus liberè locat aut vendit, emptor aut conductor non potest esse in quasi possessione juris, ut fiat venditio aut locatio, ac propterea nec est in bona fide, dum hoc jus prætendit, ut dixi *n. 549.* Sed neque consuetudo hîc locum habet: alias si longo tempore locatio aut venditio facta est, conductores & emptores prætendere jus possent, ut illa etiam in posterum ipsis fiat; quod nemo admiserit, cùm sicut præscriptio, ita etiam consuetudo actus voluntarios reddere non possit necessarios, quando constat, priores venditiones aut locationes voluntariè ac ultroneè esse factas, ut dixi *cit. n. 549. in fine.* Asserunt quidem Balbus *de Præscript. 3. p. 5. prin. q. 1. n. 5.* aliique nonnulli apud Gabrielium *tit. de Præscript. concl. 10. n. 7.* etiam in ijs, quæ sunt meræ facultatis, ex longæva temporis immemorialis observantia consuetudinem vel præscriptionem induci: verùm intelligendi duntaxat sunt de casu, quando ex lapsu temporis immemorialis præsumi potest, quòd actus, qui per se sunt meræ facultatis, positi fuerint tanquam necessarij & ex debito; aut quando dubium saltem est, ultroneè, an verò velut debiti positi fuerint: plus enim si vellent illi DD. cõtradi-

tradicerent cùm legi *Viam publicam*, *ff. de Via publica*, tum alijs Juribus *cit. n. 549.* allegatis.

566 Assert. II. Si non constat, decimas esse locatas aut venditas, aut quando de hoc quidem constat, at diu pretium solutum est decimatori acquiescenti & illud acceptanti à colonis renuentibus eas solvere in natura, consuetudo, & præscriptio inducere potest ut non detur obligatio eas solvendi in natura, sed tantùm in pretio. Ita sentio cum Illust. D. Schmid *ad cit. art. 8. n. 3.* Ratio primæ partis est: quia si non constat, quo titulo hactenus solutum duntaxat pretium fructuum fuerit, ex tempore immemoriali præsumi & allegari poterit constituti, vel privilegij, similisve alius titulus, uti ex varijs legibus probat Covarr. *in reg. Possessor p. 2. §. 4. n. 6. V. Poterit, & l. 1. var. c. 17. n. 5. V. Sedsi.* Ratio secundæ partis est: quia si coloni renuerunt solvere decimas in natura & acquiescente decimatore dederunt tantùm pretium, obtinuerunt quasi possessionem, cui si juncta fuit bona fides (quæ tamen vix adesse poterit, si constat de venditione vel locatione priùs factâ) accedátque simul tempus ad præscriptionem requisitum, non est ratio, cur locus præscriptioni contra decimatorem esse nequeat, ut constat à fortiori ex ijs, quæ de præscriptione immunitatis ab onere decimarú dixi *n. 291.* & de consuetudine *n. 260. & seqq.* Quantum verò tempus ad hujusmodi præscriptionem requiratur, dictum est *à n. 297.* Neque obstat, quòd laici præscribere decimas nequeant, ut fusè ostendi *à n. 476.* tametsi enim præscribere jus decimandi nequeant, possunt tamen præscribere immunitatem, ac consequenter, & quidem à fortiori, certam rationem ac modum solvendi, cùm sic nihil spirituale præscribant. Pariter non obstant, quæ *n. 561.* ex *tit. 28. art. 8. Stat. Bav.* recitavi: sunt enim tantùm intelligenda de casu assert. primæ, non verò de secundæ.

QUÆSTIO VII.

Quando solvendæ sint Decimæ?

SUMMARIUM.

567. *Ratio dubitandi ex c. 7. de Decim.*
568. *Prædiales statim post fructus collectos solvendæ sunt.*
569. *Solvitur objectio.*
570. *Personales in fine anni solvuntur.*
571. *Decima ex animalium fœtibus, quando isti sine matre nutriri possunt.*

567 Quamvis *c. 7. h. t.* unâ regulâ hæc quæstio decidi videatur, cùm sine discrimine fructuum absolutè ibi asseratur, decimas statim collectis fructibus persolvendas esse: varia tamen solutionis faciendæ tempora pro varietate rerum, ex quibus illæ solvuntur, assignanda esse, constans est omnium DD. sententia.

568 Assert. I. Decimæ prædiales statim post collectos fructus solvendæ sunt. Ita deciditur *cit. c. 7.* ibi: *Mandamus, quatenus eos cogatis, ut decimam statim fructibus collectis persolvant.* Qui textus, cùm de aliquibus saltem fructibus intelligi debeat, commodissimè sumitur de prædialibus, ut ex dicendis patebit: éstque decisio conformis legi Divinæ *Exodi 22. v. 29.* Judæis scriptæ *Decimas tuas & Primitias tuas non tardabis reddere.* Accedit, quòd cùm præceptum de solvendis decimis sit affirmativum, & sic non obliget pro semper, certum tempus pro illo assignari oportuit: at nullum commodius, quàm illud, quo collecti fuerint fructus, assignari potuit; tum quòd aliàs portio Ecclesiæ debita per moram facilè perire posset; tum quòd illa tunc incipit habere jus magis certum & dominium fructuum quoad decimam partem, ut loquitur Suar. *c. 37. n. 5.* Ex quo idem aliique post Gloss. Panor. ac Rebuff. inferunt, si idem prædium bis terve eodem anno fructus ferat, decimas inde solvendas non esse simul, v.g. in fine anni, sed singulas esse reddendas suo tempore, nimirum statim ac singuli fructus collecti fuerint.

569 Neque valet, siquis fortè dicat, ex *cit. c. 7.* desumi, quòd decimæ in agris peti non possint, sed tantùm, quòd in horreis; eò quòd tunc demum fructus collecti dicantur: nam juxta communem DD. per collectos fructus ibi intelliguntur percepti; *perceptionem autem fructûs accipere debemus, non si perfectè collecti, sed etiam cœpti ita percipi, ut terrâ continere se fructus desierint*, ut inquit Labeo *l. 78. ff. de rei vind.* Hinc ad bonæ fidei possessorem fructus pertinent, quoquo modo à solo fuerint separati, ut dicitur *l. 25. §. 1. ff. de Usur.* & *l. 38. ff. prin. ff. de acquir. rer. dom.*

570 Assert. II. Decimæ Personales, sicubi in usu sunt, debentur in fine cujuslibet anni. Ita tradit communis post Alens. Panor. ac Joan. Andr. contra Card. *in c. 28. h. t. q. 16.* qui ait, statim solvendas esse, quando lucrum factum est, eò quòd lex inter personales & prædiales non distinguat. Verùm *cit. c. 7.* loquitur de fructibus, ac idcirco solùm de prædialibus decimis, nec ulla lex 571
alia asserit universim de decimis, vel in specie de personalibus, eas statim solvendas esse. Unde benè asseritur, personales in fine singulorum annorum solvendas esse, quia hoc Ecclesiæ est utilius, & magis

gis accommodatum moribus humanis, ut ait Suar. *l. c. n. 3.* utilius quidem, quia particularis solutio multa incommoda affert *l. 3. ff. fam. ercisc. & c. 5. de pignor.* magis verò accommodatum moribus hominum, quia tributa, census, & pensiones, quibus decimæ personales æquiparantur, ordinariè in fine anni solvuntur. Monet tamen Rebuff. *q. 12. n. 4.* post Anton. de Butrio ac alios, non debere recusari, si intra annum solvuntur, ac recusari non posse certum esse existimat Moneta *c. 6. q. 3. n. 13.* Dilatio verò ultra annum non est permittenda, nisi consuetudine sit introducta, ut notat Suar. *l. c.* Monet idem Rebuff. *n. 5.* cum Hostiensi, expedire ex lucro statim separari decimam partem, eámque postea Curato indigenti dari, in eleemosynas, aliáque pia opera expendi, idque ait se vidisse factitatum à multis, addens *n. 6. & sic mercatores debent & alij artifices facere, si prosperè velint sibi omnia succedere, ut docet Gloss. & Doct. in c. decimæ 16. q. 1.* Observant denique universi, dum de decimis personalibus agunt, quoad tempus solvendi consuetudinem observandam esse.

171 Assert. III. Decimus animalium fœtus solvendus est, cùm lacte est depulsus, & sine matre nutriri potest, ut post Joan. Andr. Anchar. ac Boich. in *c. 7. h. t.* tradunt omnes, éstque decisum Jure nostro Patrio *tit. 28. art. 16.* Wo auch der Blut-Zehendt gebräuchig/ den soll man geben/ wann die Thier allbereit zeitig. Additur (quod singulare hìc est & juxta dicta *n. 559.* in alijs fructibus non permissum) im Blut-Zehendt mag man von jeder Sorten von einem Jahr zum andern zehlen. Ratio, cur decimandi non sint fœtus nisi lacte depulsi, est, quia sicut juxta *l. 68. ff. de solut.* furioso & pupillo absque tutoris & curatoris auctoritate non rectè solvitur, *ne datio ex illorum imbecillitate pereat*; ita fœtus dandus non est, quia ex sua imbecillitate periret. Ubi decimæ ex reliquis animalium fructibus consuetudine abrogatæ non sunt, solvi debent, quando illi sunt collecti; nimirum lana, quando oves sunt detonsæ; lac & mel quando sunt collecta; casei & butyrum, quando sunt confecta. Verùm ut præter alios notant Rebuff. *cit. q. 6. à n. 31.* & Suar. *l. c. n. 6.* hìc maximè observandæ sunt consuetudo & privatæ transactiones.

PARS V.

De Processu Judiciali in causa Decimarum.

CAPUT I.

De Judice competente in causa Decimarum.

QUÆSTIO I.

Quis sit Judex competens in causa Decimarum, quando Clericus est reus?

SUMMARIUM.

572. *Multiplex quæstio proponitur.*
573. *Clericus coram seculari Judice nec in possessorio decimarum conveniri potest.*
574. *Et licèt agatur de solo facto.*
575. *Solvuntur opposita.*

572 DE Foro competente in causa decimarum multiplex quæstio est, eáque difficilis & magnis partium studijs agitata, multum hîc tribuentibus sæculari Judici Legistis cum Covarruvia, aliisque nonnullis, quos propterea Azor *p.* 1. *Inst. l.* 7. *c.* 36. *q.* 3. & Suar. *c.* 38. *n.* 17. monent cautè legendos esse, quòd plus quàm oportet, inclinent in favorem secularium Principum, quibus uti nefas est quidquam adimi, quod jure possident, ita nihil contra SS. Canones, & jura Ecclesiarum est admittendum. Prima quæstio est, quis Judex sit adeundus, quando vel uterque litigans, vel reus, est Clericus. Altera, quis sit adeun-

adeundus, quando Clericus est actor & laicus reus in petitorio. Tertia, quis, si laicus est reus in possessorio. Quarta, quis, si laicis competit jus decimandi. Quæ omnia benè distinguenda sunt, quemadmodum & quæstio Juris à quæstione meri facti secernenda est. Quinta, quis juxta Concordata Bavariæ. Ad 1. quæst. quod attinet, certum esse videtur, solum Ecclesiasticum Judicem esse competentem. Sunt tamen, qui Jurisdictionem laicis concedunt, quando Clerici in possessorio etiam spiritualium jurium litigant. Eos referunt Covarr. *c. 35. var. n. 1. concl. 2.* & Guttier. *l. 1. can. qq. c. 34. n. 22.* Allegant usum Galliarum & Pedemontij, nec non *c. ult. de Judic.* ubi sententia à potestate seculari pro Monachis contra laicos super quasi possessione juris eligendi rectorem lata approbatur, & tantùm quæstio proprietatis postea à laicis contra Monachos mota ad Judicium Ecclesiæ avocatur. Item *can. 19. 11. q. 1.* ubi dicitur fuisse approbatum à Concil. Carthag. III. ut contra invasorem alienæ plebis adeatur Imperatorius Provinciæ Rector. Demum *c. 7. qui filij sint legit.* ubi dicitur ad Regem pertinere, non ad Ecclesiam, de possessionibus judicare.

573 Assert. I. Clericus conveniri nequit coram Judice laico, tametsi agatur solùm super possessorio decimarum. Ita cum Rota Rom. & communissima DD. tradunt Menoch. *de retin. poss. remed. 3. n. 346. & de recup. remed. 15. n. 234* Gratian. *tom. 2. discept. for. c. 238. n. 71.* Guttier. *l. c. à n. 23.* & Covarr. qui *l. c. §. Primum* ait, hoc esse constitutissimum, nec valere consuetudinem in contrarium. Ratio evidens est: quia personæ & loca Ecclesiastica in causis etiam temporalibus specialiter non exceptis, forum Ecclesiasticum sortiuntur. *c. 2. 4. & 12. de foro comp. c. 2. eod. in 6. c. 4. 8. 9. 17. de Judicijs. c. 12. &* 18. *de Immunit. Eccles. can. 5. 6. 8. &* 16 11. *q. 1. auth. Statuimus C. de Episc. & Cler. auth. Cassa C. de SS. Eccles.*

Assert. II. Clericus coram Judice 574
seculari conveniri nequit, tametsi agatur de mero facto, e. g. an Monasterium, aut Clericus, qui obligatur ad decimas, eas solverit. Ita rursum communis & certa DD. quam præter alios Suar. *in defens. Fidei contra reg. Angliæ l. 4. c. 14, & 15.* fusè propugnat, eámque pariter probant Jura *n. præced.* allegata.

Neque obstant, quæ *n.* 572. in 575
contrarium adducta sunt. Non quidem praxis Galliarum, cùm hæc fundetur in privilegio Martini V. & Leonis II. ut fatentur plerique adversariorum, unde pariter fatentur, eam esse contra Juris communis dispositionem, ut observat Guttier. *l. c. n. 22. & 25.* Non *c. ult. de Judic.* quia ibi non agebatur de quasi possessione juris spiritualis, sed temporalis, nimirum eligendi

Præfectum castri secularem, ut cum Glossa *ibi*, Hostiens. Panor. Innoc. Berojo, observant Menoch. *cit. remed. 15. n. 217.* Covarr. *l. c. §. non oberit.* Guttier. *l. c. n. 29.* Barbos. *in cit. c. ult. n. 3.* Gonzal. *ibid.* ac passim alij. Hinc mirum non est, laicos à Religiosis convenire debuisse coram Judice sæculari, & cùm postea in petitorio laici fierent actores, remissos esse ad Judicem Ecclesiasticum, quia rei erant Religiosi. Unde ex *cit. c. ult.* potiùs propugnatur nostra sententia, quàm oppugnatur. Non *Canon 19. 11. q. 1.* quia ibi tantùm implo-

ratum fuit auxilium brachij sæcularis contra contumacem, qui ab Ecclesia coërceri non poterat; non verò potestas judicandi laico concessa, ut observant Menoch. *l. c. n. 214.* Guttier. *n. 27.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 2. n. 178.* Non denique *c. 7. qui filij sint legit.* quia ibi principalis causa de matrimonio fuit asserta Judici sacro, & altera de successione, & possessionibus seu bonis laicorum, remissa ad Regem, ut patet ex textu, & observant Covarr. *cit. §. non oberit.* Guttier. *n. 28.* & Menoch. *n. 213.*

QUÆSTIO II.

Quis sit Judex competens in petitorio, quando Ecclesia agit contra laicum?

SUMMARIUM.

576. *Petitorio quando agatur.*
577. *Causa decimarum in petitorio si quæstio juris est, privativè pertinet ad Judicem Ecclesiasticum.*
578. *Tametsi immunitas prætendatur ex privilegio, præscriptione &c.*
579. *Et licèt causa solùm incidenter tractetur.*
580. *Aut sit quæstio solùm facti.*
581. *Si tamen factum est liquidum, adiri contra laicum laicus Judex potest.*
582. *Vel Ecclesiasticus.*

576 PEtitorio agitur, si Ecclesia prætendat jus decimandi simúlque laicus, asserens sibi decimas per investituram vel privilegium esse concessas, aut consuetudine vel præscriptione immunitatem à solvendo se obtinuisse. Quæ quæstio juris est: facti verò, si quæritur duntaxat, solveritne is, quem ad solvendum constat esse obligatum;

aut

aut an fraus in solutione commissa sit, aut an furto fuerint sublati fructus vel ante vel post solutionem decimarum. Ad factum pariter pertinet, quando renuit solvere, quem constat teneri solvere; aut quando fructus indecimatos intulit horreo, quos de consuetudine debuit in agris decimare; aut quando constat, fraudem in solvendo commissam esse, vel fructus indecimatos aut decimatos furto sublatos, fraude vel negligentia corruptos &c.

177 Assert. I. Causa decimarum in petitorio, quando quæstio juris est, privativè spectat ad Judicem Ecclesiasticum. Ita omnes, etiam Legistæ, suffragante praxi Cameræ Imperialis, utpote quæ appellationes in causis decimarum in petitorio non recipit, teste Gaillio *l.* 1. *obser. 38. n. 2.* & Hartmanno Hartmanni *Pract. for. l. 2. c. 2. Miscell.* §. 11. Constat ex *Clem. 2. de Judic.* ubi causa decimarum conjungitur cum Beneficialibus aliisque ad forum duntaxat Ecclesiæ spectantibus. *c. 2. de Jur. calum.* ubi dicitur spiritualis, & *c. fin. de rer. permut.* juxta quod jus decimandi est spirituale. Eadem habentur *causâ 16. q. 1. can. 55.* & *seqq.* de causa autem spirituali solus Judex sacer cognoscit. *c. 2. & 3. de Judic. c. 3. de ord. cognit. c. 5. & 7. qui fil. sint legit. Trident. sess 24. can. 12. de Matrim.* Hinc excommun. 4. Bullæ Cœnæ SS. Pontifici reservatâ prohibetur Judicibus laicis cognitio causarum decimalium. Quæ prohibitio & excommunicatio, si unquam locum habet (uti habere debet) certè habet, quando agitur judicio petitorio. Et quamvis Suar. *disp. 11. de censur. sect. 2. n. 75.* eam tunc solùm incurri existimet, si Judex sæcularis causam decimalem invadit prætextu exemptionum & privilegiorum Sedis Apostolicæ; non verò, si absque hoc prætextu: longè tamen verius est, quod cum Duardo, Reginaldo, Alterio, ac alijs docet Palao *de censur. disp. 3. pun. 15. n. 7.* illam incurri, si causa decimalis invadatur etiam sine illo prætextu: quia textus Bullæ eum tantùm à censura eximit, qui à competente Judice sacro causam decimalem ad se avocat animo expresso supplicandi Sedi Apostolicæ &c. ergo quocunque alio titulo & fine illa avocatio fiat, censura incurritur, cùm exceptio firmet regulam in oppositum. Item censurâ illâ innodatur, qui prætextu violentiæ cavendæ avocationem facit: ergo necesse non est eam fieri prætextu exemptionis. Accedit, quòd si is non excusatur à censura, qui causam decimalem ad se trahit prætextu exemptionis & privilegij Apostolici, multò minùs excusandus sit ille, qui ne prætexit quidem privilegium, sed absolutè & tanquam ex potestate & jure proprio

proprio jurisdictionem Ecclesiæ de se competentem prætendit; cùm hic graviùs peccet, quàm ille.

378 Neque prodest laico, si postulatus decimas immunitatem opponat ex præscriptione, consuetudine, privilegio, transactione &c. aut jus decimandi prætendat titulo investituræ, privilegij, vel permutationis, quem probare intendit per testes, instrumentum, aut quasi possessionem immemorialem: tenebitur enim nihilominus respondere coram Judice sacro, uti contra nonnullos tradunt cum Rebuffo ac aliorum communi Covarr. *c.* 35. *var. n.* 2. Fagundez *l.* 3. *in quint. præc. Eccl. c.* 5. *n.* 10. Gratian. *p.* 2. *discept. for. c.* 238 *n.* 64. Canis. *c.* 18. *n.* 13. *§. quare.* Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 2. *n.* 15. Raphaël de Torre 2. 2. *q.* 87. *disp.* 8. *n.* 5. Tanner. *tom.* 3. *Theol. disp.* 5. *q.* 3. *n.* 40. Leander à SS: Sacr. *p.* 3. *Moral. tr.* 6. *disp.* 2. *q.* 31. Illust. D. Schmid *semicent.* 2 *qq. for. contr.* 25. *n.* 2. & *contr.* 26. *n.* 9. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 50. & *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 92. ubi ait, quòd si aliqui Principes sententiam contrariam in praxi observent, id illos efficere ex aliquo privilegio Pontificio: quod an re verâ habeant, id ipsis videndum esse. Et verò, qui in tali casu cognitionem Judici laico concedunt, non jure aliquo scripto, sed consuetudine Hispaniæ & Galliæ nituntur, & hanc ferè per privilegium sacræ Sedis defendunt. Ratio nostræ assertionis patet: quia quæstio, utrùm laicus immunitatem à solvendis decimis habeat aut jus eas colligendi, est quæstio juris, uti cum Speculat. Calderino, Frideric. Sen. Cassanæo, Fulgoso, Gutierez, ac alijs observant Petr. Barbosa *in l. Titia* 35. *ff. sol. matr.* Germon. *de sacr. immun. l.* 3. *c.* 19. *à n.* 89. Moneta *c.* 8. *q.* 1. *n.* 4. aliique DD. modò allegati. Jura enim laicis tam quoad immunitatem, quàm quoad jus decimandi resistunt: unde si vel hoc vel illam prætendunt, quæstio de jure est, ac titulo, æquè ac quando quæritur, quo jure quis hunc fundum possideat, aut immunitatem à tributis prætendat; titulus autem ad jus pertinet, & cognitio de jure decimarum ad Judicem sacrum. Nec tamen hîc addimus, quod Petr. Barbosa *l. c.* addendum esse ait, in laicis quoad decimas possidendas rarò dari posse titulum justum aut coloratum, si advertatur ad decisionem *c.* 7. *de Præscript. & c.* 17. *h. t.* ac idcirco injustè & cum sacrilegio videri decimas ab ijsdem possideri juxta *c.* 2. *de reb. Eccl. alien.* & *can.* 65. 16. *q.* 1. Eadem porrò ratio est de casu, quo laicus non quidem omnimodam exemptionem prætendit, sed solùm, se vi præscriptionis, consuetudinis &c. duntaxat teneri ad partem v. g. vigesimam, aut non teneri, ut tenentur alij, in agro solvere, aut sine stramine sola grana &c. Nam etiam hæc quæstio juris est, & idcirco ad cognitionem Judicis sacri

cri pertinens, ut contra Anchar. Gomes. Aufrer. & Marta obſervat Oliva *p. 3. Fori Eccl. q. 38. n.* 14. cum Petr. Barboſa, Cevall. ac alijs. Nam ſive dicas, te ad nihil teneri, ſive ſolùm ad certam quantitatem, utrimque de jure ſolvendi quæſtio eſt, cùm ſit eadem ratio de parte, quæ de toto. *l. ex aſſe ff. de hæred. Inſtit.* Unde ijdem DD. cum Azor *p. 1. l. 7. c. 25. q. 4.* Germ. *l. c.* Gratiano *cit. c.* 238. *n.* 80. Moneta *c. 8. q. 1. n. 7.* ac communi Canoniſtarum contra Covarr. Boer. ac Carol. de Graſſis inferunt, non eſſe tolerandam praxin ſecularium Judicum cognoſcentium de cauſis decimarum, cùm laici illos recuſant ſolvere Clericis, tanquam non debitas ob legitimè præſcriptam immunitatem: quia eſt quæſtio juris, utrùm præſcriptio vel conſuetudo non ſolvendi ſit valida, ac proinde juxta dicta pertinet ad jurisdictionem ſpiritualem: jus autem & jurisdictio ſpiritualis conſuetudine vel præſcriptione laicis acquiri non poteſt *c. 7. de Præſcript.* & *c. 19. h. t.* eò quòd præſcriptio quamvis longiſſima eum, qui juris capax non eſt, capacem non reddat, ut cum Joan. Andr. Panor. ac Gloſſ. *in cit. c. 7.* tradunt omnes Canoniſtæ; niſi adſit privilegiũ Pontificium, quod tamen hîc non reperitur.

579 Aſſert. II. Nequit cognoſcere Judex ſecularis de cauſa decimarum in petitorio, tametſi quæſtio ſit ſolùm incidens, & idcirco illam remittere debet ad Judicem ſacrum. Ita tenere comuniter omnes, ait Farin. *l. 1. tit. 1. q. 8. n. 25.* ſed fallitur: tenent enim aliqui contrarium. Eſt tamen noſtra aſſertio comuniſſima, confirmata praxi Imper. Cam. apud Mynſing. *cent. 1. obſervat.* 100. eſtque manifeſta ex *cit. c. 3. de ord. cognit. & cit. c. 5. ac 7. qui fil. ſint legit.*

Aſſert. III. Solius Judicis Eccle- 580
ſiaſtici eſt, quæſtionem etiam facti quoad decimas decidere, v. g. cùm quæritur, an parochianus ſolverit decimas, an integras, an fraudem in ſolvendo commiſerit &c. Ita contra Bart. Covarr. alióſque multos ſentio cum Baldo, Imola, Lapo, Fulgoſo, Gemin. ac alijs, quos allegat Moneta *l. c. n. 6.* & ſequitur Fachin. *l. c. contr. c. 44.* Azor *l. c. q. 5.* Homobon. *de exam. Eccl. p. 2. tr. 8. c. 8. q.* 24. Tannerus *tom. 3. Theol. diſp. 5. q. 3. n.* 41. Leander à SS. Sacr. *l. c. q. 30.* & Ranbeck *diſp. 2. Panopl. c. 7. coroll.* 13. *n. 6.* Ratio eſt: quia etſi ejusmodi quæſtiones ſint ſolùm de facto, ſunt tamen de re ſpirituali & Eccleſiaſtica, de qua Judex laicus cognoſcere nullo modo poteſt, & & ſacra Jura *c. 2. & 3. de Judic. ac Clem. 2. eod.* abſolutè ac ſine diſcrimine inter quæſtionem facti & juris cauſarum de rebus Eccleſiaſticis cognitionem negant Judici laico. Confir. 1. Juxta *c.* 12. *de ſent. excomm. in 6.* quæſtio *an quis ſit Clericus*, à ſolo Judice Eccleſ. definienda eſt: & tamen hæc quæſtio eſt

duntaxat facti. Confir. 2. Si Judex laicus de quæstione facti cognosceret, de quæstione juris Ecclesiasticus, continentia causarum divideretur contra *l. Nulli C. de Judic.* Ex dictis patet responsio ad rationem adversariorum, qui dicunt, esse quæstionem merè profanam, si de solo facto agitur : dato enim, quòd profana ex se sit, attingit tamen rem spiritualem, & de ea cognoscendum est in ordine ad jus & causam spiritualem.

581 Assert. IV. Si agitur de solo facto, eóque liquido, ut si parochianus negat decimas, ad quas constat eum teneri, aut si fraudem in solvendo commisit, aut si vel ipse vel tertius quispiam illas abstulit, corrupit &c. adiri contra laicum potest Judex etiam laicus, ut illum ad solutionē vel restitutionem compellat. Ita omnes, & patet cùm ex *c.21. de Homic.* tum ex ratione, quia sic Judicis laici officium non tam ad cognoscendum, quàm ad compellendum imploratur: potéstque laicus compellere ad implenda sponsalia, si de eorum valore non dubitatur, ut cum Panor. & communi observat Sanch. *l.1. de Sponsal. disp. 29. n. 9.* Item compellere potest uxorem, ut redeat ad maritum; hunc, ut repulsam recipiat, aut ut debitum reddat, si constat de valore matrimonij, ut cum Panor. Covarr. ac alijs tradit idem Sanch. *l. 9. disp. 4. n. 7.* nec non, ut servetur juramentum, quando constat de obligatione, juxta communem apud Oliva *l. c. q. 36.* item ut restituantur vel non acceptentur usuræ &c.

Assert. V. In casu modò allato 582 Judex competens est etiam Ecclesiasticus cum jure præventionis. Ita communis & certa DD. contra nonnullos, qui teste Frid. Sen. *consil. 245.* tradebant, ejusmodi causam privativè ad Judicem secularem pertinere. Contrarium constat ex *c. 5. 6. 7. & 16. h. t. c.21. de Homic. Clem. 2. de Judic.* Ubi Episcopi jubentur Ecclesiastica districtione compellere subditos ad solvendas decimas, & *c.8. de For. compet.* dicitur concessum personis Ecclesiasticis, ut malefactores suos possint, sub quo maluerint Judice, convenire, sacro videlicet vel laico. Idem traditur *can. similiter 58. 16 q.1.* & à sensu contrario sumitur ex *c. si Clericus 5. de For. compet.* Quin addunt Gerardus *singul. 96. n.1.* Covarr. *de Sponsal. p. 2. c. 8 §. 12. n. 3. & 4.* Farin. *l.1. tit. 1. q. 8. n. 25. sublim. 2.* Gravat. *ad Vestr. l. 5. c.1. n. 6.* Gratian. *cit. c.238. n.66.* post Bald. Butr. ac alios, in quæstione meri facti de re spirituali non cognoscere laicum post transmissam inhibitionem ab Ecclesiastico. Ex hactenus dictis consequens est, quòd etiam conductor decimarum laicus adire possit Judicem sacrum ad compellendos parochianos, si eas recusant solvere, aut fraudem in solvendo commiserunt; imò

etiam

etiam debeat illum audire, si quæstio juris est, ut benè observant Guttiér. *l. 3. pract. q. 26. n. 11.* Moneta *c. 8. q. 1. n. 17.* & Oliva *p. 3. Fori Eccles. q. 38. n. 26.* quia conductores, emptores, ac donatarij ratione actionis ipsis cessæ illas petunt nomine Ecclesiæ. Quin in illa quoque quæstione facti, de qua suprà *n. 580.* adire dicti cessionarij debent Judicem Ecclesiasticum: cùm agere ibi debeant, ubi agendum aliàs foret ipsi Parocho, qui decimas locavit aut donavit.

QUÆSTIO III.

Quis sit Judex in possessorio, si reus est laicus?

SUMMARIUM.

583. *Discrimen varium Causæ possessoriæ.*
584. *De causa possessoria causam proprietatis annexam habente solus Judex sacer cognoscit.*
585. *Idémque solus de causa adipiscendæ.*
586. *Cognitionem retinendæ & recuperandæ complures concedunt Judici etiam laico.*
587. *Competit soli Ecclesiastico.*
588. *Respondetur ad contraria.*

583 UT hæc quæstio, super qua magna inter DD. est contentio, ritè decidatur, distinguendum solerter est possessorium adipiscendæ à possessorio retinendæ ac recuperandæ: item causa possessoria, quæ habet admixtam rationem proprietatis, ab ea, quæ proprietatis causam admixtam non habet, sed de nuda possessione vertitur.

584 Assert. I. Quando causa possessoria decimarum admixtam habet causam proprietatis, non potest per Judicem secularem expediri, sed à solo Judice sacro examinanda est. Ita tradunt Panor. Barbat. ac alij in *c. 2. de Juram. cal.* Berojus *in rubr. de Judic. n. 51.* Covarr. *c. 35. Practic. n. 1. concl. 1.* aliique communissimè. Neque credo, aliquem dissentire: etsi enim Gaill. *l. 1. observ. 38. n. 2.* Guido Papæ *decis. 85.* Boër. *decis. 60. n. 23.* ac alij videantur tenere, causam possessoriam decimarum indiscriminatim pertinere ad Judicem etiam laicum, si tamen eorum verba benè perpendantur, apparebit, eos loqui de solo possessorio, & ubi causa proprietatis non concurrit. Neque loqui aliter potuerunt: quia possessorium judicium rei spiritualis habens admixtam causam proprietatis minimè dici potest temporale, ut loquitur Covarr. *l. c.* & patet ex *c. 3. de ord. cognit.* ac *c. 7. qui fil sint*

legit. cùm admiſtam habeat cognitionem juris ſpiritualis.

585 Aſſert. II. Si agitur etiam contra laicum poſſeſſorio adipiſcendæ, ſolus Judex ſacer eſt competens. Ita omnes, teſte Berojo *l. c.* & Menoch. *de recup. poſſ. remed. 15. n. 235.* Ratio, ut idem Menoch. ait *conſil. 268. n. 8.* eſt manifeſta, quia juxta *l. 2. §. quædam & §. ſeq. ff. de Jurisdict.* hoc judicium annexam habet cauſam proprietatis, cùm cognoſci debeat, an petens poſſeſſionem habeat titulum, quo mitti debeat in poſſeſſionem exigendi decimas. Unde hæc aſſertio eſt corollarium prioris, neceſſariâ conſecutione ex illa fluens.

586 Igitur ſolùm dubitatur de poſſeſſorio retinendæ & recuperandæ, quando videlicet is, qui eſt in quaſi poſſeſſione juris decimandi, in ea turbatur, vel eâdem ſpoliatur. Hîc verò complures ſunt, qui cognitionem tribuunt Judici etiam laico, & communem doctrinam eſſe affirmat Gaill *l. c.* ac praxi Cameræ Imp. receptam, cùm ibi in cauſis decimarum, quando ſuper poſſeſſorio cauſa movetur, citationes decernantur, & appellationes recipiantur. Rationes, quas afferunt, mox dabimus *n. 588.*

587 Aſſert. III. Judex laicus non eſt competens in judicio poſſeſſorio, tametſi ſit ſolùm retinendæ aut recuperandæ, & licèt reus ſit laicus. Ita cum Ant. Butrio, Decio, Lignano, Claro, Cravetta, Guidone, Curtio Jun. ac alijs tradunt Grat. *tom. 2. diſcept. For. c. 238. à n. 4.* Schrader. *de Feud. p. 10. ſect. 1. n. 84.* Moneta *c. 8. q. 1. à n. 10.* Barboſ. *de offic. Par. c. 28. §. 4. n. 4.* ubi plurimos adducit, Gonzal. in *c. 13. h. t. n. 4.* ubi Suarezium malè allegat in contrarium, Pirhing *h. t. n. 163.* Palao. *tr. 10. diſp. un. pun. 15. n. 8.* ubi ait, ita certiſſimè tenendum eſſe, Leander à SS. Sacr. *p. 3. Moral. tr. 6. diſp. 2. q. 33.* Leûren *p. 1. For. Beneſ. q. 497. n. 4.*

Probatur 1. ex *Clem. un. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* & *Clem. un. de ſequeſt. poſſ. & fruct.* ubi cognitio de poſſeſſione rerum ſpiritualium tribuitur Judici ſacro. Reſpondent quidem adverſarij, inde ſolùm ſequi, quòd Judex ſacer de cauſa poſſeſſionis poſſit judicare cumulativè, non verò quòd privativè & excluſo Judice ſeculari. Sed non valet reſponſio: nam ex eo, quòd Jura ſacra cognitionem in cauſa Hæreſis, Simoniæ, Juris Patronatûs, tribuunt Judici Sacro, concedunt ipſimet, quòd illa Judici ſacro privativè competat, & ex eo, quòd *Trid. Seſſ. 24. de Sacramento Matrimonij can. 12.* ait: *ſiquis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit*, inferunt omnes, quòd illæ privativè ad Judicem ſacrum ſpectent, tametſi Concilium non addat verbum *privativè*, nec apertè excludat Judicem laicum. Ergo pariter ex eo, quòd poſſeſſorij ſpiritualis

cauſam

causam Jura tribuunt Judici sacro, ritè infertur, quòd ipsi soli tribuant. Hinc Covarr. aliique passim illas Clementinas pro nostra sententia adducunt. Accedit, quòd *c. causam 7. de Præscript.* dicitur, decimas à laico detineri non posse: non aliâ ratione, quàm quòd jus decimandi est spirituale. Igitur etiam detentio seu possessio spiritualis est. Probatur 2. Qui agit possessorio recuperandæ, debet titulum saltem coloratum probare, si agitur super quasi possessione rei spiritualis, jurisdictionis, aut feudi &c. ut pluribus relatis docent Menoch. *cit. remed.* 15. *à n.* 223. 463. 458. 466. Peregrin. *de fideicomm. art.* 52. *n.* 152. Cravetta *consil.* 258. *n.* 9. Gratian. *l. c. n.* 8. Moneta *l. c. n.* 13. ac alij. Pariter in judicio retinendæ ostendendus est titulus coloratus, seu possessio, ut loquuntur, coloranda, ut tradit idem Menoch. *remed.* 3. *retin. n.* 334. *&* 335. cum Imola, Osasco, ac alijs, eósque, qui cum Panor. asserunt, necesse non esse probari titulum, ita explicat, ut sensus sit, non esse probandum plenè, probandum tamen esse coloratè. An verò titulus sit coloratus, & an sufficiat, ut quis manuteneatur in possessione, vel ut eam recuperet, quæstio non meri facti est, sed juris: atqui quæstionem juris in causa decimarum decidere nequit laicus, tametsi sit solùm incidens, ut diximus *n.* 575. Probatur 3. Causa spiritualis & quasi tractanda est à solo Judice sacro, ut constat ex Juribus adductis suprà *n.* 577. & de causa quasi spirituali, seu spirituali annexa communiter tradunt DD. *ad c. 2. ac 3. de Judic.* & *c. 3. de ord. cognit.* quòd autem possessorium rei spiritualis sit temporale, nullo solido nititur fundamento, uti fatetur Menoch. *cit. remed.* 15. *n.* 219. ubi contrariæ opinionis fundamenta evertit, asseritque Barbat. *in c. ult. de Judic.* tenendum esse pro certo, quòd propriè ac strictè quæstio possessoria rei spiritualis dicatur spiritualis. Probatur 4. Possessoria causa, & petitoria connexæ sunt, & ab eodem Judice tractandæ. *c.* 1. *de caus. poss. ff. l nulli in fin. C. de Judic.* cùm ergo causa petitorij tractetur à Judice sacro, pariter tractanda ab eodem est causa possessorij. Plures alias rationes accumulant Schraderus *cit. p.* 10. *de Feud. sect.* 1. *à n.* 84. & Curt. Jun. *de Feud. p.* 7. *q. ult. à n.* 24.

Neque obstat, quod dicunt adversarij, possessorium rei spiritualis non esse spirituale: Glossa enim in *c.* 2. *de Jur. calum.* quæ id asserit, communiter reprobatur, ut ajunt Ausrer. *decis.* 470. & Covarr. *cit. c.* 3. *n.* 1. *§. non oberit*, &, si Monetæ credimus *l. c. n.* 14. nullus magni nominis Doctor id absolutè tenet, sed ad summùm, possessorium rei spiritualis non esse merè spirituale, sed quasi. Pariter non obstat, quod dicunt, possessionem in facto con- 588

sistere, & sic cognosci de ea à laico Judice posse : etsi enim possessio *plurimum facti habet*, ut dicitur *l.* 19. *ff. ex quib. caus. major plurimum* tamen *ex jure mutuatur*, ut dicitur *l.* 49. *de acquir. poss. ff.* dicitúrque *jus rei l.* 31. § 2. *ff. de action. empt.* & *jus possessionis l.* 15. *§.* 35. *ff. de dam. infect. l.* 44. *ff. de acqr. possess. l.* 10. *C. eod. l.* 5. *C. de liber. caus. l.* 7. *C. ad L. Jul. de vi publ.* Hinc à Bart. ac alijs *in L.* 1. *ff. de acqr. possess.* definitur, quòd sit *jus insistendi rei non prohibitæ possideri*. Licèt igitur à facto pendeat, dum apprehensionem & retentionem requirit, re verâ tamen in jure consistit, cùm sit jus insistendi, & varios juris effectus habeat, nimirum usucapionem, fructuum acquisitionem, actionem publicianam, aliósque, quos enumerat Treutler. *vol.* 2. *disp.* 21. *thes.* 5. Et licèt in facto consisteret, neutiquam tamen sequeretur, quòd ad cognitionem Judicis laici pertineret, ut dixi suprà *n.* 580. cum plurimis, quos allegat Moneta *cit. n.* 14. Si tamen de solo facto eóque liquido agatur, v.g. si Clericus turbatur in sua quasi possessione juris decimandi, & nullum jus turbatori competere constet, concedendum est, adiri contra laicum posse etiam laicum Judicem, uti constat ex dictis *n.* 581. nec plus probant ea, quæ Canis. *c.* 18. *n.* 13. aliique pro Judice laico afferunr. Aliud argumentum, quod petunt ex *c. ult. de Judic. can.* 19. 11. *q.* 1. *&* *c.* 7. *qui fil. sint legit.* rejeci *n.* 575. Ad id, quod afferre solent ex *l.* 11. *§. nihil ff. de acquir. poss. l.* 17. *§. differentia, & l.* 52. *ff. eod. l.* 3. *§. fin. ff. uti possid. & l.* 21. *§. qui possess. ff. quod met. caus.* possessionem nihil commune habere cùm proprietate, benè respondent cum Aufrerio, Panor. Berojo, ac alijs Schrader. *l. c. n.* 86. Moneta *cit. n.* 14. Menoch. *cit. remed.* 15. *n.* 219. possessioni quidem nihil commune esse cum proprietate quoad acquisitionem & amissionem, item quoad hoc, quòd sententia lata in uno judicio non pariat exceptionem rei judicatæ in alio: esse tamen earum causam communem quoad cognitionem, & continentiam, quæ dividi non debet, juxta *l.* 10. *C. de Judic. & c.* 1. *de caus. poss. ff.* ac communem Interpretum apud Curt. Jun. *cit. p.* 7. *de Feud. q. ult. n.* 23. Clarum *l.* 4. *§. Feudum. q.* 90. *n.* 9. Schraderum *cit. sect.* 1. *à n.* 77. aliàs, ut discurrit Menoch. *l. c.* laicus etiam in judicio adipiscendæ competens foret, quod falsum esse dicit, & nos cum ipso diximus *n.* 585.

Denique non obstat, quod ajunt, in possessorio rei spiritualis jurari de calumnia juxta *c.* 13. *de Restit. spoliat.* quod tamen Juramentum juxta *c.* 2. *de Jur. cal.* in causis spiritualibus non indicitur, ac consequenter causam possessoriam de re spirituali non esse spiritualem. Non, inquam, hæc obstant: quia

cit.

cit. c. 13. non exigebatur juramentum calumniæ, sed malitiæ, quod longè diversum est ab illo, ac etiam in causis spiritualibus exigi potest; imò etsi in his causis juramentum calumniæ olim non exigeretur, præstari tamen modò debet, sicut in causis profanis, juxta *c. 1. §. ult. de Jur. calum. & Clem. sæpè de V. S.* & jam olim præstandum erat super exceptionibus posteà emergentibus, vel quando præsumptio erat contra excipientem, ut cum Glossa ac alijs notat Panorm. *in cit. c. 13. n. 19.*

QUÆSTIO IV.

Quis Judex in causa Decimarum sit competens, si constat, laicis competere jus eas colligendi?

SUMMARIUM.

589. *Status quæstionis proponitur.*
590. *Judex solùm sacer est competens, si agitur de decimis laico in feudum concessis.*
591. *Tametsi agatur solùm possessio.*
592. *Nec valet præscriptio vel consuetudo in contrarium.*
593. *Etiam de decimis pleno jure laico concessis judicat solus Judex Ecclesiasticus.*
594. *Decimæ etiam laicis concessæ percipiuntur titulo spirituali.*
595. 596. 597. *Occurritur contrarijs.*
598. *Quoad illas, quas ex permutatione habent laici, etiam laicus Judex est competens.*
599. *In dubio præsumitur, esse concessas in feudum.*
600. *Laicus conductor decimarum conveniri potest tam coram Judice laico.*
601. *Quàm coram Ecclesiastico.*
602. *Casu, quo solus Ecclesiasticus est competens, compromitti in arbitrum laicum non potest.*
603. *Nec in laicum jurisdictio prorogari.*
604. *Tametsi laico adsint assessores & consiliarij Clerici.*

589 TAmetsi ea, quæ præced. quæstione dixi, procedant de laicis, sive isti à clerico sive à laico conveniantur: sunt tamen, qui tenent, admitti duntaxat posse casu, quo jus laici est dubium, aut si constat, nullum ipsi jus competere; secùs, si constet, decimas per investituram aliúmve justum titulum in laicos translatas esse, vel si ex eorum quasi possessione immemoriali justus titulus præsuma-

sumatur; tunc enim, ajunt, illas censendas esse omnino seculares, ac computandas inter profana & patrimonialia bona, & idcirco litem de illis, ut de alijs bonis profanis, laico non nisi coram Judice laico intentandam esse, sive ab Ecclesia, sive ab alio laico conveniantur. Quæ ut ritè examinentur, notandum est, duplici ratione Ecclesiæ auctoritate decimas in laicos transferri posse: primò per feudum, emphyteusin, vel locationem; secundò per privilegium & absolutam donationem, aut per permutationem, quando nimirum pro decimis Ecclesia accipit à laicis alia bona vel mobilia vel immobilia pro fundandis Beneficijs, Monasterijs &c. aut in compensationem sumptuum à laicis Principibus in bonum Ecclesiæ factorum aut faciendorum v. g. contra Hæreticos aut Infideles eam impugnantes. Hoc posteriore modo tradunt Hispani DD. Catholicis suis Regibus in regno Castellæ, Legionis, & Granatæ, concessas fuisse duas tertias decimarum, quas *novenas* dicunt, quia sunt duæ partes ex toto cumulo in novem partes diviso.

590 Assert. I. Quando decimæ laicis in feudum concessæ sunt, solus Judex sacer est competens. Ita cum Rota Rom. Theologi nullo ferè excepto omnes, teste Avendanno *Thesauri Indici tit. 2. c. 6. §. 4. n. 57. & 58.* & ex Juristis Rebuff. *q.* 10. *n. 35. & 36.* Solorzanus *de Jur. Indiar. l. 3. c. 1. n. 44. & 60.* Aug. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 26. §. 4. à n. 1.* & *de Offic. Par. c. 28. §. 4. n. 3.* Pet. Barbosa *in l. 35. ff. sol. matr. n. 44.* Freder. Sen. *consil. 245. n. 1.* Tondut. *de Prævent. Judic. p. 2. c. 25.* Alexand. *l. 1. consil. 79. n. 1.* Ruin. *l. 5. consil. 142. n. 22.* Jason *l. 1. consil. 93. col. 1.* Gomes. *in c. ult. de Judic. n. 14.* Ripa *in c. 2. eod.* Gratian. *tom. 2. discept. c. 238. n. 61.* Cevallos *de cognit. per viam viol. q. 25. n. 25.* Cavalcan. *p. 7. decis. 22. à n. 17.* Oliva *cit. q. 38. n. 21.* Leander à SS. Sacram. *p. 3. tr. 5. disp. 10. p. 27.* Pirhing. *h. t. n. 163.* Leûren *For. Benef. p. 1. q. 497. n. 3.* Contrarium tenent Covarr. *c. 35. practic. n. 2. V. Tertiò quoties*, Bellug. *in Specul. Princ. rubr. 13. §. restat.* Rupel. *Instit. for. c. 25.* Molinæus *in consuet. Paris. §. 46. n. 16.* Fer. Vasq. *c. 89. n. 6.* Cassan. *in consuet. Burg. rubr. des judices §. 6. n. 350.* qui tamen cum Rebuffo *q.* 10 *n.* 39. duntaxat allegant praxin Galliæ & Hispaniæ, praxin verò privilegio Pontificio tuentur. Ratio est I, quia licèt feudum datum secularibus sit seculare, dependet tamen à jure spirituali, nimirum à jure decimarum; hoc autem jus est spirituale, ut fatentur omnes & diximus *n.* 573. Cujus rei ulterior ratio est: quia, ut discurrunt Cavalc. *l. c.* Cajet. *de Simon. q.* 1. *in fin.* Gratian. *l. c. n. 61. & 62.* quando temporale se habet ad spiri-

spirituale tanquam ad suum antecedens, & à spirituali dependet, censetur etiam spirituale & Ecclesiasticum ratione connexionis: at sic se res habet, quando decimæ conceduntur in feudum, cùm per hoc tantùm transferatur dominium utile, directo manente penes Ecclesiam. II. Nullo Jure probatur, nec ulla suadet ratio, quòd quando Ecclesia decimas in feudum dedit laicis, voluerit pariter transferre in eosdem jurisdictionem cognoscendi de decimis: etsi enim privilegium Principis latè interpretandum sit *c. olim de V. S. l. Beneficium. ff. de Constit. Princ.* id tamen non procedit, quando privilegium derogat Juri communi (uti hoc privilegium derogaret) tunc enim strictè est interpretandum, ut docet communis & certa DD. teste Panor. *in c. 3. de Consang.* & patet ex *c. Sanè* & *c. Porrò de Privil.* Neque dum Princeps concedit unum privilegium, eo ipso concedit etiam aliud diversum; atqui diversa sunt privilegia posse laicos decimas colligere, & de ijsdem posse judicare. III. Si Clericus vel Ecclesia feudum habet à seculari Principe, coram isto in causa feudi respondere debet *c. 6. & 7. de For. Comp.* ergo vicissim laicus coram Judice sacro, si feudum habet ab Ecclesia: quia hæc est natura feudi, ut vasallus respondeat coram domino directo, & tam parùm Ecclesia eximere à suo foro censetur laicum, cui feudum dat, quàm laicus Clericum; neque laicus melioris conditionis esse debet quàm Clericus. Quam rationem manifestam esse meritò dicit Illustriss. D. Schmid *cit. Semicent. 2. contr. 26. n. 6.* IV. Denique decisum & declaratum multoties fuit cùm à S. Congreg. Episcop. tum à S. Congreg. Immunitatis, teste Pignatelli *tom. 2. consult. 48. n. 7.* causam decimarum feudalium à Judice Ecclesiastico decidendam esse. At declarationes Cardinalium sunt decisivæ & vim legis universalis habent, uti cum Rota Rom. & comuni DD. tenet Ridolphin. *p. 1. Praxis Judic. c. 7. n. 85.* ac post constitutionem Gregorij XIV. extra controversiam verum esse asserit idem Pignatelli *tom. 5. consult. 5. n. 30.* nemóque in dubium facilè vocat, quando hujusmodi declarationes sæpius & uniformiter super eodem articulo factæ sunt, ac secundùm eas à Rota Romana judicatum constanter fuit: quorum utrumque in præsenti casu factum est. Ratio patet: quia uniformitas responsorum & sententiarum super eadem causa stylum & praxin Curiæ inducit, uti notum est; stylus autem & praxis Curiæ jus facit, juxta *l. fin. C. de LL.* & *C. quàm gravi 6. de Crim. Falsi.* Cæterùm assertio procedit de Feudo etiam improprio: nam etiam in hoc idem jus servatur, quod in Feudo proprio, ut tradit communissima DD. quam refert

& sequitur Schraderus *cit. p. 10. sect. 1. n. 97. & sect. 5. n. 29.* Idem dicendum est de decimis laico in emphyteusin concessis aut locatis, ut ex Rotæ Rom decisione & rationibus fusè probat Diana *p. 4. tr. 1. resol. 56.*

591 Assert. II. Prædicta assertio non solùm locum habet, si agitur Judicio petitorio, v. g. si ex duobus laicis uterque prætendat jus decimandi; sed etiam, si agitur possessorio. Ita DD. *n. 584. 585. & 586.* allegati, éstque communis sententia, quam latè propugnant Curt. Jun. *p. 7. de Feud. q. 6. à n. 23.* & Schrader *tr. eod. p. 10. sect. 1. à n. 88.* quòd causa possessorij feudalis terminanda sit coram domino feudi, sicut causa petitorij. Rationem dedimus *cit. n. 585. & 587.* & rationes contrarias dissolvimus *n. 588.*

592 Assert. III. Secluso privilegio Ecclesiæ non valet consuetudo, vel præscriptio, vi cujus Judices seculares ad se trahunt causas decimarum in feudum concessarum, tametsi eæ agitentur inter seculares. Ita Azor *p. 1. l. 7. c. 25. q. 3. §. Hoc posito.* Fagundez *l. 3. in 5. Præcept. Eccl. c. 5. n. 6.* Petr. Barbos. *l. c. n. 39.* Gratian. *l. c. n. 52. & 69.* Quin etiam ij, qui in dato casu jurisdictionem laico concedunt, se ferè tuentur solo privilegio Pontificio, quod Philippo Pulchro Galliarum Regi ajunt esse concessum. Addunt Azor, Fagundez, & Avendanno *ll. cc.* hìc neque tolerantiam SS. Pontificis sufficere: quia iste, ut ajunt, non tolerat id, quod fit in tribunalibus Principum secularium, cùm sæpè reclamet; aut quid fiat ignorat; aut si scit & tacet, id facit invitus, & quia absque perturbatione Reipublicæ & majoris mali metu impedire non potest. Ratio porrò nostræ assertionis est: quia dicta potestas judicandi est sacra, ut constat ex dictis; sacra autem potestas & Jus acquiri laicis non potest consuetudine aut præscriptione, ut fatentur omnes, cùm ejusdem sint incapaces, & capacitatem secluso privilegio Ecclesiæ, non det consuetudo & præscriptio, sed supponat.

Assert. IV. Tametsi decimæ ali- 593
cui laico concessæ fuerint non in feudum, sed simplici & absoluta donatione ac privilegio, solus nihilominus Judex sacer de ijs cognoscere potest. Sic contra multos sentiendum puto cum Suarez *cit. c. 38. n. 17.* Azor *l. c.* Fagundez *l. c. n. 6. & 7.* Germon. *l. 3. de sacr. immun. c. 19. n. 9.* Moneta *l. 8. q. 1. n. 15. §. quidem.* & Ranbeck *l. c. n. 8.* Ratio patet ex dictis *n. 590.* quia tametsi fructus decimales donentur laicis, jus tamen eos percipiendi semper dependet à jure directo, quod est penes Ecclesiam, eidémque manet connexum: ergo tanquam accessorium sequitur principale. Accedit 1. quòd jurisdictio in causas decimales indubitatè pertinet ad Judicem sacrum, quam non

non censetur Ecclesia transferre in laicos solùm per hoc, quòd in eos transfert decimas, ut *cit. n.* 590. diximus, & sic non transfert, nisi in concessione decimarum id exprimat *arg. c. 3. de Capell. Monach.* præcipuè cùm per concessionem decimarum voluerit compensare merita secularium, aut subsidia ijsdem conferre ad ipsam propugnandam: quem in finem sufficiunt & à laicis solùm expetuntur proventus temporales, absque eo, ut necesse sit vel expediat ipsis concedi etiam jurisdictionem, quæ de se soli competit Ecclesiæ. Accedit 2. quòd privilegij interpretatio pertinet ad concedentem *c. cùm venissent de Judic.* Unde, uti observat Zypæus *de Jurisdict. l. 1. c. 39. n. 3.* videmus *tot. tit. de Decim.* quòd tam Concil. Lateran. quàm Pontifices plurima statuerint de decimis in laicos translatis. Ex quo patet, uti etiam ex *can. 3. §. 6. caus.* 10. *q.* 1. *can.* 55. 56. 57. *&* 59. *caus.* 16. *q.* 1. *ac q.* 7. *can.* 1. 2. 18. *&* 22. quòd Ecclesia sibi reservàrit potestatem de jisdem judicandi.

594 Assert. V. Etsi concederetur verum esse, quod, ut modò dixi, multi tenent, de decimis judicare esse Judicis laici, si illæ laicis non in feudum, sed speciali privilegio & absoluta donatione concessæ sint, neutiquam tamen sequeretur, quod nonnulli prætendunt, de decimis, quæ justo titulo sunt penes laicos, universim ac absolutè judicare posse Judicem laicum, eò quòd, ut ajunt, hujusmodi decimæ sint omnino secularizatæ, & instar bonorum patrimonialium jure proprietatis & dominij absoluti à laicis possideantur. Ratio patet: quia prorsus gratis & contra veritatem asseritur, hujusmodi decimas omnino avulsas esse à jure spirituali, & tanquam bona patrimonialia in absolutum dominium laicorum transijsse. Nam certum est primò, quòd Jura & DD. quando agunt de concessione laicis factâ ante sæpiùs allegatum Concilium Lateran. tantùm faciant mentionem de concessione in feudum, ac idcirco supponunt, quòd absolutè donatæ non fuerint, ut dixi suprà *n.* 505. & 465. ubi hanc in rem testimonium Friderici Barbarossæ Imperatoris produxi, ac constat ex *c. 7. de his quæ fiunt à Prælat. c. 2. & 3. h. t. in 6. c.* 25. §. 2. *eod.* Episcopi verò, saltem post illud Concil. Lateranense, non poterant illas in feudum laicis dare, multò minùs omnino alienare. Ipsi quoque SS. Pontifices rarò aut nunquam, saltem post dictum Concilium, eas Principibus & Magnatibus in feudum concesserunt: multò minùs legitur, quòd eas absolutè donarint (nisi fortè Hispaniæ Regibus illas tertias, de quibus paulò antè *n.* 589) sed aliquando solùm concesserunt, & quidem duntaxat ad certum tempus, idque breve, pro aliqua præsenti vel urgente necessitate & impensis

belli sacri, ut constat ex ijs, quæ tradunt Petr. Gregor. *l. 2. Syntag. Jur. c. 20. à n. 3.* Em. Gonzal. *in c. 19. h. t. n. 5.* Bern. van Espen *p. 2. Jur. Eccles. tit. 33. c. 4.* ac alij. Illud certè receptum est inter DD. ut mox dicam *n. 598.* in dubio præsumi res Ecclesiæ (quales sunt decimæ) potiùs in feudum esse concessas, quàm absolutè donatas. Certum est secundò, quòd illæ quoque decimæ, quas colligunt laici, percipiantur titulo spirituali, cùm fideles non alio ex capite eas debeant & solvant, quàm quia sacra ipsis ministrantur ab Ecclesia, & in signum supremi dominij Divini ac agnitionem DEI ut auctoris omnium fructuum ac bonorum: qui titulus, ut patet, est spiritualis. Et eodem hoc titulo percipiuntur decimæ, cùm *accipere* & *dare* sint correlativa, nec alio jure ac titulo accipi quid possit, quàm quo datur. Hinc, ut benè observant S. Thom. *2. 2. q. 87. a. 3. ad 3.* & *q. 100. a. 4. ad 3.* & cum ipso Cajetan. idémque S. Doctor *quodl. 2. art. 8. in fine*, Sotus *de Just. l. 9. q. 4. art. 3. ad 3. arg.* & *q. 7. a. 1.* Bald. *l. 5. consil. 274. n. 1.* & *in l. si usus fr. ff. de jure Dot.* Petr. Barbos. *ad l. 35. ff. sol. matr. n. 43.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 5.* Suar. *c. 25. à n. 6.* Azor *p. 1. l. 7. c. 25. q. 11.* ac communiter alij, jus percipiendi fructus decimales semper manet penes Ecclesiam, & laicis solùm conceditur, ut titulo & nomine ipsius illos colligant. Ex quo consequens est primò, verum non esse, quod asserit Prænob. D. de Clingensperg *assert. 89. n. 1. de Decim.* in Bavaria vix ullas decimas possideri à secularibus jure feudi à SS. Pontifice, sed præcisè jure proprietatis atque dominij absoluti: partim quòd hujus absoluti dominij probatio ne quidem in speciem afferri potest: partim quòd obstant, quæ modò dixi, cùm apertũ sit, dominiũ directum ac absolutũ penes laicos esse nõ posse, si Ecclesia illud habet, & laici ejus duntaxat nomine fructus decimales percipiũt, præcipuè cùm jure duntaxat feudi laicis concessi sint. Sequitur secundò, Ecclesiasticum duntaxat Judicem in causa decimali esse competentem: quod etiam *n. 560.* ex ratione & plerorumque DD. auctoritate ostendi, quibus ij, qui contrarium tenent, solam consuetudinem opponunt, & hanc defendunt per privilegium Pontificium, vel per concordata cum Episcopis, ut in Belgio, teste Bern. van Espen *p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 4. n. 40.*

Neque obstat, si quis dicat, nulla obsequia à laicis decimatoribus tanquam vasallis Ecclesiæ præstari, & per consequens, eos decimas, quas percipiunt, in feudum non habere. Nam constat in primis, feuda quædam esse franca. Constat secundò ex dictis *n. 465.* concessas esse laicis decimas cum onere, ut Ecclesiam defenderent, & sic sua ipsi obsequia, ubi requisita fuerint, præsta-

præstarent. Constat tertiò, præscribi illis obsequijs, quæ in concessione feudi requirebat Ecclesia, à laicis potuisse. Constat quartò, etiam de facto non esse liberos decimatores à quibusdam obsequijs Ecclesiæ præstandis, ut diximus *n.* 505.

596 Pariter non valet, si dicatur, laicos decimatores de suo jure disponere pro arbitrio juxta dicta *n.* 509. eósque hac ratione habere absolutum decimarum dominium, & consequenter cùm hoc jus profanum sit, de eo cognoscere esse Judicis laici. Nam in primis arbitraria hæc & libera dispositio, nullo jure scripto, sed solà consuetudine nititur: unde ex ea non debet nec potest præjudicium afferri jurisdictioni, quæ competit Ecclesiæ in causis decimalibus. Secundò tametsi concederetur, facultatem disponendi pro arbitrio de decimis concessam fuisse ab Ecclesia laicis, vel ab his legitimâ præscriptione aut consuetudine acquiri potuisse, neutiquam tamen sequitur, laicos absolutum 597 jus decimarum habere, cùm constet ex dictis *n.* 544. jus ipsum decimandi semper manere penes Ecclesiam, ejúsque duntaxat nomine & titulo fructus à laicis percipi. Pariter non sequitur, datum aut acquisitum fuisse laico Judici jus cognoscendi de decimis, ut constat ex dictis *n.* 590. 592. *& seqq.*

597 Hinc consequens est, verum non esse, quod absolutè & sine limitatione asserit Aug. Barbosa *in c. 5. de Foro compet. n. 6.* coram Judice laico agendam esse causam, si laicus de utili tantùm dominio rei Ecclesiasticæ aut de causis circa ipsum motis conveniatur; &, quod asserit Valascus *tom. 2. consult. c. 134. n. 13.* dominium utile rei Ecclesiasticæ esse profanum, & debere judicari legibus laicorum. Auctores, quos allegant, non id dicunt, quod ipsi asserunt, sed tantùm loquuntur de quibusdam Statutis laicorum non præjudicantibus Ecclesiæ jurisdictioni ac juribus; in specie verò de Statuto excludente feminas ab emphyteusi, quod ajunt procedere etiam de emphyteusi Ecclesiastica. Ex quo neutiquam sequitur, quod illi duo Doctores prætendunt. Ipse Barbosa *ll. cc. n. 590.* quoad decimas laico in feudum concessas contrarium asserit, & cum communi aliorum tenet, solum Judicem Ecclesiasticum tunc esse competentem, quamvis agatur de utili laicorum dominio.

598 Assert. VI. Si decimæ in sæcularem Principem auctoritate SS. Pontificis translatæ sunt contractu permutationis, quia videlicet seculares re alia vel æqualis vel majoris valoris eas compensàrunt Ecclesiæ, causa hujusmodi decimarum tractari potest à Judice laico. Ita Azor *l. 7. c. 25. q. 3. in fine.* Tanner. *cit. q. 3. in fine*, Fagundez *cit. c. 5. n. 7.* Moneta *cit. c. 8. q. 1. n. 15. § Et quidem.* Leander *l. c. q. 28.* Gratian.

l.c. n. 83. nec invenire licuit quempiam dissentientem: Ratio patet: quia in tali casu decimæ absolutè transferuntur in laicum, fiúntque bonum profanum, cùm maneat Ecclesiæ suum jus integrum in re subrogata & permutata, adeò ut hæc sortiatur conditionem decimarum, in quarum locum ipsa est substituta. Hæc tamen assertio (quod benè notandum est) non patrocinatur laicis trahentibus ad suum forum causas decimales. Neque enim dicere possunt, decimas, quas colligunt laici, in ipsos translatas per contractum permutationis, & sic omnino secularizatas, seu profanas redditas fuisse. Nam in primis decimæ, saltem pleræque, in feudum duntaxat laicis concessæ sunt, ut constat ex dictis *n.* 594. ac æquiparantur jurisdictioni; ut ex Bertach. & Baldo observat Moneta *cit. §. Et quidem.* Jurisdictio autem propriè conceditur in feudum, ac in dubio præsumitur feudalis, saltem si ab Ecclesia concessa est: quin universim res Ecclesiæ in dubio censentur potiùs infeudatæ, quàm simpliciter donatæ, aut permutatæ, ut post Baldum, Jason. Ruin. Alciat. Curt. Jun. ac alios tradunt Gabrielius *l. 3. tit. de Feudis concl. 3. n. 4.* Menoch. *l. 3. præsumpt. 91. à n. 59.* Intrigol. *tr. de Feud. q. 43. à n. 78.* & Moneta *l.c.* quia natura rerum Ecclesiæ est, ut non possint alienari, sed faciliùs in feudum concedantur: unde potiùs præsumitur infeudatio, quàm libera concessio, ut discurrit Menoch. *n. 60.* Accedit, quòd nulla prorsus sit ratio dicendi, decimas ex permutatione ad laicos pervenisse. Nam Ecclesia causam non habet contractu oneroso eas alienandi & permutandi cum latifundijs aliisque bonis vel immobilibus vel mobilibus laicorum, cùm regulariter utilius ipsi sit habere decimas, quàm alia bona quòd earum proventus est stabilis, & litibus, impensis, curæ administrationis &c. minùs subjectus, quàm aliorum bonorũ. Hinc nemo facilè inveneri aliquod instrumentum, quo hujusmodi permutatio facta esse probetur. E contrario innumera extant instrumenta, quibus evincitur, Principes ac Magnates sua bona liberaliter & absque ulla compensatione Ecclesiæ pro Monasteriorum, Cathedralium ac Collegiatarum Ecclesiarum, Beneficiorum, aliisque pijs fundationibus donâsse, nec aliud inde commodum quæsijsse, quàm Juris Advocatiæ & Patronatûs, vel certè modicam duntaxat pensionem & censum annuum in signum gratitudinis, ut vel solam Hundij Metropolim Salisburgensem legenti patebit.

Duo ex modò dictis necessariò 589
sequuntur. Primum est, quòd si laici prætendant, se decimas habere ex donatione Ecclesiæ, vel permutatione, ac propterea earum causam esse profanam & fori laici, id pro-

probare teneantur, cùm præsumptio stet contra ipsos, videlicet decimas esse feudales, seu in feudum concessas, uti cum allegatis DD. notat Bern. van Espen *p. 2. Jur. Eccl. tit. 33. c. 4. n. 41.* Alterum est, vanum esse & omni fundamento destitutum assertum, jam suprà *n. 594.* rejectum, quando videlicet dicitur, decimas, quas percipiunt laici, esse omnino secularizatas, & plenum earum ac absolutum ipsos dominium habere, sicut aliorum bonorum allodialium: in dubio enim, ut dixi, præsumitur, quòd sint solùm in feudum concessæ, & consequenter ut locum haberet illud prætensum dominium absolutum probari deberet, illas ex permutatione in laicos transijsse: quod probari nunquam poterit & sic suâ Ecclesiæ privativa in causas decimales jurisdictio inconcussa stabit juxta dicta *n. 590. & seqq.*

600 Assert. VII. Laicus Conductor decimarum conveniri potest coram Judice laico, nisi inter ipsum & locatorem expressè convenerit, ut conveniri nequiret, nisi coram Judice sacro, aut tantùm coram isto de consuetudine loci conveniendus sit. Procedit assertio etiam tunc, quando actor seu locator est Clericus. Ita traduntDD. communiter cum Covarr. *c. 3 5. pract. n. 2. §. quintò.* Gutier. *l. 3. pract. q. 26. n. 10.* Gratian. *l. c. n. 11.* Fagundez *cit. l. 3. c. 5. n. 11.* contra Azor *t. c. q. 6.* Diana *p. 1. tr. 2. resol. 94.* Leandrum *l. c. q. 32.* qui cum Raphaële de Torre & Tannero tenent, solum Judicem sacrum adiri posse. Ratio communis sententiæ patet ex dictis *n. 581.* quia hîc, ut ponimus, agitur non de jure, sed de solo facto, eóque liquido: non enim causa movetur, ut colonus decimam, sed ut conductor decimæ laicus, qui vi contractûs jam percepit fructus, pretium conductarum decimarum solvat. Neque valet, si pro Azorij opinione obijciatur, quòd merces locationis subrogetur ipsis decimis, subrogatum autem sapiat naturam ejus, cui subrogatur; cùm ergo cognitio de decimis pertineat ad Judicem sacrum, hujus pariter esse cognitionem in causa mercedis: constat enim ex dictis *n. 581.* posse laicum cognoscere de facto ipsarum decimarum; poterit igitur à fortiori adiri, si solùm agitur contra earum conductorem, ut hunc ad solutionem mercedis compellat.

Assert. VIII. In casu modò posito adiri potest etiam Judex Ecclesiasticus, ut contra Covarr. & Gutier. *ll. cc.* ac Oliva *cit. q. 38. n. 25.* tenent Germon. *de sacr. immun. l. 3. c. 19. n. 97.* Gratian. *l. c. n. 16. & 81.* Austrer. *de Potest. laic. super Eccl. Reg. 4. fallent. 19. & 27.* Frid. Sen. *consil. 245.* Moneta *c. 8. q. 1. n. 17.* ac, isto teste, communiter alij, estque assertionis veritas manifesta ex *can. Indicatum 5. dist. 89.* & *c. Cùm sit 8. de Foro comp.* Ratio est: 601

est: quia etsi hujusmodi quæstio sit facti, oritur tamen ex decimarum jure, cujus cognitionem ad Judicem sacrum spectare manifestum est, qui propterea non est incapax cognoscendi de facto, quod ex jure spirituali oritur: præsertim cùm venerabilium Ecclesiarum rectores suos malefactores possint, sub quo maluerint Judice (sacro videlicet vel sæculari) convenire, ut dicitur *cit. c. 8.* Neque obstat, quod Covarr. & Gutier. objiciunt ex *c. si Clericus 5. de Foro comp.* laicum à Clerico conveniendum esse coram Judice laico: quia ibi est sermo solùm de casu, quo laicus convenitur de rebus, quas Clericus prætendit esse Ecclesiæ, laicus verò ex probabili causa asserit esse suas; hìc autem sermo est de re, quæ etsi propriè spiritualis non sit, consequitur tamen ad rem spiritualem, & ad jus decimandi, quod certum est esse penes Ecclesiam; neque laicus, ut ponimus, negare potest, sa eam Ecclesiæ debere. Hinc post Cardin. Panor. Butr. Felin. ac comunem aliorum tradunt Gratian. *l. c. n. 17. ac 18.* & Moneta *l. c.* universim laicum conveniri posse coram sacro Judice ex locato, legato, similique actione personali, quæ aliquo modo respiciat rem ipsam Ecclesiasticam; quòd tunc, ut ajunt, actio non sit merè personalis, sed concurrat cum reali, ac idcirco propter concursum realis trahatur ad ejus naturam, juxta *l. 86. §. si tu ff. ad l. Falcid.*

Assert. IX. Quando solus Judex Ecclesiasticus in causa decimarum est competens, uti est in casibus relatis *n.* 573. 574. 577. 578. 579. 580. 584. 585. 587. 590. 591. 593. 594. non potest in laicum arbitrum compromitti. Ita Cardin. *consil. 94.* Borell. *tr. de Compromiss. §. 1. gl. ff. 2. n. 324. & §. 2. gloss. 1. n. 72.* Selva *de Benefic. p. 2. q. 23. col. 3. v. 6.* Gratian. *l. c. n. 38.* Moneta *c. 8. q. 1. n. 20.* Gilhausen *in arb. Judic. Civ. c. 1. p. 3. §. 3. n. 3.* Lanfranc. *de Compromiss. tr. 3. n. 24.* Redoan. *de reb. Eccl. c. 64. à n. 8.* Hunn. *Jur. Can. tit. 2. c. 7. num. 13.* ac re ipsa omnes DD. communi consensu tradunt, in causis privativè ad Judicem sacrum pertinentibus tam parùm laicum arbitrum quàm Judicem adiri posse: éstque apertè definitum *c. 2. de Judic.* ubi decernitur, ut laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant: *c. 3. eod.* ubi decisio causæ Juris Patronatûs solis Ecclesiasticis competere dicitur, eò quòd sit connexa spiritualibus causis: ac *c. 8. de arbitris*, ubi generaliter prohibetur, ne super rebus spiritualibus, id est, ad Judicium Ecclesiæ privativè pertinentibus, compromittatur in laicum. Et quamvis Covarr. *de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 12. n. 2.* & Gratian. *l. c. n. 42.* cum Alexandro, Felino, Anchar. Ruino, Mandos. 602

Mandos. ac alijs existiment, posse in his causis laicum esse arbitratorem, videtur tamen melius id negari à Borello *cit. glossa* 1. *n.* 82. Barbatio *in c.* 2. *de Judic. n.* 5. Moneta *l. c. n.* 29. post Panorm. Roman. ac alios: quia *cit. c.* 2. omnino prohibentur laici negotia Ecclesiastica tractare, præsertim quæ spiritualia esse noscuntur. Et quamvis verbum *tractare* non excludat nudum ministerium, excludit tamen causæ cognitionem & decisionem. Duo tamen hîc concedimus. Primum est, posse compromitti in laicum simul & Clericum, aut in Clericum & duos laicos, si accedat auctoritas Episcopi ejusmodi compromissum permittentis, ut constat ex *c.* 9. *de arbitris.* Esse verò Episcopi auctoritatem necessariam, cum communi DD. fusè tradunt Barbosa *in cit. c.* 9. *à n.* 3. Emman. Gonzal. *in c.* 8. *eod. n.* 6. ac sumitur ex *eod. c.* 9. ubi illud arbitrium fuit admissum, quia auctoritate Archiepiscopi fuerat approbatum. Alterum est, posse compromitti in laicum, si non de ipso jure decimarum, sed solùm de fructibus agatur, uti sumitur ex *c. vestra* 2. *de locat.* Ratio est: quia fructus decimales laicis locari possunt, ut constat ex dictis *n.* 492. & 493. ac super ijsdem transigi potest, ut suprà dixi *à n.* 317. & *à n.* 429.

603 Assert. X. De causis decimarum, in quibus solus Judex sacer est competens, non potest cognoscere laicus, tametsi partes in ipsum consentiant. Sic cum communi tradunt Gratian. *l. c. à n.* 34. & Menoch. *l.* 3. *consil.* 268. *à n.* 18. contra Cravettam *consil.* 258. *n.* 4. qui Anchar. *consil.* 98. *col.* 1. malè allegat. Ratio patet: quia partes suo consensu Judici non suo non possunt prorogare jurisdictionem, cujus ipse capax non est: neque enim prorogatio est collatio jurisdictionis de novo, sed solùm extensio; ac idcirco Judex, in quem consentiunt, debet antecedenter habere talem jurisdictionem, qualem ex genere suo requirit causa, ad quam decidendam ipsi fit prorogatio, videlicet spiritualem, si ad spiritualem causam fit prorogatio; criminalem, si ad criminalem &c. ut cum Bart. *ad l.* 1. *ff. de Judic. n.* 9. tradit communis, atque sic intelligunt legem *Privatorum* 9. *C. de Jurisdict.*

Assert. XI. Curiæ Principum 604
secularium cognoscere nequeunt de decimis, tametsi inter Assessores & Consiliarios sint Clerici. Ita Rebuff. *q.* 10. *n.* 36. Gratian. *cit. c.* 238. *à n.* 35. Fagundez *l. c. n.* 4. Azor *l. c. q.* 2. aliique, nemine dissentiente. Ratio patet: quia juxta *c.* 31. *h. t.* initium considerandum est; initium autem jurisdictionis illi habent à Principe seculari, qui cùm jurisdictionem sacram non habeat, nec laicis nec Clericis eam dare potest. Et quidem, uti notat Rebuff. *n.* 37. assertio procedit, sive in-

ter Clericos agatur sive inter laicos, sive principaliter sive solùm incidenter : quia juxta *c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. 2. de Jur. calum.* ac *Clem. Dispendiosam de Judic.* Panor. & DD. *ibi*, laicus de Ecclesiasticis rebus cognoscere nullo modo potest, nisi à SS. Pontifice potestatem habeat.

QUÆSTIO V.

Quis sit Judex competens in Causa Decimarum juxta Concordata & Statuta Bavariæ.

SUMMARIUM.

605. *Verba Concordatorum recitantur.*
606. *Solus Judex Ecclesiasticus est competens, si Clericus est reus.*
607. 608. *Solvuntur opposita.*
609. *Solus item Ecclesiasticus est competens in dubio, utrùm decimæ sint laicales.*
610. *Item, si concessæ sunt in feudum aut emphyteusin.*
611. *Nec non in causa possessionis admixtam habente causam proprietatis.*
612. *Et quando Parochus agit etiam contra laicum possessorio adipiscendæ.*
613. *Judex etiam laicus est competens, si agitur possessorio retinendæ vel recuperandæ, & causa proprietatis non concurrit.*
614. *Aut, si decimæ ex causa permutationis in laicos translatæ sunt, vel absolutâ donatione.*
615. *Aut, si de solo facto agitur.*
616. *Ita tamen, ut etiam Ecclesiasticus Judex sit competens.*
617. *Refellitur opinio contraria.*
618. *Adiri Judex Ecclesiasticus potest, tametsi decimæ effectæ sint juris laici, & lis sit inter laicos.*
619. *Occurritur contrarijs.*
620. *Decimæ à laicis ad Ecclesiam reversæ resumunt primævam naturam.*
621. *Etiam absque voluntate laicorum.*
622. *Conveniri nequit Clericus coram laico, tametsi decimas habeat titulo patrimonij.*

605 DE Judice causarum Decimalium quæ hactenus dicta sunt, procedunt juxta Jus commune. Ab isto cùm nonnihil recessum sit per Concordata, inter Serenissimos Bojcæ Duces ac Episcopos, qui in illa sunt Ordinarij, præsente & approbante Legato Pontificio Anno 1583. inita, idcirco quid vi horum Concordatorum circa jurisdictio-

nem

nem harum causarum tenendum sit, explicandum restat. Sic autem in illis *art. 5. §. 3.* statutum est: *Sic etiam in causarum Decimalium cognitione Ordinarijs jus suum conceditur. Ea tamen in certis casibus à Jure permissis, ad sæcularem quoque Magistratum spectant, puta in ijs decimis, quæ jam effectæ sunt juris laici; ac ubi uterque, vel reus tantùm laicus est; item in Contractibus Decimalibus temporanijs, scilicet, ubi fructus tantùm Decimarum ad tempus venditi, locative sunt; atque etiam in casu soluti vel non soluti; & in possessorijs, ubi nuda facti quæstio est, nihilque proprietatis admixtum continetur, & similibus casibus, de quibus ad Jus ejúsque Interpretes ratio habebitur.* Quæ Conventio in Statuta Bavarica *tit. 28. art. 17.* translata est, & ibidem approbata. Ex ea sequentes assertiones legitimâ & necessariâ consequentiâ deducuntur.

606. Assert. I. Solus Judex sacer est competens, si Clericus est reus; sive ab alio Clerico, sive à laico conveniatur; sive lis sit super proprietate sive super possessione; sive super ipso jure decimandi sive super fructibus tantùm; & licèt solùm agatur super facto, v.g. an Clericus contractum inierit cum laico, an solverit, quas debet, decimas, quam mercedem locationis pactus fuerit, an illam à conductore acceperit &c. Assérti veritas patet ex dictis *n. 573. & seqq.* eámque latè propugnat Illustriss. D. Schmid *qq. For. semicent. 2. contr. 25. à n. 6. contr. 26. n. 10. & 11. & ad Stat. Bavar. tit. 28. art. 17. n. 7. ac 9.* ubi asserit, Hæreticum esse, qui dicit, Clericum in causis possessorijs conventum judicio seculari subjacere; cùm omne judicium personam Clerici attingens reservatum sit tribunali Ecclesiastico. Addit, nimis mirabile sibi visum fuisse, quòd dicasteria quædam in causis possessorijs jurisdictionem ad secularia tribunalia pertinere mordicus defendant, tametsi judicium possessorium super decimis consistat inter duas personas Clericales: húncque errorem tam manifestum esse ait, ut manibus palpari possit. Præiverat Covarruvias allegatus suprà *n. 573.* qui dicit, constitutissimum esse, quòd Judex laicus tractare non possit causam temporalem contra Clericũ; ac opinionem, quæ de possessione rei spiritualis vel quasi spiritualis cognitionẽ concedit laico, esse destitutam omni legum ac Canonũ auxilio ac falsam. Eandẽ censuram fert Oliva *p. 1. Fori Eccl. q. 8. n. 64.* Accedit clara decisio Statutorum Patriorum *cit. art. 17.* & Recessûs Concordatorum: quando enim ibi laico conceditur cognitio de decimis, quæ sunt effectæ juris laici, mox additur: *ubi uterque vel reus tantùm laicus est.* Quibus verbis à communi SS. Canonum regula, quòd causa decimalis tan-

tùm ad Judicem sacrum pertineat, excipitur casus, quo laicus est reus: igitur si Clericus est reus, cognoscere poterit solus Judex sacer, cùm exceptio firmet regulam in oppositum.

607 Dices I. In Concordatis duo distincti casus proponuntur, quibus Judex etiam laicus in causa decimarum est competens. Primus de decimis, *quæ jam sunt effectæ juris laici.* Alter, *ubi uterque vel reus tantùm est laicus.* In primo non fit mentio de laico reo, sed absolutè traditur, cognoscere Judicem laicum, si decimæ sunt effectæ juris laici: ergo sive laicus sive Clericus in hoc casu reus sit, cognitio erit Judicis laici. R. cum Illust. D. Schmid *cit. contr. 26. n. 10.* hanc interpretationem esse incongruã, & ex citatis Recessûs verbis malè formari duos distinctos casus, cùm sit unicus, & verba copulativè sumenda sint, ita ut sensus sit, quòd laicus possit esse Judex in causis laicalium decimarum, si uterque litigantium, vel reus saltem laicus est: apertum enim est ex verbis Recessûs, quòd concordantes Principes rationem Juris & Interpretum haberi voluerint, & potestatem judicandi laico solùm permiserint *in certis casibus à Jure permissis.* at nullum jus permittit, ut Clericus ad Judicem laicum trahatur, uti patet ex Juribus allegatis *n. 573.*

608 Dices II. cum Fontanella *tom. 2. decis. 321. n. 7.* In possessorio retinendæ reus dicitur is, qui intentat istud remedium: ergo si Clericus in possessione decimarum turbat laicum, & hic contra Clericum illo remedio agit, adiri poterit Judex laicus, quia in tali casu reus est laicus, cujus forum sequi debet Clericus R. antecedens esse falsum, & contrarium tam à DD. supponi, ut constat ex ijs, quæ tradit Menoch. *remed. 3. retin. n. 347.* quàm à tribunalibus practicari, dum qui turbat alterum in possessione, coram suo Judice tanquam reus convenitur: nam reus est is, qui convenitur; actor, qui convenit, seu ad Judicium provocat *l. 13. & 29. ff. de Judic.* atqui is, qui intentat possessorium retinendæ, ad Judicium provocat, & is, cui intentatur, convenitur. Ratio, quam addit Fontanella dicens, ideò eum, qui hoc interdictum intentat, reum esse, quia possidet, vana est: neque enim locator, deponens, vel commodans reus est, sed actor, quando agit contra inquilinum, colonum, depositarium, commodatarium, tametsi possideat & civiliter per se & naturaliter per inquilinum, depositarium &c. *§. possidere 5. Inst. de Interdict. l. 3. §. 8. & 9. ac l. 18. prin. ff. de acqr. poss. l. ult. C. eod.* ac propterea inquilinus, depositarius &c. ex defectu possessionis præscribere nequeant. *l. 2. & Gloss. ibi. C. de Præscript. 30. ann.* Aliæ quoque rationes, quæ hîc afferri solent pro laico actore contra Clericum reum,

um, infirmæ prorsus sunt ac nullæ, ut constat ex dictis *n. 575.*

609 Assert. II. Si lis est inter laicum & Clericum super decimis, illo contendente esse laicales, hoc verò negante, solus Judex sacer est competens. Patet ex dictis *n. 578.* ac præter ibi enarratos DD. tradit Illustriss. D. Schmid *ad Stat. Bavar. tit. 28. art. 17. n. 2. ac cit. contr. 25. n. 2. & contr. 26. n. 9.* ubi testatur, hujusmodi causam in Bavaria à judicio seculari remissam fuisse ad Ecclesiasticum. Remitti debuisse constat cùm ex rationibus *cit. n. 578.* allatis, tum ex Recessu Concordatorum, quia ibi cognitio Judici laico solùm conceditur, quando decimæ sunt effectæ juris laici, aut quando est quæstio de nuda possessione nihil proprietatis admixtum habente: at in casu assertionis non constat, decimas esse juris laicalis, estque quæstio super proprietate, & jure, quo videlicet titulo laicus eas prætendat. Accedit, quòd decimæ præsumuntur esse Ecclesiasticæ, donec probetur, esse laicales seu effectas juris laici, ut patet ex dictis *n. 19.* at in casu assertionis nondum constat esse laicales: præsumuntur ergo esse Ecclesiasticæ, & & sic pertinent ad forum Ecclesiæ.

610 Assert. III. Si decimæ laicis in feudum vel emphyteusin concessæ sunt, Judicis tantùm sacri est de ijs judicare. Assertionem hanc à plerisque DD. contra nonnullos solâ Hispaniæ & Galliæ consuetudine ac privilegio nixos, traditam ratione stabilivi *n. 590.* eámque etiam in Bavaria tenendam esse asserit Illust. D. Schmid *ad Stat. Bav. tit. 28. art. 17. n. 2. & cit. contr. 26. n. 6.* ac *contr. 28. n. 1. &* 2 Refragatur Prænob. D. de Clingensperg *assert. 89. de Decim.* sed nullam rationem idoneam affert, uti nec afferri potest: quod enim asseritur, per hoc, quòd decimæ laicis in feudum datæ sint, censeri quasi à Clero & Ecclesia vel Jure Divino recessisse, & in humanum commercium translatas &c. commentitium est. Quidni enim pariter dicatur, bona à secularibus Principibus data in feudum Ecclesijs, à secularibus & humano jure recessisse; & in commercium Dei & Ecclesiæ translata? Constat profectò, Concilia & SS. Pontifices plurima de decimis in laicos translatis statuisse, ut ex Zypæo dixi *n. 593.* agnovit ergo Ecclesia suam in illis jurisdictionem, ac per consequens hanc unà cum fructibus decimalibus in laicos non transtulit. Consuetudo illa Hispaniæ & Galliæ privilegio Pontificio nixa malè pro alijs Regnis & Provincijs allegatur: quia illa, nisi fulta sit privilegio, adimere non potest Judici Ecclesiastico jurisdictionem vel laico dare, ut constat ex dictis *n. 592.* & ex *c. Clerici de Judic. c. Cùm terra de Elect. c. Ad nostram* & *c. Cùm inter de Consuet.* ac *Auth. Cassa C. de SS. Eccles.* Privilegium autem Pontificium

ficium pro Germania nullibi extat. Rationem nostræ assertionis Illust. D. Schmid. *cit. n. 6.* eámque, ut meritò dicit, manifestam, dat hanc: si Clerici, qui à secularibus feuda recognoscunt, ratione illorum ad jurisdictionem domini secularis pertinent, cur non personæ seculares, quæ feuda à SS. Pontifice consequuntur, ad illius curiæ feudalis jurisdictionem similiter sint obligatæ? præsertim cùm in feudis utile tantùm dominium transferatur in Vasallos, directo dominio & jure spirituali, de quo cognoscere nequit laicus, penes Ecclesiam remanente. Cùm igitur in decimis infeudatis sola utilitas sit penes laicum, jus verò directum & proprietas penes Ecclesiam, dici nequit, quòd sint effectæ juris laici: quod tamen juxta dictum Recessum & Statuta Patria requiritur ad hoc, ut de decimis cognoscat Judex laicus. Addit idem Auctor *cit. contr.* 26. *n.* 7. & ex ipso Præn. D. de Clingensperg *cit. assert. 89. n. 1.* in Bavaria vix ullas decimas à secularibus possideri jure feudi ab Ecclesia collati, sed jure proprietatis, atque dominij absoluti: quod tamen nullo prorsus jure ac fundamento asseritur, ut patet ex dictis *n. 594. 598. & 599.*

611 Assert. IV. Si causa possessionis in judicium deducta circa decimas, quas non constat esse laicales, admixtam habeat proprietatis causam, solus Judex sacer est competens, quamvis reus sit laicus. Constat ex dictis *n.* 579. & ex Recessu Concordatorum, ubi cognitio de hujusmodi decimis Judici laico solùm conceditur *in possessoriis, ubi nudi facti quæstio est, nihilque proprietatis admixtum continetur.* Unde, ut observat *cit. Auctor contr.* 27. *n.* 3. non nisi sacer Judex aditi potest, quotiescunque mixta petitorio & possessorio est causa, & jus spirituale Ecclesiæ vel directè vel indirectè & per consequentiam involvit. Limitat tamen *contr.* 25. *n.* 11. *&* 12. additque cum Gutier. *l. 1. can. c. 34. n. 45.* si in possessorio merè incidenter agatur de proprietate, videlicet de coloratione tituli, an possessio apertè odiosa sit vel vitiosa, posse cognoscere etiam laicum. Concedi hoc potest in Bavaria, eò quòd ibi causæ possessoriæ, in qua de proprietate non agitur, cognitio etiam ad forum seculare pertinet, & Jura apertè non statuunt, quòd causa sit spiritualis, ubi merè incidenter ac solùm ad colorandam possessionem de proprietate agitur.

Assert. V. Quando Parochus agit etiam contra laicum possessorio adipiscendæ, solus Judex sacer est competens. Constat ex dictis *n. 584. 585. 609. & 611.* Ratio patet: quia hoc judicium possessorium admistam habet causam proprietatis, cùm cognosci debeat, num petens possessionem habeat titulum, an verò ille, contra quem peti-

petitur possessio. Agitúrque in tali casu de titulo ac proprietate non merè incidenter, sed immediatè ac directè. Atqui vi Concordatorum Bavariæ cognitio Judici laico, ut modò dictum est, non competit, nisi in possessorijs, ubi nudi facti quæstio est, & nihil proprietatis admixtum continetur. Hinc mirum est, quòd Canisius *c. 18. de decim. n. 13.* & Prænob. D. de Clingensperg *assert. 86. de decim. n. 1.* & *assert. 87.* contra torrentem DD. & Jura *n. 584.* ac *n. 585.* allegata asseruerint, etiam de possessorio adipiscendæ posse cognoscere laicum Judicem, si agitur contra laicum: cùm hoc non tantùm contra Jus commune *cit. n. 584.* allegatum apertè pugnet, sed etiam contra Bavaricum, & Recessum Concordatorum: nam in istis, ut dixi, Judex laicus tunc solùm de causa possessionis cognoscit, si nihil proprietatis admixtum continetur, seu, ut Statuta loquuntur *tit. 28. art. 17.* da deß Aigenthums halber nichts eingestreuet wurde. Evidens autem est, in possessorio adipiscendæ admisceri proprietatem, cùm hoc judicium annexam habeat proprietatis causam; debet enim Parochus v. g. qui illo agit, fidem facere de titulo & quasi proprietate, & de hac Judex saltem summariè cognoscere. Quam ob causam Covarr. *c. 35. pract. concl. 1.* Cravetta *consil. 104. n. 17.* Guido Papæ *q. 1.* Moneta *tr. de decim. c. 8. q. 1. n. 13.* aliique passim supponunt, laicum Judicem jus dicere minimè posse, si agitur possessorio adipiscendæ rei spiritualis, idque teneri ab omnibus testatur Berojus *rubr. de Judic. n. 51.* & Moneta *l. c.* ac contrariam Joannis Ignei & quorundam aliorum opinionem Bocerus *de Jurisdictione c. 3. n. 31.* cum Guidone Papæ, Menochio, ac Farin. falsam esse dicit. Unde cit. Auctor *assert. 87. n. 1.* malè asserit suam sententiam esse communem: maléque pariter allegat Canisium *c. 8. de decim. n. 13.* & Engel *cod. tit. §. 3. n. 18.* velut de communi testantes. Ille enim nullum Doctorem allegat; iste de communi loquitur solùm de casu, quo de mero facto est quæstio, videlicet, an decimæ sine fraude & integræ solutæ sint, aut si agitur ratione contractûs, v. g. de mercede locationis aut pretio venditorum fructuum solvendo. Quibus in casibus utpote solum factum respicientibus, ultrò concessi *n. 615.* adiri in Bavaria vi Concordatorum posse Judicem etiam laicum. Quòd semel juxta ipsius opinionem in Judicio Revisorio judicatum fuerit, transeat: contrarium pariter judicatum fuisse in Bavaria, dixi suprà *n. 609.* quo posteriore judicio potiùs standum est utpote Concordatis conformi. Doctores, quos idem Clariss. Auctor *assert. 86.* allegat, agunt de possessorio, quo de solo facto agitur, quale non est possessorium adi-

adipiscendæ, sed solùm retinendæ & recuperandæ. Glossema, quo idem verba illa Recessûs da deß Aigenthums halber nichts eingestreuet wurde / explicat, addendo verbum *principaliter*, dupliciter contra textum pugnat. Primò, dum eum absque causa restringit ad casum, quo principaliter æquè de proprietate ac de possessione agitur, cùm citata verba proprijssimè procedant etiam de casu, quo principaliter agitur de possessione, & ratione hujus de proprietate: sic enim verissimum est, quòd admisceatur & interseratur proprietas. Imò in hoc casu non merè incidenter, sed immediatè ac directè agitur de proprietate: quia in adipiscenda possessione necessaria est cognitio causæ & tituli veri, & non merè colorati, uti in retinenda & recuperanda, prout notat Menoch. *cit. remed. 15. recuper. possess. n. 223.* Secundò quia textus Recessûs solùm agit de casu, quo agitur de adipiscenda possessione; quia agit de casu, quo proprietas admiscetur & interseritur: immiscere enim & interserere seu einstreuen est aliquid alteri principali adjcere; neque enim nisi absurdè & falsò dici poterit, admiscri & interseri proprietatem, si de ea principaliter agitur. De causa igitur proprietatis principaliter mota non loquitur recessus, sed supponit, eam esse supra forum laicum: agit enim solùm de *certis casibus à Jure permissis*; nullum autem Jùs causam proprietatis rei spiritualis cognitioni Judicis laici permittit.

Assert. VI. Si agitur contra laicum possessorio solùm retinendæ vel recuperandæ, Judex competens est etiam laicus, dummodo non admiscatur causa proprietatis, & de solo facto agatur. Id evincit Recessus Concordatorum verbis modò recitatis *n. 611. & 612.* 613

Assert. VII. Si constat, decimas esse penes laicos, quòd vel permutatione vel absolutâ donatione ab Ecclesia in ipsos translatæ sint, & non merè in feudum vel emphyteusin concessæ, Judex competens est etiam laicus. De decimis permutatis universim id concedunt DD. juxta dicta *n. 598.* De illis, quæ absolutâ donatione & pleno jure laicis concessæ sunt, videtur decisum in Concordatis Bavar. his verbis: *in ijs decimis* (cognitio ad secularem quoque magistratum spectat) *quæ jam effectæ sunt juris laici.* Sic Hispani quoque asserunt, decimas, quæ suis Regibus donatæ fuerunt, factas esse juris laici, ac propterea secularem Judicem de ijs cognoscere. Quod verò aliqui absolutè asserunt, decimas, quæ sunt penes laicos, esse effectas juris laici, & non censeri in feudum datas, sed absolutè & pleno jure ijsdem donatas, veritati neutiquam congruit, ut constat ex dictis *n. 598. V. Hæc tamen assertio.* Ubi cum communissima DD. asseruimus, 614

nus, decimas ferè solùm in feudum concessas fuisse laicis, & in dubio præsumi, ita duntaxat concessas esse. Ut igitur adiri possit Judex laicus; tametsi super proprietate inter laicos quæstio versetur, priùs probari debet, quòd in decimis non sint investiti, sed pleno jure eas possideant: si enim de ijsdem investiti tantùm sunt, cognitio privativè ad Judicem sacrum pertinet juxta dicta *n. 610.*

615 Assert. VIII. Si Ecclesia vel laicus agit contra laicum debitorem decimarum aut conductorem, vel emptorem fructuum, eum in finem, ut ad solutionem compellantur, vel si quæstio est, utrùm solverint decimas vel locationis mercedem, aut emptorum fructuum pretium, adiri potest Judex etiam secularis. Patet ex verbis Recessûs: *in contractibus decimalibus temporarijs* (adiri potest secularis quoque Magistratus) *scilicet, ubi fructus tantùm decimarum ad tempus venditi locative sunt; atque etiam in casu soluti vel non soluti* &c. Diligenter tamen advertendum esse sapienter monet Illust. D. Schmd *cit. contr. 27. n. 3.* id solùm procedere, quando in hujusmodi quæstionibus nihil de jure spirituali proprietatis vel dominij immiscetur: hoc enim si fiat, controversiam ad Judicem Ecclesiasticum remittendam esse, juxta verba Recessûs, *ubi nuda facti quæstio est, nihilque proprietatis admixtum continetur.*

Assert. IX. Tametsi vi Concor- 616
datorum, ut hactenus dictum est, Judex secularis sit competens, si Parochus aliúsve decimator Ecclesiasticus agit contra laicum possessorio retinendæ vel recuperandæ, aut facti quæstio sit super solutis aut non solutis decimis, aut si agitur contra conductorem vel emptorem fructuum, potest tamen in his casibus etiam sacer judex adiri: ita ut locus sit præventioni, sicut in alijs causis mixti fori. Consentit cit. auctor ad *tit. 28. Stat. Bav. art. 17. n. 6. & 7. §. Deinde,* & *contr. 28. n. 4. & seqq.* ubi *n. 6.* addit, non esse admittendum, ut secularia judicia, quæ concurrentiam in quæstionibus possessorijs & nudi facti adepta sunt, forum Ecclesiasticum ex Juris intentione fundatum excludant, & inquilinus sive hospes (Judex videlicet laicus) dominum (Ecclesiasticum Judicem) ex proprietate sua quasi expellat. Assertio ex Jure communi certa est juxta dicta *n. 582.* nec minùs ex Jure Patrio & Recessu Concordatorum, cùm ista in dictis causis non excludant judicium Ecclesiasticum, sed cumulent & addant seculare, uti manifestum est ex his verbis: *Ea tamen* (causæ decimales) *in certis casibus à Jure permissis ad secularem quoque Magistratum spectant.* Ac dein hos casus exprimunt, nimirum causas possessorij, *ubi nuda facti quæstio est,* nihilque proprietatis admixtum

continetur &c. Si hujusmodi quæstiones ad secularem quoque Magistratum spectant, non spectant ad ipsum solum, sed etiam ad Ecclesiasticum, quia particula *quoque* est conjunctiva & implicativa, juxta *l. 2. prin. ff. de Pactis*, idémque valet, quod particula *etiam*, quæ implicativa est, & exprimit casum magis dubitalem (qualis est de Judice laico) ac involuit casum minùs dubitalem (qualis est de Judice sacro) idémque sonat, ac dictio *Hoc amplius & ultrà*, & præsupponit dictionem *Non solùm*, ita ut sensus sit, non solùm Judicem sacrum esse competentem, sed secularem quoque, uti fusè declarat Aug. Barbosa *tract. de Dictionibus usufrequent. dictione 112. & 333.*

617 Dissentit Prænob. D. de Clingensperg *assert. 90. de Decim. n. 6.* & solum Judicem laicum in dictis casibus competentem concedit. Verùm apertè contra Jus commune & Recessum Concordatorum, cùm hæc verba *ad secularem quoque Magistratum*, & eorum synonyma auch für die weltliche Obrigkeit posita in Statutis Bavar. *tit. 28. art. 17.* nimis clarè involvant Judicem sacrum. Ubi ponderanda quoque sunt verba Concordatorum & Statutorum *in certis quibusdam casibus à Jure permissis*, in etlichen gewissen Fällen / so in Rechten zugelassen: nullibi autem permissum est à Jure, ut in positis ibi casibus solus Judex secularis sit competens, ut patet ex dictis *n. 580.* & *582.* Nec valet, quod ille ait, ex sensu Recessûs sic explicato secuturum indubitatè, quòd etiam in decimis merè laicalibus Judex Ecclesiasticus cum laico concurrat: omnino enim hoc sequitur, sed uti sequela est legitima, ita non est absurda, sed Juri prorsus conformis, ut mox dicetur. Pariter non valet, quòd asserit, in Bavaria ex antiquissima observantia & immemoriali, Vermög deß uhralten Lands-Gebrauch ita practicari, ut videlicet in dictis casibus solus Judex laicus judicet. Hoc enim si verum esset, peritissimus Jurium & consuetudinum patriarum Cancellarius Bavariæ Illust. D. Schmid id non ignorâsset, nec si sciviſſet, asseruisset contrarium. Unicus duntaxat casus & exemplum, quod pro illa antiquissima observantia adducitur, tametsi verum esse daremus, negotium contra Statuta & Concordata nequaquam conficit, ut patet ex ijs, quæ juxta sensum ejusdem Illust. Cancellarij *n. 606.* retuli. Non denique obstat, quod ait, juxta *c. si Clerici 5. de Foro compet.* conveniri debere laicum à Clerico coram Magistratu laico, si reus rem, quam Ecclesiæ esse contendit Clericus, negat esse Ecclesiæ. Hoc enim solùm procedit de rebus & juribus temporalibus; non verò de decimis, quæ naturâ suâ sunt spirituales, & in dubio tales esse præsumuntur, ac idcirco ad forum Ecclesiæ pertinere. Ita passim

passim DD. *in cit. c. 5.* Reliqua, quæ pro solutione objectionum addit, siquid probarent, solùm evincerent, Judicem secularem in dictis causis concurrere cum Ecclesiastico. Sed neque hoc probant, ut patet ex dictis *n.* 585. 587. & 588.

618 Assert. X. Vi Concordatorum adiri potest Judex etiam sacer, tametsi decimæ sint effectæ juris laici, & lis sit inter laicos. Negant hoc assertum Illust. D. Schmid *cit. contr.* 28. *n.* 2. & Prænob. D. de Clingensperg *assert.* 88. *de Decim.* At patet ex Recessu Concordatorum æquè ac illud prius. Nam ubi dictum fuerat, causas decimales in certis casibus à Jure permissis ad secularem quoque Magistratum spectare, inter eosdem refertur casus, quo decimæ sunt effectæ juris laici, & uterq; litigantium vel reus tantùm est laicus. Cùm ergo juxta dicta *num. præced.* particula *quoque* sit implicativa, & Judicem sacrum non excludat, sed ipsi solùm addat secularem, consequens necessariò est, si decimæ sunt effectæ juris laici, & uterque litigantium est laicus, etiam Ecclesiasticum esse competentem: eò quòd inter casus expressos, in quibus secularis cum Ecclesiastico est Judex, ponatur etiam iste, & nullo prorsus verbo indicetur, quòd in isto solus sæcularis sit competens. Ratio non excludendi Ecclesiasticum patet ex dictis *n.* 593 & 594. quia jus percipiendi fructus decimales laicis ab Ecclesia concessum necessariò dependet à jure directo spirituali, quod semper manet penes Ecclesiam & avelli ab ipsa nequit, ac solùm nomine Ecclesiæ laici istos fructus colligunt. Cùm ergo decimæ & exigantur & solvantur titulo tantùm spirituali, nimirum propter ministeria sacra fidelibus impensa, ac Ecclesia, quod ipsi soli hoc titulo debetur, suo nomine à laicis percipi concedat, sicut concedit conductoribus aut emptoribus fructuum, meritò de ijsdem tanquam de suo judicat. Unde corruit fundamentum, quo contraria opinio nititur, nimirum in decimis in laicos per donationem & privilegium translatis, prorsus extingui spiritualitatis caracterem, & cum hoc etiam spiritualem jurisdictionem: caracter enim iste est titulus spiritualis; hic autem nunquam extinguitur, cùm nullo alio titulo exigantur aut exigi possint decimæ, quàm quòd fidelibus sacra ministrantur, ac per earum solutionem supremum Dei dominium & liberalitas rerum omnium largitoris maximi agnoscitur; qui titulus absque dubio spiritualis est.

Neque obstat, quod Aug. Barbo- 619
sa *ad l. 3. C. de Episc. & Cler. n. 6.* aliique ab ipso citati asserunt, regia (Hispaniæ & Galliæ) Tribunalia privativè cognoscere de decimis & tertijs, quæ concessione Rom. Pontificum ad seculares Principes aliósque privatos pertinent, & eo-

rum patrimonio incorporatæ sunt. Hoc enim procedit tantùm de consuetudine illorum regnorum, hæcque privilegio SS. Pontificis nititur, ut patet ex dictis *n. 578. 592.* & *594.* Accedit, quòd consuetudo illa, ut ostendit Petr. Barbosa *in l. Titia 35. ff. sol. matr. n. 44.* non procedit de decimis in feudum concessis, sed solùm de illis, quæ pleno jure & absolutâ donatione in Principes translatæ sunt, quales Hispani esse dicunt tertias decimarum suis Regibus concessas. Ex quibus illatio fieri non potest ad alias decimas, quas laici percipiunt: cùm hæ tantùm censeantur concessæ in feudum, nisi de contrario constet, ut patet ex dictis *n. 598.* & *614.* At de decimis in feudum concessis cognoscit solus Judex sacer, juxta dicta *n. 590.* & *610.* Et quidquid demum sit de consuetudine aliorum locorum & quo jure vel privilegio ista nitatur, in Bavaria nostra, tametsi decimæ factæ sint juris laici, juxta Concordata, ut modò ostensum est, non excluditur Judex sacer.

620 Assert. XI. Si decimæ à laico revertantur ad Ecclesiam, solus Judex Ecclesiasticus est competens, si Parochus super ijsdem convenitur, aut laicum ipse petitorio vel possessorio acquirendæ convenit. Ratio est: quia decimæ ad Ecclesiam reversæ primigeniam naturam recuperant, ut constat ex dictis *n.* 472. ergo de ijs cognoscere non est Judicis laici, tametsi reus sit laicus, juxta dicta *n.* 609. 611. & 612. Quæ ratio maximè locum habet, si laicus eas solùm in feudum habuit, uti in dubio, & nisi de contrario constet, habere præsumitur juxta dicta *n. 598.* & *614.* quando enim vasallus feudum in manus domini refutat, dominium utile cum proprietate consolidatur, & decimæ ad Ecclesiam reversæ plenissimo jure ad eam pertinent, & sic de ijsdem tanquam de re sacra cognoscere est Judicis solùm sacri, ut constat à fortiori ex eo, quòd illæ ad tribunal solius Ecclesiæ pertinent, quando ususfructus est penes vasallos laicos, juxta dicta *n. 590.* & *610.* 622

Neque admittendum hîc est, 621
quod asserit Illust. D. Schmid *ad cit. tit. 28. art. 17. n. 4.* rem dependere à voluntate laici decimas Ecclesiæ restituentis, utrùm videlicet eas reverti velit ad pristinam naturam, an manere laicales; neque illud prius præsumendum, sed specialiter probandum esse. Ut enim decimæ ad primævam suam naturam revertantur, opus non est voluntate laicorum, à quibus illæ ad Ecclesiam redeunt, cùm nunquam à spirituali jure omninò separentur, utpote à quo necessariò semper dependent, ut patet ex dictis *n. 593. 594.* & *617.* Unde ad recuperandam pristinam naturam juxta dicta *n.* 492. sufficit cessare jus, quod laico in eis competebat: hoc autem jus cessat, dum Ecclesiæ resti-

restituuntur. Quin bona etiam purè temporalia & laicalia, si in Ecclesiam transferuntur, fiunt Ecclesiastica, libera, & exempta à jurisdictione seculari, nisi hæc expresè reservata laicis fuerit, dum illa Ecclesiæ concederentur, ut cum Felino ac communissima aliorum tradunt Azor *p. 1. c. 13. q. 1.* Suar. *in Defens. Fidei contra Reg. Angliæ l. 4. c. 20. à n. 6.* & Thom. Delbene *de Immun. Eccles. c. 5. dub. 15. à n. 40.*

622 Assert. XII. Si decimæ, quæ erant penes laicum, perveniant ad Clericum, v. g. ex testamento paterno, legato, emptione &c. conveniri super ijsdem nequit Clericus nisi coram Judice Ecclesiastico. Assertionis veritas patet ex auctoritate & ratione *n.* 606. & 607. adductâ. Distinguit Illust. D. Schmid *ad cit. tit. 28. art. 17. Stat. Bav. n. 3.* dicens, conveniri in tali casu Clericum coram solo Judice sacro posse, si actio intentetur personalis; coram Judice verò etiam seculari, si actio sit realis: eò quòd juxta ea, quæ tradit *Semicent. 2. contr. 11. à n. 3.* de consuetudine tribunalium actione reali conveniri possint ac soleant Clerici coram Judice seculari. In qua controversia æquissimè hic auctor statuit, de Jure communi verissimam esse sententiam, quæ asserit, Clericum neque actione reali conveniri coram laico Judice posse: conveniri enim non posse, manifestum est ex Juribus citatis suprà *n. 573.* ac fusè probatur à Covarr. *Pract. c. 31. n. 4.* Suar. *l. c. tot. c. 14.* præsertim *n. 11.* & *c. 17. à n. 8.* Marta *de Jurisdict. p. 4. casu 125.* Delbene *l. c. c. 5. dub. 2. sect. 2. & c. 9. dub. 35.* Aug. Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 2. à n. 107.* Menoch. *remed. 3. retin. poss. à n. 324.* Ranbek *in Panoplia disp. 2. c. 3.* Quæ à Gaillio aliisque ex Jure civili afferuntur, nihil probant, ut benè ostendunt cit. DD. neque enim leges adductæ benè ad casum nostrum applicantur, & si de illo loquerentur, earum decisio non valeret, cùm constet, Constitutionibus secularium Principum immunitatem Ecclesiasticam & privilegium fori Clericis concessum tolli non posse. Hinc isti fundamento ex legibus civilibus petito alij ex adversarijs meritò diffisi afferunt solam consuetudinem. De hac autem hìc disputare animus non est. Aliqua duntaxat de ea annotanda videntur, judicio tamen super eadem suspenso. Primum est, hanc consuetudinem tanquam irrationabilem ac invalidam damnari à Canonistis, ac pluribus legistis, quos afferunt & sequuntur Marta *cit. p. 4. casu 64* Suar. *cit. l. 4. c. 32. per tot.* & *c. 34. n. 12.* Belbene *l. c. c. 1. dub. 15.* ubi eam multis rationibus oppugnant, præcipuè ex *c. Clerici de Judic. c. Cùm terra de Elect. c. Ad nostram,* & *c. Cùm inter de Consuet.* ac *Auth. Cassa C. de SS. Eccles.* Alterum est, quòd Clericus trahi ad Judicem

laicum non possit, tametsi super sola possessione aut nudo facto agatur, v. g. an solverit decimas, ut observat idem Illustr. Auctor *l. c. n. 7.* Rationem dat: quia licèt spiritualitas decimarum hîc nullam considerationem mereatur, cùm de inquirendo nudo facto agatur, meretur tamen personæ seu rei Clerici qualitas, ut causa ad Judicem Ecclesiasticum remittatur, cùm persona Clericalis ab omni seculari inquisitione & judicio sit immunis, nec super re agi possit contra Clericum, quin citetur & respondere cogatur; quæ jurisdictio & vis coactiva Judici seculari in Clericum non competit. At hæc ratio, uti patet, æquè procedit in casu, quo Clericus circa temporalia convenitur actione reali. Tertium est, in Recessu Concordatorum tunc solùm Judicem etiam laicum admitti in causa decimarum, *quæ jam effectæ sunt juris laici, ubi uterque vel reus tantùm laicus est.* ergo si reus est Clericus, excluditur Judex laicus, ut fusiùs dictum est suprà *n. 606. & seqq.* Unde consequens est, quòd tempore conditi Recessûs vel non fuerit illa consuetudo conveniendi Clericum actione reali, vel quòd per illum fuerit reprobata: aliàs casus iste Clerici actione reali conventi non fuisset omissus, nec Judici laico in ipsum hac actione conventum negata jurisdictio. Hæc ex Legibus, Doctoribus, & ratione de consuetudine Clericos coram Judice laico actione reali conveniendi, in medium attulisse, uti nec alijs, ita nec mihi apud æquos & sapientes rerum æstimatores vitio erit: absolutum verò de ea judicium ferre, non meum, ut dixi, sed aliorum, ac præcipuè summæ Sedis esto.

CAPUT II.

De Jure & Actione Decimatorum.

QUÆSTIO I.

Quale Jus Decimatori in Decimis competat.

SUMMARIUM.

623. *Decimæ multiplici titulo debentur.*
624. *In decimis separatis Parochus jus proprietatis habet.*
625. *An etiam ante separationem, controversum est.*
626. *Sta-*

626. *Statuitur, non habere.*
627. *Dominium quoddam utile plurimi concedunt.*
628. *Asseritur contrarium.*
629. 630. *Solvuntur opposita.*
631. *Possunt tamen peti decimæ ex fructibus, ad quemcunque isti pervenerint.*
632. *Conveniri pro illis potest, qui segetes injustè combussit.*
633. 634. *Nec non colonus, cujus culpâ fruges perierunt.*
635. *Non tamen ille, qui fundum non coluit, aut culturam impedivit: nisi hoc factum sit in fraudem decimatoris.*

623 Cùm *Decimæ*, ut dicitur *c. 14. h. t. non ab hominibus, sed ab ipso Deo sint institutæ, quasi debitum exigi possunt.* Neque solùm ut debitum Religionis, sed etiam Justitiæ. Nec solùm ut materialiter sumptæ, seu quoad eam quantitatem, secundùm quam præcisè necessariæ sunt ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ: sed etiam ut formaliter acceptæ, seu quoad determinatam partem decimam, ut patet ex dictis *n.* 42. & 43. Ipsum porrò jus decimandi suprà jam stabilitum est *n. 21. & seqq.* ac *n. 332. & seqq.* Hìc igitur agendum est de fructibus, quale nimirum jus in ipsis competat decimatori: eum in finem, ut pateat, quæ eidem competat forensis actio.

624 Assert. I. In decima fructuum parte à reliquo cumulo separata Parochus habet jus plenum ac proprietatem. Ita tenet concors omnium sententia, éstque obvia ratio: quia nihil deest ad verum dominium; non quidem ex parte decimatoris & Parochiani solventis: habet enim iste voluntatem fructus in illum transferendi, cùm in hunc finem eos separet; illè verò habet & titulum & voluntatem acceptandi: neque ratione traditionis, cùm ista juxta *l. ut inter 23. C. de SS. Eccles.* ad acquirendum Ecclesiæ dominium non sit necessaria; sicut necessaria non est hæredi hæreditatem agnoscenti juxta *l. cùm hæredes 23. ff. de acquir. possess.* Nec legatario, cui determinata res legata est, uti sumitur ex *l. à Titio ff. de Furtis*, & *l. si tibi hom. §. cùm servas ff. de Legat. 1.* Idémque dicendum videtur de decimatore laico, nec non fructuum emptore, & conductore: tum quòd illos percipiunt non suo nomine, ut dictum est *n. 594. & 618.* sed Ecclesiæ, & sic huic potiùs fit solutio, ad quam apprehensione, ut diximus, opus non est: tum quòd separatio eum in finem facta, ut jam non Parochianus, qui solvit, sed decimator illos habeat, videtur sufficere ad fictam traditionem æquè, ac si fundum venditum emptori eminus demonstro, aut claves ad horreum trado, aut debitorem meum jussero id, quod mihi debet, tibi tradere.

625 An verò Ecclesia verum ac propriè dictum jus habeat in decimis etiam ante separationem à reliquo cumulo, controversum est inter DD. Affirmant post Panorm. ac alios Azor *tom. 1. Instit. Mor. l. 7. c. 23. q. 9.* & Leander à SS. Sacram. *p. 3. Moral. tr. 6. disp. 2. q. 10.* Rationem dant I. Juxta *c. Tua 26. h. t.* Deus decimas & primitias *suas* esse asseverat. at pronomen *suum* dominium significat. *l. 27. §. 2.* & *l. 34. prin. ff. de Auro, argent. legat. l. 71. ff. de Legat. 3.* Pariter juxta *Can. 5. 16. q. 7. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt.* Et juxta S. August. *sermon. 219. de Temp.* relat. *Can. 66. 16. q. 1. qui eas dare noluerit, res alienas invasit.* ubi Glossa V. *alienas* infert: *ergo ante separationem sunt Ecclesiæ.* nec enim debitor eas retinendo invaderet ut alienas, si in dominio ipsius, & non Ecclesiæ essent. II. Dominium rei donatæ vel legatæ acquiritur Ecclesiæ, ut modò dictum est ex *l. 23. C. de SS. Eccles.* absque traditione. ergo multò magis ex voluntate Dei & Ecclesiæ dominium decimarum transit in Ecclesiam ante traditionem vel separationem, cùm efficacior sit voluntas Ecclesiæ, quàm privati donatoris. III. Sacerdotes, ut habetur *Can. Moderamine 23. 16. q. 1.* sibi laudabiliter vendicant decimas, primitias &c. Rei autem vendicatio non datur, nisi in rem propriam ab alio detentam. *l. In rem 23. ff. de R. V.* ergo decimæ sunt in dominio Ecclesiæ etiam ante separationem. IV. Ecclesia potest agere contra quemcunque detentorem vel possessorem fructuum nondum decimatorum, juxta *c. Pastoralis 28. h. t.* atqui contra tertium agere non posset, nisi haberet actionem realem, & consequenter jus in re.

Assert. II. Decimæ non sunt in 626
dominio Ecclesiæ, antequam separatæ fuerint à reliquo fructuum cumulo. Ita omnes, si loquamur de pleno jure & directo dominio; re vera enim Panorm. aliique, qui in contrarium citantur, non dissentiunt, nec dissentire possunt: quia fructus sunt in dominio illius, qui eos colligit, & quidem omnes, cùm non sit major ratio, cur unius potiùs partis, quàm alterius sit dominus, si nulla adhuc separata est aut designata pro decimis; nec Ecclesia unam potiùs prætendere potest, quàm alteram. Hinc Ulp. *l. 2. ff. de Pollicit. si decimam, inquit, quis bonorum vovit, decima non priùs esse in bonis desinit, quàm fuerit separata.* Est autem par ratio de decimis, quæ debentur ex præcepto Ecclesiæ: quia præceptum tantùm statuit, ut decimæ solvantur, & non tollit dominium fructuum domino, decimatori tribuendo dominium certæ partis, cùm in re nondum divisa non possit acquiri dominium determinatæ partis: nec fructus facit esse com-

communes inter Parochianum & decimatorem, sicut fit, quando plures habent dominium totius hæreditatis nondum divisæ, aut quando fit confusio plurium rerum ad diversos dominos pertinentium; hujus enim communis dominij & fructuum indivisim ad plures pertinentium nullus titulus, nullaque efficax ratio afferri potest. Plura alia argumenta affert Suar. *c. 36. n. 5. & seqq.*

627 Asserunt quidem plerique Th. Th. & Canonistæ, & inprimis Suar. *l.c.n.8.* Less. *l. 2. de Just. c. 39. n. 15.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 2. n. 4.* Fagundez *in V. Præcept. Eccl. l. 1. c. 6. n. 4.* Pirrhing *h. t. n. 154.* Leûren *p. 1. Fori Benef. q. 498. n. 2.* tametsi Ecclesia non habeat plenum jus & directum dominium in decimis nondum separatis, habere nihilominus jus non merè personale, sed in re, & dominium quoddam utile. Unde inferunt, competere ipsi utilem vindicationem: sicut, inquiunt, usufructuarius habet dominium utile in usufructu sibi legato: Rationem dant: quia apud quemcunque fructus non decimati extent, Ecclesia potest ex illis decimam partem detrahere, ut constat ex *c. Tua nobis 26. c. Pastoralis 28.* & *c. Cùm non sit 33. h. t.* ubi ratio additur: *Quoniam res cum onere suo transit.* Quod signum est, verum fructuum dominium Ecclesiam in illis habere, eo ipso, quòd onus illud inhæret fructibus, sícque est onus reale, & per consequens jus, quod habet, est jus in re. Verùm hæc quoque opinio Juri parùm conformis esse videtur.

Assert. III. Ecclesia non habet 628
aliquod jus in re ante separatas aut saltem designatas decimas. Ita docent Germon. *de sacr. Immunit. l. 1. c. 14. à n. 16.* Rebuff. *q. 3. de Decim. n. 16.* & *17.* ac *q. 9. à n. 6.* Moneta *c. 8. q. 3. n. 34.* Eædem certè rationes (ut consideranti patebit) quibus DD. *num. præc.* allegati probant, verum & directum dominium plenúmque jus in decimis non competere decimatori ante earum separationem, pugnant contra illud jus in re, ex quo utilem decimatori vindicationem concedunt; ut enim aliquid etiam utiliter vindicetur, debet illud esse res certa & determinata, quæ demonstrari & vindicari possit *l. 6. ff. de R.V.* ibi: *si in rem aliquis agat, debet designare rem.* Hinc etsi legatario præter actionem hypothecariam & personalem ex testamento competat rei vindicatio *§. Sed olim 2. Inst. de Legat.* hoc tamen solùm procedit, si res certa legatur: nam si legatur solùm quantitas, seu res in genere, aut alternativè, non competit rei vindicatio, sed actio solùm personalis: quia tunc propter incertitudinem non transfertur dominium, nisi factâ declaratione. *l. Hujusmodi 84. §. 9. ff. de Legat. 1.* Pariter usufructuarius fructus non facit suos, ac per con-

sequens vindicare nequit, nisi postquam eos percepit, quod fit, si ipse vel alius nomine ipsius eos solo separaverit. §. *Is verò 37. Inst. de R. D. l. Qui scit §. 1. V. Præterea ff. de Usur. l. Defuncta 58. ff. de Usufr.* Hinc adversarij bene quidem instituunt paritatem inter decimatorem & usufructuarium, sed malè inde pro se argumentantur: nam sicut huic non competit rei vindicatio, nisi postquam fructus fecit suos, ita nec illi, nisi fructus pariter fecerit suos; quod non fit nisi per separationem. Accedit, quòd *c. Ex transmissa 23. h. t.* supponitur, fidelibus ea omnia, ex quibus decimas erogare tenentur, acquiri: habent ergo jus in fructibus omnibus ante decimarum separationem, & non Ecclesia. Et *Can. Decimæ 19. q. 1. ac c. Tua nobis 20. h. t.* decimæ comparantur tributis: at in ijs, quæ tributi nomine debentur, Princeps jus non habet, antequam solvantur. Denique *c. Parochianos 14. h. t.* solùm dicitur, decimas tanquam debitum exigi posse: illa autem, quæ nobis debentur, nostra non sunt, antequam solvantur, & actione in rem peti non possunt. Hinc Speculator *l. 4. partic. 3. tit. de Decim. n. 5.* fatuos esse dicit, qui dicunt, decimas sibi deberi, simulque agunt rei vindicatione.

629 Neque obstat, quòd quivis tertius, ad quem fructus indecimati pervenerunt, conveniri à decimatore possit: quia hinc non sequitur, dari actionem in rem; sed solùm, quòd personalis in rem scripta, competens adversus quemcunque eorum possessorem. Nam Ecclesia quidem vult, ut ex fructibus solvantur decimæ, ac proinde à quocunque, ad quem illi perveniunt: non tamen propterea in illis sibi aliquod jus constituit, sed solùm obligat personas, à quibus detinentur. Pariter non obest, quòd juxta §. *siquis in aliena 34. Inst. de R. D.* & *l. quâ ratione 9. §. 2. ff. de acqr. rer. dom.* utilis vindicatio competit illi, in cujus tabula alter pinxit imaginem, & per picturam acquisivit dominium tabulæ; & quòd similiter juxta *l. Idem Pomponius 5. §. 3. ff. de R. V.* illi, cujus arbor in alterius fundum translata radices ibi misit, nihilominus datur utilis in rem actio, tametsi arboris dominium non ampliùs habeat; & quòd in alijs quoque casibus conceditur actio in rem ei, qui non est dominus, juxta *l. Prætor 75. ff. eod. l. agri 1. in fin. ff. si ager vectigalis*, & *l. Tutor 16. §. 2. ff. de Pigner. act.* Non, inquam, hoc obest; quia etsi in hisce casibus ex peculiari legis dispositione detur rei vindicatio illi, qui non est dominus, datur tamen actio solùm in rem certam, & quæ demonstrari possit, quæ certitudo semper ad actionem in rem est necessaria: at ante separatas decimas non dantur certi fructus, qui vindicari possint, cùm Parochianus non debeat hunc potiùs vel illum

illum manipulum decimatori, quàm alium; sicut qui debet centum ex mutuo vel empto, non debet potiùs ista centum quàm alia, ac propterea actione in rem conveniri nequit, sed solùm personali.

630 Æquè parùm probant dominium decimarum ea, quæ *n.* 625. pro eodem adducuntur. Nam Decimæ & Primitiæ Dei quidem sunt, non tamen sequitur, quòd colonus fructuum omnium, quos percipit, dominus non sit; sicut ex eo, quòd res quoque cæteræ omnes sint sub dominio Dei, consequens non est, quòd dominium earum non habeat homo. Primogenita, Primitias, & Decimas, ideò sua vocat DEUS *Levit.27. Exodi 13. Num. 18.* quòd ex voluntate & præcepto ejusdem offerri debebant, non quòd dominio offerentium eximerentur, & transirent in dominium Sacerdotum, antequam essent oblata. Imò dum dicit DEUS *Exodi* 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere*, non obscurè significat, eas fuisse populi, antequam hic eas obtulisset; nec enim dixisset *tuas*, si populus eas in suo dominio non habuisset, antequam daret. Eodem ergo sensu loquitur Ecclesia, dum debitas sibi decimas aut suas esse asseverat. Dum verò S. August. dicit, eum, qui decimas dare noluerit, res alienas invadere, Tò *alienum* accipit in sensu improprio & solùm æquipollenti, eo modo, quo S. Chrysost. aliique PP. eos, qui superflua negant pauperibus, vocant fures, raptores, homicidas: quâ dicendi ratione neutiquam significatur, quòd pauperes ante acceptas eleemosynas jus quoddam in illis habeant. Quòd dominium rei donatæ aut legatæ acquiratur ante traditionem, solùm tunc verum est, quando species, seu res certa eidem ex donatione vel legato debetur, ut patet ex *l. 2. §. fin. ff. de Pollicit.* At ante separationem decimarum certi fructus Ecclesiæ non debentur. Quando *cit. Can. Moderamine* S. Gregor. M. dixit, quòd Sacerdotes sibi vendicent decimas & primitias, locutus non est de actione civili, quæ *rei vindicatio* dicitur, sed usus est illà voce pro *usurpare* & *appropriare*, quo sensu illa proprijssimè sumitur à Grammaticis, ac etiam in Jure Canonico *c. quia nonnulli 3. de Cler. non resid.* aliàs etiam Primitiæ (nam de his quoque loquitur S. Pontifex) actione in rem peti possent: quod tamen apertè falsum est, cùm harum nomine nec certa quantitas, uti in decimis, nec species seu certa res debeatur. Ex eo denique, quòd Ecclesia, ut mox dicetur, agere potest contra quemcunque fructuum nondum decimatorum possessorem, solùm sequitur, ut dictum est, quòd competat actio personalis in rem scripta.

Assert. IV. Ecclesia potest pe- 631
tere decimas ex fructib⁹, ad quem-

cunque isti pervenerint. Assertio est manifesta ex *c. Cùm non sit 33. h.t.* ubi postquam statutum fuerat, *ut in prærogativam dominii generalis* (divini) *exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum*, mox additur: *vel saltem hi, ad quos census & tributa* (id est, fructus censibus & tributis subjecti) *indecimata pervenerint (quoniam res cum suo onere transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debentur.* Et *c. Pastoralis 28. eod.* dicitur: *fructus autem ipsos alienari non posse credimus, nisi cum onere decimarum.* Idem supponitur *c. Tua nobis 26. eod.* Tres autem ferè modi sunt, quibus fructus non decimati ab alio, quàm fundi domino aut usufructuario, vel emphyteuta &c. occupari possunt. Primus est, quando quis eos furatur aut rapit. Quo casu, ut benè observat Suar. *cit. c. 36. n. 11.* omnes restituendi sunt domino, nec benè faciet fur aut raptor, si domino novem partes restituat, & decimam Ecclesiæ: quia non potest ipse suâ auctoritate decimam ab alio debitam ex illius bonis solvere, cùm nec ipse Parochus, ut suprà dictum est, propriâ auctoritate eam occupare possit. Poterit tamen Ecclesia compellere dominum fructuum ad eos vindicandos, & solvendam postea inde decimam. Quòd si is in hoc negligens aut impotens sit, conveniri ipse fur aut raptor potest. Et hic propriâ auctoritate solvere decimas Ecclesiæ potest, si videt à domino non solvendas. Alter modus est, quando quis à domino emit, accipit in solutum &c. fructus non decimatos, sciens videlicet, nondum esse decimatos, nec animum decimandi habens. Tertius, quando accipit bona fide vel existimando jam esse decimatos, vel animum decimandi habens. In utroque hoc casu petere Ecclesia potest decimas à novo fructuum possessore: quia res transit cum suo onere, & fructus non nisi cum onere decimarum alienari possunt, id est, obligatur omnis ille, ad quem perveniunt non decimati. Liberum tamen est Ecclesiæ, decimas immediatè petere à priore fructuum possessore: quia est primarius debitor, & non potuit se illo onere liberare sine consensu Ecclesiæ, ut ait Suar. *l. c. n. 12.* loquens quidem expresè solùm de secundo casu: verùm est eadem ratio etiam de tertio. Non tamen hinc sequitur, quòd Ecclesia in ipsis fructibus non decimatis jus aliquod habeat, ut patet cùm ex rationibus *n. 626* & *628.* allatis: tum ex eo, quòd obligatio solvendi decimas ex fructibus percipiendis transit cum fundo decimis obnoxio ad quemcunque possessorem etiam Infidelem, quin Ecclesia jus aliquod in fundo habeat; eâ ferè ratione, quâ hæres, aut legatarius, qui gravatus est à testatore ex hæredi-

reditate vel legato fundare v. g. Beneficium, aut Ecclesiæ vel hospitali pensionem solvere, hanc solvere tenetur aut illud fundare, quin Ecclesiæ in bonis hæreditarijs jus aliquod competat. Pariter ergo ex eo, quòd ex fructibus debeantur decimæ, ad quemcunque illi pervenerint, non sequitur, quòd ante separatas decimas jus in illis Ecclesia habeat.

632 Ex dictis consequens est I. quòd agere Ecclesia possit contra eum, qui segetes injustè combussit, vel succidit arbores, quæ fructus jam habuerunt: jus enim jam habuit Ecclesia ad decimas inde petendas, nec minùs eam damnificavit, qui combussit alióve modo destruxit, quàm qui rapit aut detinet; cùm ergo ab hoc peti decimæ possint, poterit pariter peti ab illo earum æstimatio. Atque ita post Innocent. Panorm. Joan. Andr. ac alios tradunt Covarr. *in Reg. Peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 12. Suar. *cit. c.* 36. *n.* 16. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 23. *q.* 9. Laym. *l.* 6. *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 4. *&* 5. Leander à SS. Sacr. *p.* 3. *Moral. tr.* 6. *disp.* 2. *q.* 14. Fagundez *in* 5. *præcept. Eccl. c.* 6. *n.* 8. contra Palao *tr.* 10. *disp. un. pun.* 2. *n.* 9. & Leûren *p.* 1. *Fori Benef. q.* 496. *n.* 6. qui pro se citant Molinam Theol. sed malè, cùm de hoc casu non loquatur.

633 Consequens est II. teneri colonum ad compensationem Ecclesiæ faciendam, si collectis jam frugibus & in eo statu positis, quo tenetur solvere decimas, eas culpabiliter non solvit, & ex hac mora fruges pereunt. Ita docent S. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad* 4. Glossa *in c. Cùm homines h. t. V. fructibus collectis*, Alensis *p.* 3. *q.* 51. *membr.* 5. *ad penult.* Rebuff. *q.* 12 *n.* 5. Suar. *l. c. n.* 21. Leander *l. c. q.* 18. ac passim alij. quia tunc jam debentur decimæ, quas cùm ille suâ morâ Ecclesiæ subtraxerit, consequens est, quòd eidem ad compensationem teneatur.

Consequens est III. pariter ad 634
compensationem Ecclesiæ teneri colonum, si in colligendis fructibus jam natis & pendentibus fuit notabiliter negligens, aut non restitit vel bestijs vel hostibus eos perdentibus, cùm facilè impedire damnum potuisset; aut omnino eos colligere noluit. Sequitur ex ratione illatâ *n.* 632. & traditur à S. Thoma *l. c.* Soto *l.* 9. *de Just. q.* 4. *a.* 2. *ad* 4. Leandro *l. c. q.* 18. Eximunt à compensatione colonum negligentem Suar. *l. c. n.* 20. Filliuc. *tr.* 27. *c.* 11. *q.* 7. Palao *l. c.* ac alij. Verùm non apparet, quomodo obligetur ad compensationem is, qui comburit segetes, & non etiam colonus, cujus gravi negligentiâ pereunt: unius enim æquè ac alterius culpâ perdit Ecclesia, ad quod exigendum jus habet, & uterque tenebatur hoc ipsi conservare & non pessumdare, non minùs quàm si collecti jam fuissent, fructus. Cùm ergo ex sententia Suarezij

rezij detur obligatio compensandi, si ex mora culpabili fructus jam collecti pereunt, aut si ipse vel alius segetes & fructus pendentes comburit, alióve modo positivè destruit, dabitur ista obligatio etiam tunc, quando segetes gravi ipsius negligentiâ pereunt. Neque obest, quod ait, Ecclesiam solùm obligare ad dandas decimas ex fructibus collectis, ut habetur *c. Cùm homines 7. h.t.* & sic contra ejus jus non agi nisi fructibus jam collectis. Hinc enim sequeretur, quòd non teneatur ad aliquam compensationem Ecclesiæ faciendam, qui segetes & fructus adhuc pendentes ac nondum collectos comburit: hoc autem est contra ipsummet Suarezium. Sensus igitur *cit. c. 7.* non est, quòd ante collectos fructus nullum jus habeat Ecclesia, sed tantùm, quòd statim, ut dicit textus, solvendæ sint decimæ collectis fructibus, nec ultrà differri solutio possit. Quando enim nati sunt fructus, & dum adhuc pendent, cedit dies, id est, incipiunt deberi decimæ: quando verò fructus sunt collecti, venit dies, id est, peti possunt decimæ & solvendæ sunt. Et hoc duntaxat *cit. c. 7.* asseritur. Unde sequitur, quòd jus Ecclesiæ non solùm tunc lædatur, quando fructus jam collecti ante decimas solutas destruuntur vel auferuntur; sed etiam, quando fructus pendentes comburuntur, vel negligentiâ illius, qui conservare debuit, pereunt.

Consequens est IV. quòd non 635
teneatur ad aliquam compensationem Ecclesiæ colonus, qui non colit fundum, nec ille, qui colonum à colendo impedit, vel alio modo obicem ponit, ut aut nulli aut pauciores vel minores ac deteriores fructus proveniant. Et ita cum communi tradunt Suar. *l. c. n. 20.* Leander *l. c. q. 19.* Molina *de Just. tr. 2. disp. 49. n. 1.* Lessius *de Just. l. 2. c. 39. n. 15.* Palao *l. c.* Ratio patet: quia Ecclesia jus ad decimas non habet, nisi ex fructibus, sive supposito, quòd isti proveniant; non verò, ut fundus colatur, & fructus producantur. Benè tamen notat Lessius *l. c.* siquis agricolam à cultura vel aliâ quapiam ratione proventum frugum impediret ex odio decimatoris, & in ejus fraudem, talem à compensatione facienda non excusari, cùm juxta cõmunem Doctorum sententiam, quam Card. de Lugo *disp. 18. de Just. n. 91.* dicit esse verissimam, compensationem facere teneatur, qui vi vel fraude impedit v. g. pauperem ab eleemosyna vel Clericum à Beneficio obtinendo: tametsi enim isti jus nec in re nec ad rem habeant; habent tamen jus conditionatum habendi eleemosynas & Beneficium, si dentur, & jus absolutum, ut per vim aut fraudem non impediatur potentia & spes, quam habent. Æquale autem jus habet Ecclesia. Idémque dicendum videtur de ipso fundi domino, vel usu-

fructua-

fructuario, si ex malitia & in fraudem decimatoris culturam negligat: etsi enim liberum sit domino fundi, emphyteutæ &c. eum colere, vel non, vel hoc potiùs modo quàm alio, id tamen ipsi concessum est vel ob impotentiam, quia aut omnino colere nequit, aut hoc tantùm modo & non alio, vel ob utilitatem, ut suprà dictum est *n. 401.* ac traditur in Statut. Bavar. *tit. 28. art. 15.* non tamen id potest in odium & fraudem decimatoris. Illud indubitatum esse videtur, quod post Panorm. aliósque tradit Suar. *l. c. n. 21.* ac apertè sumitur ex *c. In aliquibus 32. h. t.* posse moneri ac compelli Parochianos, si ex malitia vel negligentia culturam omittant, ut per se vel fideles & industrios colonos aut conductores eam faciant, ne ipsorum culpâ aliquid decedat Ecclesiæ alteríve decimatori. Estque decisum in Bavaria *lib. 4. tit. 16.* der alten Landts-Ordnung/ ac confirmatum *cit. tit. 28. art. 15.* deß Landt-Rechts/ dum ibi supponitur, utilitatis solùm causâ omitti culturam posse, videlicet ut fundus ad aliquod tempus quiescat, quò postea uberiores fructus reddat.

QUÆSTIO II.

Quæ Actiones competant Decimatori?

SUMMARIUM.

636. *Utilitas quæstionis proponitur.*
637. *Si decimæ separatæ sunt, competit rei vindicatio.*
638. *Si nondum separatæ sunt, non competit actio in rem.*
639. *Competit tamen Confessoria & Interdictum Uti possidetis.*
640. *Et Condictio ex Canone.*
641. *Actio de dolo contra tertium, cujus dolo factum est, ut non solverentur.*
642. *Confessoriâ agitur, si lis est inter decimatorem & colonum.*
643. *Clerico adeunti Parochiam competit remedium adipiscendæ.*
644. *Turbatus in quasi possessione agit interdicto Retinendæ.*
645. *Spoliatus remedio Redintegrandæ aut Recuperandæ.*

636 Cùm agi in causa decimarum diversimodè possit, nimirum vel de jure decimandi, & quidem aut petitorio aut possessorio judicio; vel de ipsis fructibus & decimis, ijsque aut jam separatis aut nondum separatis: idcirco pro diversitate intentionis actoris, ac ipsius

sius rei, quæ petitur; quin modi quoque, quo petitur, diversæ actiones intendi possunt ac debent. Et quamvis, ut ait Hostiensis *in c. 14. h. t.* Canonistæ non multùm curent de formis petendi, cùm in Judico Ecclesiastico sufficiat factum proponi juxta *c. Dilecti 6. de Judicijs*, ubi Alexand. III. Judices sacros alloquens ait: *provideatis attentiùs, ne ita subtiliter, sicut à multis fieri solet, cujusmodi actio intentetur, inquiratis, sed simpliciter & purè factum ipsum & rei veritatem, secundùm formam Canonum & sanctorum Patrum instituta, investigare curetis.* Quamvis item in curijs etiam secularibus, saltem de consuetudine, necesse non sit in libello exprimi nomen actionis, sed sufficiat factum ita narrari & concludi, ut, quid & ex qua causa petatur, reo liquere possit: quia tamen, uti notum est, plurimùm refert, quæ actio intentetur, ac Judex, si plures competunt, unam eligere debet, eámque, quæ actori magis est proficua, cùm iste justitiam omni meliori modo sibi administrari petat, idcirco expedit distinctè hìc singulas actiones, quæ decimatori competunt, recenseri.

637 Assert. I. Si pars decima à reliquis fructibus separata jam est, competit decimatori rei vindicatio contra quemcunque, apud quem illa extat. Ita tradunt omnes, patétque ex dictis *n. 624.* Si furto subducta fuit, competit etiam actio furti & condictio furtiva, juxta *§. fin. Inst. de Oblig. quæ ex delict.* & posterior quidem etiam adversùs hæredes furis, tametsi de re furtiva nihil ad ipsos pervenerit. *l. si profure 7. §. 2. & l. 9. ff. de Condict. furt.* ita ut si res extat, condicatur cum omni interesse *l. 3. ff. eod.* si verò non extat, æstimatio petatur. *l. 8. ff. eod.* Si vi & dolo ablatæ sunt decimæ seu raptæ, præter actionem furti competit actio *vi bonorum raptorum*, intrà annum à rapina commissa quadrupli, post annum simpli, ita tamen ut illi quadruplo ipsa res rapta insit. *prin. Inst. de vi bonor rapt. & l. 2. §. 13. ff. eod.* Non tamen datur in raptoris hæredes cæterósque successores, quia est actio pœnalis, *cit. l. 2. §. 27.* Quòd si agatur furti manifesti (quod fieri posse, cum Hotomanno, Wesenbecio, ac alijs tenet ac latè probat Harpprecht. *Instit. eod. à n. 9.*) tollitur hæc actio *vi bonorum raptorum*, & è contrà. Sin verò agatur furti occulti, tunc, quia actio furti competit ad duplum, agi nihilominus potest *vi bonorum raptorum* intra annum ad aliud duplum. *l. 1. ff. eod.* & Gloss. *prin. Inst. eod. V. furti.* Porrò annus, intra quem ad quadruplum agi potest, non est continuus, sed utilis, constans videlicet ex diebus utilibus, quibus experiundi facultas est. *l. 1. ff. quæ in fraud. creditor.* & *l. 1. ff. de divers. temporal. præscript.* ibique Gothofred. Goveanus, *lib. 1. var. lect. c. 10.* Heigius *prin. Instit.*

Instit. de vi bon. rapt. n. 10. Harpprecht. *ibid. n.* 16. Si denique decimæ dolo aut culpâ alicuis perierût, competit decimatori actio damni injuriâ dati ex tertio capite legis Aquiliæ ad æstimationem, quanti decimæ diebus 30. proximis retrò fuerint, juxta §. *Illud palam* 14 *Inst. de L. Aquil.*

638 Assert. II. Si decimæ nondum sunt separatæ à reliquis fructibus, non competit decimatori actio in rem, ut constat ex dictis *n.* 628. & 629. sed condictio ex canone, quæ etsi sit personalis, est tamen in rem scripta, & competit non tantùm adversùs fructuum dominum, sed etiam adversùs quemcunque, ad quem fructus indecimati pervenerunt, juxta dicta. *n.* 631. Neque obest, si quis dicat, omnem actionem personalem esse ex obligatione, quæ vel ex contractu aut quasi, vel ex maleficio aut quasi nascatur. §. *omnium* 1. *Instit. de Action.* decimas autem non deberi ex contractu vel maleficio, aut quasi contractu vel quasi maleficio. Nam in primis actio in personam nascitur quidem ex contractu vel quasi, ex maleficio vel quasi; at non ex his solis, sed ex alijs quoque causis, juxta *cit. §. omnium V. & aljis quibusdam modis*, & *l.* 1. *prin. ff. de O. & A.* Sic actio ad exhibendum est personalis, ut loquitur Ulp. *l.* 3. §. 3. *ff. ad exhibendum*, nec tamen ex contractu aut delicto vel quasi descendit, ut notat Harpprechtus ad *cit.* §. 1. *Instit. de Action. n.* 31. Responderi potest secundò, eum, qui fructus indecimatos possidet, obligari ex quasi contractu ad dandas decimas, eò quòd qui rem & fructus percipit, censeatur quasi contrahere cum Ecclesia, & cum colono, à quo eos indecimatos accipit, de decima persolvenda tanquam debita Ecclesiæ juxta *c.* 14. *h. t.*

Quia verò, qui decimas non sol- 639
vit, Ecclesiæ jus decimandi aut negat aut aliàs turbat, idcirco in tali casu adversùs illum etiam *Confessoriam* competere, asserunt Jason *in* §. *æquè* 2. *Inst. de Action.* & Rofredus *tract. de libell. Jur. Can. p.* 4. *rubr. quâ act.* Cùm hac actione non tantùm servitutum, sed etiam cujuslibet alterius juris nomine, si non directè, saltem utiliter agatur. Unde si quis impedit, turbat, denegat, iniquè usurpat jus percipiendi decimas, oblationes, collectas, tributa, reditus, jus præsentandi, eligendi, instituendi &c. *Confessoria* locum habet, ut notant plerique Canonistæ *in c.* 19. & 26. *h. t.* Bald. *in rubr. C. de usufr.* Jason *in l. si priusquam ff. de nov. op. nunt. n.* 3. & 4. Bartol. *in l. si publicanus* §. *ult. ff. de Public. & Vectig.* Faber *in* §. 2. *Inst. de Action. n.* 3. Vulteius *ibid. num.* 4. & 5. Platea *n.* 23. Schneidevvin *n.* 10. Harpprecht. *n.* 4. Costald. *in l.* 11. *ff. si servit. vend.* Althus. *l.* 3. *Dicæolog. c.* 9. *n.* 13. ac alij. Ob eandem causam contra possessores fructuum decimam sol-

vere recusantes agi potest Interdicto *Uti possidetis* juxta Hostiensem ac alios *in c. Dudum 31. h. t.* Rebuffum *q. 9. n. 3. & 4.* qui *n. 5.* observat, & cum ipso Moneta *c. 8. q. 3. n. 31.* ac Franc. Leo *p. 2. Thes. Jur. Eccl. c. 12. n. 26.* id verum esse etiam tunc, quando Parochus nullas adhuc ex isto fundo percepit decimas: eò quòd per Beneficij collationem & inductionem in possessionem effectus sit possessor omnium rerum & jurium sui Beneficij, per ea, quæ post Bart. & Aretin. *in l. cùm hæredes ff. de acquir. poss.* Anchar. *in reg. sine poss. ff. de R. I. in 6. col 18.* ac alios tradit Covarr. *l. 3. var. c. 16. n. 13.* Præterquam, quòd decimas exigit nomine suæ Ecclesiæ: hæc autem, etiam quando pastore caret, possidet omnia bona & jura ad Beneficium pertinentia, ut post Innocent. Bart. ac alios tradit idem Covarr. *l. c.* ac patet ex *l. Jubemus in fin. C. de SS. Eccles. & l. Raptores, C. de Episc. & Cler.* Agi posse Interdicto etiam *Unde vi*, sequitur ex communi doctrina Baldi, Speculat. Socin. Sen. ac aliorum, quos refert & sequitur Gaillius *l. 2. obser. 10. n. 5. & observ. 25. n. 1.* dum asserunt, quòd qui reditum vel censum annuum solvere detrectat, aut servitia vel jura debita, possidentem spoliare dicatur, & sic contra eum rectè agi Interdicto *unde vi*, vel ex constitutione *l. si quis in tantam C. unde vi.* Notum autem est, decimas esse jura debita, & quandam quasi annuam pensionem vel censum. Porrò contra morosos debitores aut renuentes solvere non solùm agitur, ut solvant quod modò debent; sed etiam ad futuras præstationes concludi potest, ut benè notat Rebuff. *q. 9. n. 13. & 17.* quemadmodum in servitutibus & annuis præstationibus fieri solet juxta *l. Non quemad. 35. ff. de Judic. l. Egi 12. si serv. vindic.* & *l. 1. §. 2. ff. de Usur.* Dicit igitur Parochus, se esse Curatum hujus loci, ratione cujus decimæ sibi debeantur, & cùm Titius ibi habeat agros, ex quibus non solvit decimas, petere se eum condemnari ad solvendum præteritas, & ad continuandam deinceps solutionem, quamdiu ipse actor hujus Ecclesiæ Curatus fuerit, Judicis officium desuper implorando &c.

Assert. III. Condictio ex Canone non solùm competit contra quemvis fructuum possessorem, ut dixi *n. 638.* ac tradunt Rebuff. *cit. q. 9. n. 14.* & Moneta *cit. q. 3. n. 36.* cum communi omnium: sed etiam contra illum, qui fructus vel pendentes vel solo adhuc cohærentes, vel jam separatos & collectos, dolo vel notabili negligentiâ destruxit, uti observat Pirhingius *h. t. n. 158.* & patet ex dictis *n. 631. & segg.* Addit Joan. Andreas in *c. Commissum h. t. n. 5.* eum, qui dolo vel negligentiâ fructus pessumdedit, non excusari ex superveniente postea grandine aliove simili infortunio, 640

quo

quo illi fuissent perituri, eò quòd dolum vel culpam jam commiserit, & satis sit, quòd fructus poterant non perire. Quam sententiam ut verissimam passim tenent Theologi, dum universim ajunt, eum, qui damnum injuriâ dedit, teneri ad ejus compensationem, etiamsi res aliunde peritura fuisset; saltem si tempore damni dati non habebatur notitia de interitu rei aliunde ex causis naturalibus imminente. Rationem dant Molina *tr. 2. de Just. disp. 726. n. 2.* & Card. de Lugo *tom. 1. de Just. disp. 18. n. 76.* quia cùm periculum illud ignoraretur, res tunc, quando destruebatur, in æstimatione morali tantundem valebat, quantum, si peritura non fuisset. Unde totus illè valor per injuriam ablatus fuit, & damnum dans totius illius debiti reus factus est, atque ideò suscepit in se onus & obligationem totius debiti solvendi, à qua obligatione non excusatur, quòd eventus postea ostendit, rem, etiamsi à me destructa non fuisset, creditori vel domino nihilominus perituram fuisse, quia hoc non facit, rem minus valuisse eo tempore, quo injustè à me destructa fuit, & pro quo taxari debet valor damni illati. Addunt, etiamsi prævideam, rem ab alijs injustè vel auferendam vel destruendam, si ego intactam relinquam, teneri me nihilominus ad totum damnum reparandum, si abstuli aut destruxi: quia sicut ille, qui damnum, me non dante, daturus fuisset, teneretur ad ejus integram compensationem, ita ego præveniens teneor integrè compensare, tanquam sola & integra causa totius damni injuriâ dati. Limitanda tamen videtur assertio quoad illas terras, ubi frequentia damna frugibus inferuntur ex causis naturalibus, grandine, inundatione, nimiâ nivium aut ferarum copiâ &c. Cùm enim v.g. in aliquot locis, ijs maximè, quæ alpibus vicina sunt, alternis sæpe annis aut singulis biennijs vel triennijs segetes grandine sternantur, periculum hujusmodi & damnum censeri debet inter ordinaria, ac idcirco valor fructuum adhuc pendentium neutiquam tantus est, quantus est jam collectorum, & sic is, qui perdit adhuc pendentes, non est censendus tantum damni inferre, quantum, qui jam collectos aufert aut pessumdat. Igitur hîc locum habebit arbitrium boni viri, & condemnandus non erit reus juxta totum valorem, quem fructus de se habent, sed juxta spem, quam ad eos colligendos habuit colonus.

Assert. IV. Contra eum, qui 641
decimarum debitori dolosè suasit, alióve modo eum induxit, ut eas non solveret, competit actio de dolo ad damnum contingens ex illa sua suasione, consilio, mandato &c. Ita Rebuff. *cit. q. 9. n. 18.* cum Innocent. ac alijs in *c. Dudum 31. h. t.* nisi decimæ ad dolosum pervenerint:

rint: tunc enim, quia aliæ actiones competunt, de quibus suprà, cessat illa de dolo, utpote quæ est subsidiaria & extraordinaria. *l. Et eleganter 7. ff. de dolo malo.* Ordinarium autè remedium excludit extraordinarium. *l. 16. ff. de Minor.* nisi extraordinarium sit pinguius, quale non est actio de dolo, utpote quæ solùm datur in simplum, cùm sit rei persecutoria, & nullâ pœnam contineat. Oldendorp. *de Action. class. 6. act. 11. q. 7.* Mynsing. *in §. 31. Instit. de Act. n. 38.* Manzius *ibid. n. 9.*

642 Assert. V. Si lis est de proprietate juris decimandi inter duas Ecclesias, aliósve decimatores, agitur *Confessoriâ*, de qua suprà *n. 639.* quia agitur de re incorporali. Ita Glossa, Hostiens. & Panorm. *in c. Tuanobis 26. h.t.* Rebuff. *l. c. n. 13.* Moneta *l. c. n. 38.* Eadem est ratio de casu, quo Parochus, aliúsve decimator asserit, sibi jus decimandi in his fundis competere; negat verò dominus fundi, emphyteuta &c. prætendens immunitatem ex privilegio, consuetudine, præscriptione &c. competit enim illi *Confessoria*, huic *Negatoria*, juxta *§. æquè 2. Inst. de action.* Porrò quamvis agenti *Confessoriâ* probandum sit jus in re & quasi dominium, quod habere prætendit; si tamen actor est Parochus, sufficit, si probet, se esse Rectorem Parochiæ, intra cujus fines fundus decimalis est: quia fundatam habet in jure intentionem juxta dicta *n. 345. & 346.*

Assert. VI. Clericus laditâ Parochiâ agit possessorio adipiscendæ, & libello concludit, se esse Parochum loci, & idcirco ratione curæ animarum decimas sibi deberi, ac propterea petere adipisci illarum possessionem. Patet ex *§. 2. & 3. Inst. de Interdict.* ac in specie de decimis traditur à Rebuffo *q. 9. n. 1.* Moneta *c. 8. q. 2. n. 27.* Franc. Leo *p. 2. Thes. For. Eccl. c. 12. n. 28.* Sicque concludi potest etiam in alijs spiritualibus, ut tradunt DD. in *c. Accedens 23. de Accusat.* & Panor. in *c. Constitutis de Appell. in fin.* ac *c. Pastoralis colum. 3. de Caus. Possess.* 643

Assert. VII. Si Parochus aliúsve decimator turbatur in possessione juris percipiendi decimas, agit Interdicto *Uti possidetis*, seu retinendæ, juxta tradita à DD. in *§. Retinendæ Inst. de Interdict.* docétque de decimis Rebuff. *l. c. n. 3.* Moneta *n. 30.* Leo *n. 25.* agítque hoc Interdicto non solùm contra Parochianos, qui recusant solvere decimas; sed etiam contra alios Curatos, & Clericos tam Regulares quàm seculares, ac universim contra quoscunque, à quibus in dicta possessione turbatur, ut ijdem observant post Glossam, Hostiens. ac alios in *c. Dudum 31. h.t.* 644

Assert. VIII. Si Parochus aliúsve decimator spoliatus est decimis, agit ad restitutionem juxta *c. ad decimas 2. de Restitut. Spol.* & concludit remedio *Redintegrandæ* ex 645

Can.

643

Can. 33. q. 1. ut notant Rebuff. *l. c. n. 2.* Moneta *n. 29.* Leo *n. 27.* ac alij. Et quidem non tantùm agit adversùs ipsum spoliatorem, sed etiam adversùs quemcunque decimarum possessorem etiam bonæ fidei, sive cum vitio, & absque titulo, sive cum titulo ad ipsum pervenerint: idque ad 30 annos. Quod pinguissimum remedium etsi nec ex illo *Can. Redintegranda*, nec ex alio Jure probetur, passim tamen etiam à Legistis admittitur, agnitúmque non semel fuit à Camera Imperiali, teste Mynsingero *cent. 3. obs. 85. n. 6.* Quòd si fortè reijciatur à Judice, uti contra bonæ fidei possessorem reijciendum existimant Bartol. Angel. Alexand. ac alij apud Gaillium *l. 2. obser. 75. n. 10.* & Emm. Gonzalez in *c. 15. de Restit. spol. n. 4.* concedendum saltem erit remedium *Recuperandæ* ex Concilio Later. relatum *c. Sæpe contingit penult. de Restit. spol.* quod non tantùm competit adversùs eum, qui possessorem per se vel per alium dejecit vel deijci mandavit, ut Jnterdictum *unde vi*; sed etiam adversùs quemlibet possessorem spoliationis conscium, sive acceperit spolium immediatè à spoliatore, sive mediatè, etiam à possessore bonæ fidei intermedio. An verò spoliatus decimis ante omnia restituendus sit, dicetur infrà *à n. 652.*

644

CAPUT III.

De Modo procedendi in Causis Decimarum.

QUÆSTIO I.

An in Causis Decimarum summariè procedendum sit?

SUMMARIUM.

646. *Status quæstionis proponitur.*

647. *Causa decimarum inter Clericos, & inter hos ac Parochianos, est summaria.*

645

648. *Item, si quæstio est inter duas Ecclesias de jure decimandi.*

649. *Non tamen, si quæstio est de decimis ex pacto aliove jure speciali debitis.*

650. *Aut inter laicos: nisi eas habeant in feudum.*

651. *Si est summaria, tractari potest inferijs favore hominum inductis.*

646 CAusas Decimarum esse summarias universim & absolutè pronuntiant Maranta *in Speculo Advoc. p. 4. disp. 9. n. 174.* Piasec. *Prax. Episc. p. 2. c. 4. art. 9. n. 2.* ac alij. Itáque pronuntiandum videtur, eò quòd *Clem. Dispendiosam 2. de Judic.* inter causas summarias Matrimonij, Usurarum, Electionum, Dignitatum &c. recensetur causa Decimarum & sine limitatione dicitur, in illis procedi posse *simpliciter & de plano, ac sine strepitu judicij ac figura.* Verùm hæc Clementinæ regula procedit de casibus solùm ordinarijs, ut communiter tradunt DD. patitúrque, ut pleræque aliæ, limitationem.

647 Assert. I. Quando lis est inter Clericos, quibus de Jure debentur decimæ, & eos, qui solvere tenentur, causa est summaria. Et de hoc præcipuè casu procedit dicta *Clem.* ut in eandem tradunt Glossa *V. Decimus*, & cæteri DD. Addunt cum Card. *ibid. n. 28.* & Imola *n. 7.* Moneta *c. 8. q. 3. n. 42.* & Aug. Barbosa *de Offic. Paroch. c. 28. §. 4. n. 5.* procedi in tali casu posse sine aliqua Juris solemnitate. Idémque dicendum videtur cum Cardin. *n. 23.* & Moneta *n. 51.* quando agitur contra Advocatum Ecclesiæ aliósque, qui detinent decimas, aut earum solutionem impediunt. Quamvis in hoc casu ordinariâ judicij formâ procedendum esse existiment Imola *n. 81.* & Bened. Capr. *in cit. Clem. n. 20.* eò quòd tunc non agatur ad decimas, ut ajunt, sed ad interesse. At verum non est, agi tantùm ad interesse: si enim fructus extant, agitur ad ipsas decimas: si solutio impeditur, agitur de jure decimandi, in quo decimator turbatur, & sic causa est propriè decimalis, ac idcirco summariè tractanda. 650

Assert. II. Summariè quoque 648
proceditur, si quæstio est inter duas Ecclesias de jure percipiendi decimas, ut post Gloss. Cardin. ac alios in *cit. Clem.* tenent Rota Rom. *in nov. decis. 14. n. 2.* Asin. in *Praxi p. 1. §. 3. c. 31. n. 12.* Zerola in *Praxi Episc. V. Decimæ §. ad sextum.* Moneta *l. c. n. 43.* Leo *p. 2. Thes. For. Eccles. c. 12. n. 30.* Barbosa *cit. n. 5.* Addit Moneta *n. 44.* cum Rota Rom. Anan. ac alijs *in cit. Clem.* idem dicendum esse, si una earum prætendat, decimas sibi deberi ex consuetudine: quia consuetudo lex quædam est & jus commune, juxta *can. Consuetudo 5. dist. 1.* & DD. *in rubr. de Cõsuetudine.* A fortiori hæc procedùnt, quando Parochus agit possessorio *retinendæ*: cùm hoc sit summarijssimum, & probatâ possessione tempore litis motæ non admittantur probationes requirentes altiorem indaginem, sed detur Parocho manutentio. *§. Retinendæ 4. V. Quorum Inst. de Interdict.*

Assert. III. Si quæstio est de de- 649
cimis debitis ex pacto, voto, alióve jure speciali, causa non est summaria. Sic tenent Glossa, Imola *n. 4.* & DD.

& DD. *in cit. Clem.* Moneta *l. c. n.46.* ac alij. Hac doctrina standum esse affirmat Card. *n. 19.* propter auctoritatem Glossæ, quam ait à nemine reprobari, tametsi ipse contrarium censeat esse verius.

650 Assert. IV. Si quæstio de decimis vertitur inter laicos, locum non habet decisio *cit. Clem. Dispendiosam*, nec causa est summaria. Ita tenuit Rota Rom. *cit. decis. 14. n. 2.* Idémque tenent Glossa & DD. *in cit. Clem.* dum asserunt, eam solùm procedere de casu, quo decimæ debentur Jure communi, uti debentur Ecclesiasticis; non verò, si debentur jure speciali, quo eas possident laici. Advertunt tamen cum Rota *l. c. n. 50.* & Card. *n. 21.* Moneta *n. 49.* Bened. Capr. *l. c. n. 17.* & Leo *l. c. n. 31.* causam etiam inter laicos agitatam esse summariam, si eas habent in feudum. Rationem dant: quia cùm Ecclesiæ debeantur Jure communi, & hæc eas legitimè transtulerit in laicos vasallos, gaudent isti eodem jure & privilegio, quo illa; nam *qui in jus dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet. l. 177. ff. de R. J. & reg. 46. eod. in 6.*

Ex modò dictis consequens est, 651
quod tradunt Everhard *in Topic. legal. loco à Tributo ad Decim. n. 4.* Moneta *n. 42.* Barbosa *l. c.* ac passim alij, causam decimarum, quando summaria est, tractari posse in ferijs in favorem hominum introductis. Estque manifestum *ex Clem. sæpe 2. de V. S.* ubi dicitur, in causis summarijs procedi posse *tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum.* Ex eadem patet, quando de decimis summariè agitur, nec libello, nec litis contestatione opus esse, amputandas esse dilationes, exceptiones ac appellationes dilatorias & frustratorias repellendas, Advocatorum & Procuratorum contentiones & jurgia, testiúmque superfluam multitudinem refrenanda &c.

QUÆSTIO II.

Spoliatus Decimis an ante omnia sit restituendus?

SUMMARIUM.

652. *Spoliatus non est restituendus ante omnia, si jus ipsi resistit & assistit spolianti.*
653. *Rationes in oppositum.*
654. *Laicus spoliatus decimis à Parocho non est restituendus, nisi titulum edat.*
655. *Refellitur opinio contraria.*
656. *Nec restituitur laicus spoliatus, si Parochia est incorporata alteri Ecclesiæ.* 657.

657. *Nec Monasterium vel Clericus à loci Parocho spoliatus, nisi fuerit in diuturna possessione.*
658. *Etiam laicus spoliatus contra eum, cui jure communi decimæ non debentur, est restituendus.*
659. *Multò magis Monasterium aut Clericus spoliatus.*
660. *Laicus spoliatus à laico semper est restituendus.*
661. *Parochus contra Parochianos est manutenendus.*
662. *Nisi sint in diuturna possessione non solvendi.*
663. *Qui tamen rarò legitimè reclamant.*
664. *Explicatur assertio.*
665. *& seqq. solvuntur opposita.*

652 QUæstionis hujus solutionem difficilem reddunt Jura, ut videri potest, sibi contraria. Nam tam leges civiles, quàm Canones asserunt, spoliatum ante omnia restituendum esse, etiam omni exceptione postposita. *l. siquis ad se C. ad L. Jul. de vi publ. l. 1. §. si prædoff. Depositi. l. meminerim C. unde vi, c. 1. 2. & ult. de Ord. cognit. c. In litteris & c. Conquerente de Restit. Spol. Can. 1. & seqq. 2. q. 2.* Contrarium tamen decidi videtur *c. 2. de Restit. Spol. in 6.* sic enim ibi loquitur Bonifac. VIII. *Ad decimas, quas Canonici S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesiæ Clerici possedisse aliquamdiu, & eis per eundem Clericum spoliatos fuisse, nequaquam debent restitui, nisi evidenter docuerint, quòd earum possessionem legitimè assecuti fuissent, quia eas occupâsse injustè verisimiliter præsumuntur, cùm proveniant ex prædijs in aliena Parochia constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de jure communi ad eandem Ecclesiam pertinere.* Ex qua decisione plerique DD. hanc regulam statuunt, spoliatum non esse ante omnia restituendum, sed priùs ostendi ab ipso debere legitimum possessionis titulum, si Jus commune ipsi resistit & assistit spolianti.

653 Sunt tamen nonnulli, qui hanc regulam non admittunt, eò quòd non benè deduci videatur ex *cit. c. 2.* ac alijs Juribus claris sit contraria. Nam 1. si restitutio spolij facienda non esset, quando jus assistit spolianti & resistit spoliato, tunc ideo, quia talis spoliat° verisimiliter præsumitur rem injustè occupâsse. At hoc non sufficit ad denegandam restitutionem, *quia prædo etiam est secundùm rigorem juris restituendus*, ut dicitur *c. 5. de Restit. Spol.* idémque habetur *l. Colonus 12.* & *l. Cùm fundum 18. ff. de acquir. poss.* & tamen de prædone non sola datur præsumptio, sed certitudo habetur, quòd injustè occupârit. Igitur per vim possessione dejectus, etsi notorium defectum tituli in proprietate habeat, adhuc restituendus

tuendus est odio spoliantis, jusque sibi ipsi dicentis contra *l. non est singulis 176. ff. de R.J.* & *l. siquis in tantam 7. C. unde vi.* ut præter alios fusè explicat Petr. Barbosa *ad l. si de vi 37. ff. de Judic. à n. 43.* II. Siquis habens duas Ecclesias Parochiales priori ab Episcopo spolietur, statim restituitur, licèt non ostendat titulum, aut dispensationem, per quam plures Parochias simul retinere possit, ut habetur *c. licèt Episcopus 28. de Præbend. in 6.* & tamen tali possessori manifestè Jus commune resistit juxta *c. Nonnulli de Cler. non resid.* & *c. de multa de Præbend.* Idémque Jus commune favet Episcopo spolianti, utpote ad quem de jure pertinet collatio vacantium Ecclesiarum. *can. omnes basilicæ 7. 16. q. 7.* III. In casu *c. Cùm dilectus 2. de Ord. cognit.* quidam Nobiles fuerunt restituti contra Monasterium, à quo fuerunt spoliati castro, tametsi non negarent, castrum esse Monasterij. Ergo spoliatus restituendus est ante omnia, non solùm si datur præsumptio, quòd nullum titulum in re habuerit, sed etiam, si id manifestum est. IV. Quidam Clerici, qui non erant de Capitulo Ecclesiæ, spoliati à Canonicis quasi possessione juris eligendi, in eandem restituebantur, ut habetur *c. Cùm Ecclesia 3. de Caus. poss. & propr.* & tamen jus resistebat spoliatis, & assistebat spoliantibus, quia jus eligendi competit solùm ijs, qui sunt de gremio Capituli, non verò alijs. V. Spoliatus sua conjuge restituitur, tametsi opponatur consanguinitas & ipse non sit in possessione talis conjugij, utpote ob consanguinitatem invalidi. *c. literas 13. de Restit. Spol.*

Assert. I. Quando laicus est spo 654
liatus decimis à Parocho, non est restituendus, antequam titulum suæ quasi possessionis ostendat, vel quasi possessionem temporis jmemorialis. Ita teste Emman. Gonzalez *in c. 7. de Restit. spol. n. 13.* omnes Interpretes *ad cit. c. 2. eod. in 6.* decidítque sæpius Rota Rom. cùm in causa decimarum tum in matrimoniali, non dari manutentionem seu restitutionem, quando spoliato resistit jus, & assistit spolianti, ut testantur Aug. Barbosa *in votis decis. voto 54. n. 18.* & Pignatelli *tom. 4. consult. 35. n. 24.* Ratio patet: quia sicut Interdictum *unde vi* non competit ei, qui non possidet juxta *c. Ex parte 14. eod.* ita neque competere potest pro re, quæ non potest possideri, ut rursum docent omnes DD. & latè probant Menoch. *remed. 15. recuper. poss. à n. 433.* & Aug. Barbosa *l. c.* unde si laicus spoliatus petat restitutionem quasi possessionis juris decimandi, restituendus non est, non quasi injustus possessor sit, sed quia non est possessor, ut cum Barbosa & Mindano ex *c. causam 7. de Præscript.* observat Gonzalez *l. c.* vel, ut loquitur Covarr. *l. 1. var. c. 17.*

n. 6. quia laicus de se est incapax hujus juris, & sic non tantùm contra se habet præsumptionem Juris communis (quam contra se habet etiam omnis illis, qui non est loci Parochus) sed insuper incapacitatem possessionis, quam sibi petit restitui, & sic quoad ipsum deficit principalis causa Interdicti *recuperandæ*, nisi constet de titulo privilegij (quo solo capax possessionis reddi potest) saltem præsumptivè ex immemoriali quasi possessione: etsi enim in possessorio opus non sit justificari titulum ultra possessionem (nam hoc sufficeret ad vincendum in ipso petitorio, ac idcirco regulariter requiri non debet in solo possessorio) allegatio tamen possessionis non sufficit, si huic jus resistit, seu si is, qui possessionem prætendit, ejus de jure non est capax. Dixi autem, saltem præsumi debere titulum ex immemoriali quasi possessione. Unde si constaret, laicum fuisse hactenus in immemoriali hujus juris possessione, foret etiam contra Parochum restituendus. Et quamvis hoc ultimum Interpretes non tradant, credo tamen, neminem refragaturum ex ijs, qui docent, ex tanti temporis possessione (saltem si accedat fama privilegij) legitimè præsumi, quòd laicus justo titulo, videlicet privilegio Ecclesiæ hoc jus obtinuerit, nisi contraria aliqua præsumptio obster. Ratio est: quia juxta *cit. c.* 2. extraneus decimis à Parocho spoliatus ideò restitui non debet, quia contra ipsum & pro spoliante est præsumptio: hæc autem ratio cessat, si pro spoliato est præsumptio justi tituli, uti est ex illa immemoriali possessione juxta dicta *n. 477.* Igitur laicus spoliatus contra Parochum spoliantem nunquam restituitur, nisi constet de ejus titulo seu privilegio Pontificio, vel detentione immemoriali, & consequenter non sufficit quæcunque, quamvis diuturna, quasi possessio, si non sit immemorialis; quia juxta receptam omnium DD. sententiam hæc sola pro laico facit præsumptionem justi tituli, qui quoad laicos est solum privilegium Pontificis vel absolutè donantis decimas vel in feudum concedentis, non verò præscriptio, donatio à Parocho vel Episcopo facta &c. ut constat ex dictis *cit. n. 477.* & *480.* Cæterùm juxta decisionem Rotæ & communem DD. quam refert & sequitur Aug. Barbosa *ad c. 2. de Restitut. spol. n.* 13. procedit assertio etiam tunc, quando lite vel appellatione pendente laicus est spoliatus & per viam attentatorum agit, ut in pristinum statum reponantur, & omnia penitus revocentur.

Ex dictis consequens est, neutiquam sustineri vel practicari tutò posse doctrinam Glossæ *in can.* 1, 14. *q.* 1. *V. possideri*, & cujusdam Bartholomæi Brixinensis absolutè asserentium, laicum decimis spoliatum restituendum esse; nec opinionem

nem Prænob. D. de Clingensperg *assert.* 31. *de Decim. n.* 2. tenentis, restituendum esse spoliatum etiam à Parocho decimatorem universalem, vel talem, quem aliunde constat non duntaxat aliquamdiu, sed longo tempore 10. vel 20. annorum fuisse in quasi possessione Decimarum. Obstat enim constans aliorum Interpretum doctrina; praxis ac stylus Curiæ & Ecclesiæ Romanæ, cujus privilegio sicut decimæ ad laicos pervenerunt, ita ad eandem pertinet decidere, quo jure eas concesserit, & quid in controversijs circa eas tenendum sit; ac denique ipsa ratio intrinseca. Cùm enim laici, seclusâ Ecclesiæ concessione, capaces non sint quasi possidendi jus decimarum, stat contra ipsos præsumptio, quòd legitimè non possideant, quamdiu titulus non ostenditur vel verus, vel præsumptus: titulus autem præsumi nequit ex detentione 10. 20. aut etiam plurium annorum, sed solùm ex tempore immemoriali, ut tradit constans omnium DD. sententia, & patet ex dictis *n.* 477. & 480.

656 Assert. II. Si Parochia est incorporata Monasterio, Ecclesiæ Cathedrali vel Collegiatæ, aut Academiæ, restituendus contra eas non est laicus spoliatus, nisi constet de justo ejus titulo vel quasi possessione immemoriali. Assertio sequitur ex dictis: cùm enim ob incorporationem factam Monasterium quoad decimas censeatur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quàm contra Episcopum & Vicarium, cui cura est commissa, fundatam habeat intentionem juxta dicta 448. & 439. consequens est, quòd sicut contra Parochum non restituitur laicus, ita nec contra Monasterium.

Assert. III. Si Monasterium vel 657
Clericus à proprio loci Parocho in quasi possessione juris decimandi turbatus & spoliatus fuerit, non est restituendus, donec titulum ostendat, vel tituli præsumptionem notoriè pro se habeat. Assertio patet ex *cit. c. ad decimas 2 de Restit. spol. in 6.* ubi hæc ipsa hypothesis, quam posui, habetur. Patet quoque ratio: quia Clerico alieno resistit jus, & assistit Parocho. Atqui si hæc resistentia juris datur ex parte spoliati & ex parte spoliantis assistentia, non conceditur restitutio, saltem in spiritualibus, ut ex *cit. c.* 2. tradunt communissimè DD. post Archidiac. Dominic. Panor. Bald. Alexand. Innocent. Socin. ac Aretin. apud Gabrielium *l.* 5. *tit. de Restit. spol. concl.* 1. *n.* 122. & Petr. Barbosa *in l. si de vi* 37. *ff. de Judic. n.* 131. Ut tamen Clericus extraneus, & qui Parochus non est, contra proprium loci Parochum restituatur, non videtur necessarium (quod plurimi absolutè affirmant) ut constet de legitimo titulo, vel de immemoriali possessione, ex qua titulus præsumatur, uti requiritur in

laicis: sed sufficit, si longo tempore in pacifica possessione juris decimandi fuerit, ut sentiunt Fern. Vasq. *l. c.* Aug. Barbosa *in cit. c. 2. n. 8.* Laym. *ibid. n. 2.* Lud. Engel *tit. de Decim. §. 1. n. 4.* & *tit. de Restit. spol. n. 17.* Robert. König *eod. tit. de Rest. n. 13.* P. Jacob. Wex *tr. de Decim. contr. 4. §. 9.* Ratio est: quia licèt Clerico, qui in aliena Parochia jus decimandi prætendit, jus resistat, eo ipso, quòd proprio loci Parocho assistit, non tamen ita resistit, ut secluso etiam privilegio sit incapax illud jus possidendi, sicut incapax est laicus; eo ipso quòd Clericus illud potest præscribere, ut dictum est suprà *à n. 442.* Si ergo longo tempore fuit in pacifica possessione, non malè præsumitur, quòd titulum aliquem legitimum habeat: uti post Panorm. in *c. 3. de caus. poss. n. 52.* & Francum *in cit. c. 2.* notat Laym. *l. c.* & sic tollitur præsumptio injustè occupatarum decimarum, propter quam *eod. c. 2.* spoliatis negatur restitutio. Idque indicâsse videtur Pontifex *cit. c. 2.* dum dicit, Canonicos, quibus negandam asserit restitutionem, fuisse *aliquamdiu* in possessione; utique illam non negaturus, si fuissent diu in possessione. Illud saltem certum esse videtur, huic limitationi assertionis modò factæ non obesse illam Pontificis decisionem, cùm é contrario faveant Jura suprà adducta, quibus spoliato conceditur ante omnia restitutio. Quàm diutur-

na verò esse debeat possessio ad hoc, ut prævaleat assistentiæ Juris, quam pro se habet Parochus, & contra hunc sit restituendus possessor Clericus extraneus, difficile est determinare in casibus particularibus. Unde decidendum erit arbitrio Judicis. Cúmque in Jure longum seu diuturnum tempus sit decennium, saltem decennalis possessio continuata requiritur ad hoc, ut spoliato detur restitutio. Illud extra controversiam est, si actus possessorij sunt incerti, turbidi seu contradicti, vel interrupti, vel aliunde aliqua præsumptio sit contra extraneum, quòd vi, clàm, vel precariò possidere cœperit, vel locatas duntaxat habuerit decimas, manutenendum esse Parochum, ut in simili ex pluribus Rotæ decisionibus notat Aug. Barbosa *p. 3. de Offic. Episc. alleg. 127. n. 40.* 65

Assert. IV. Si à Clerico vel Monasterio, cui Jure communi non debentur decimæ, spoliatus fuerit laicus, erit iste ante omnia restituendus. Ratio est: quia tunc solùm negatur spoliato restitutio, quando ipsi resistit Jus, simúlque assistit spolianti, uti post Glossam *in cit. c. 2. de Restit. spol.* Panorm. Ripa, Natta, Joan. Andr. Joan. Monach. Dominic. Gabrielium, Jasonem, ac alios tradunt Covarr. *l. c. & p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 5. n. 13. & 14.* Joan. Garcias *de Nobilit. Hispan. Gloss. 12. n. 85.* Petr. Barbosa in *l. 37. ff. de Judicijs n. 131.* Navarr. in *c. acceptata de* 658 66

ta de Restit. spol. oppositi. 10. n. 21. ubi ait, communiter à DD. sic intelligi illud *c.* 2. Etsi igitur in data hypothesi jus resistat laico spoliato, quia tamen Clerico vel Monasterio spolianti non assistit, concedenda erit spoliato restitutio. Dicendum tamen videtur, hanc faciendam non esse, si notorium foret, quòd jus decimandi Clerico spolianti vel Monasterio ex privilegio, vel præscriptione competat; etsi enim Jus commune ipsi non assistat, assistit tamen jus & titulus extraordinarius, sicque procedit regula, quòd spoliato neganda sit restitutio, si jus ipsi resistat, assistat verò spolianti, quod à fortiori procedit in hypothesi allatâ *n.* 656. nisi constet de laici spoliati privilegio vel quasi possessione immemoriali.

659 Assert. V. Si Clericus vel Monasterium, cui Jure communi non debentur decimæ, ijsdem spoliavit aliud Monasterium vel Clericum, cui Jus commune pariter non assistit, spoliatus ante omnia restituendus est. Ratio patet ex dictis, præcipuè *n.* 657. ac à fortiori ex dictis *n.* 658.

660 Assert. VI. Laicus spoliatus decimis ab alio laico ante omnia est restituendus, tametsi spoliator contendat, jus decimandi ad se pertinere ex privilegio Pontificio. Hæc quoque assertio sequitur ex dictis *n.* 658. & tenetur à Guidone Papæ q. 288. Fern. Vasq. *l.* 2. *contr. c.* 89. *n.* 5. Covarr. *l.* 1. *var. c.* 17. *n.* 6. Augustt. Barbosa *l. c. n.* 19. *& in c.* 7. *de Præscript. in* 6. cum Gutierez ac alijs, éstque communis DD. dum asserunt, tunc solùm restituendum non esse spoliatum, quando ipsi jus resistit, simúlque assistit spoliatori, uti assistit Parocho & resistit laicis ac Clericis, qui non sunt Parochi loci, in quo decimas prætendunt. Cùm igitur laico spoliato jus quidem resistat, non tamen assistat alteri laico spolianti, consequens est illum esse restituendum.

Assert. VII. Si Parochiani ne- 661
gant decimas, prætendendo præscriptionem, consuetudinem non solvendi, privilegium &c. manutenendus in suo jure est Parochus, & restituendus, donec illi probent titulum, quem allegant: nisi sint in diuturna quasi possessione immunitatis. Ita tradunt communiter DD. éstque sæpius ita judicatum à Rota Romana teste Pignatelli *tom. 4. consult. 36. n.* 24 & in casu Jurisdictionis ordinariæ (cui iste de jure decimandi Parochis competente omnino similis est, cùm sit par ratio de Jurisdictione Episcopis competente & jure Parochorum) multoties decisum cùm à S. Congreg. Concil. tum à Congregat. Episcop. & Regul. teste eodem Pignatelli *tom. 2. consult. 26. n. 18.* ac ab ipso SS. Pontifice *c. Cùm personæ 7. de Privileg. in 6. & c. 2. de Restit. spol. in 6.* Ratio patet ex dictis: quia etiam in hoc casu jus asistit Paro-

chis decimas exigentibus, & resistit Parochianis solvere renuentibus. Accedit, quòd nisi manutentio concederetur Parochis, isti jus suum in petitorio multis litium ambagibus repetere identidem cogerentur, cùm Parochiani ob negligentiam priorum Parochorum aut eorum indulgentiam, ac gratuitam remissionem, aut contumaciam debitorum facilè prætendere exemptionem possent: quæ vexatio foret iniqua, cùm Parochi jus, quod à SS. Canonibus ac ipso Jure naturali ipsis concessum est, deducere in judicio deberent contra eos, quibus Jura resistunt & obligationem solvendi imponunt.

662 Addidi in assertione: *nisi sint in diuturna quasi possessione immunitatis.* Quam limitationem etsi DD. ferè omittant, addenda tamen videtur: nam posse Parochianos in hac quasi possessione esse, constat ex eo, quòd immunitas à solvendis decimis acquiri consuetudine & præscriptione potest, juxta ea, quæ suprà tradita sunt *à n.* 260. & 291. posito autem, quòd capacitatem possidendi habeant, & in possessione actu sint & quidem longo tempore, non verò Parochus, manuteneri iste contra illos non debebit, cùm penes ipsum non sit possessio, in qua manutenendus foret. Neque enim in tali casu præsumptio, quòd sit in possessione, pro ipso stat, quia præsumptio quoad possessionem exemptionis non obstat laicis, sicut obstat, quando non solam exemptionem, sed ipsum jus decimandi prætendunt, ut dixi *n.* 654. Et quamvis Jura etiam quoad exemptionem resistant, non tamen tantopere resistunt, quantùm resistunt quoad jus decimandi, ut patet cùm ex dictis *n.* 294. tum ex eo, quòd etsi laici secluso Ecclesiæ privilegio juris decimandi capaces non sint, sunt tamen capaces exemptionis. Hæc tamen non procedunt, si præter præsumptionem communem, quæ de Jure est contra Parochianos, contra ipsos pugnet alia specialis, v.g. quòd prior Parochus decimas permiserit solùm ex benevolentia, vel quòd ad certos annos aut suam vitam cum ijsdem transegerit, aut illas quidem petierit, nec tamen obtinere potuerit &c. tunc enim illa prætensa immunitatis possessio contra decimatorem non proderit, ut in simili dixi suprà *n.* 481.

Universim circa oppositionem, 663
quâ Parochiani recusant dare decimas prætendendo legitimam exemptionem, notandum est, ratò illi locum esse posse, saltem si in petitorio conveniuntur. Nam vel integra communitas consuetudinem non solvendi & vi hujus se liberam ab onere decimarum esse prætendit? Et tunc ostendere debet, quòd ab annis 40. & non minori tempore decimæ solutæ non fuerint, ut constat ex dictis *n.* 283. vel prætenditur ab uno aut pluribus præ-

scriptio

scriptio contra decimatorem legitimè completa? Et tunc præter bonam fidem ac alia ad præscriptionem requisita verificari debet exemptionis possessio, qualis requiritur in servitutibus negativis, videlicet ut Parocho petenti decimas, hæ fuerint negatæ, & is acquieverit, ut post Rotam Rom. aliorúmque communem notant Card. de Luca *de Decim. discursu* 14. *n.* 14. *& d.s.* 15. *n.* 10. ac Antonelli *de Tempore legali l.* 2. *c.* 37. *n.* 12. & patet ratio: quia aliàs omissio exactionis est actus meræ facultatis; constat autem per actus meræ facultatis non præscribi. Jam verò repugnantia ad factam à Parocho postulationem & ejusdem patientia, seu, ut loquuntur, acquiescentia, simúlque bona recusantium fides, rarò aut nunquam ostendi poterit, nisi simul ostendatur aliquis titulus, v.g. privilegium, compositio auctoritate Superioris facta, præscriptio &c. Nam Parochiani plerumque solùm prætendunt, certis annis ex hoc vel illo fundo solutas non esse decimas: per hoc autem (ut nihil dicam de bona fide, quæ vix aderit, nisi titulus habeatur) nondum ostenditur quasi possessio exemptionis, cùm omissio solutionis potuerit esse facta, & sæpissimè fiat, ex alijs causis, & per actus meræ facultatis, dum v.g. prior Parochus ex mera gratia & benignitate jus suum prosecutus non est, & singulis annis vel gratis remisit, vel vi transactionis ad aliquot annos aut vitam suam &c. qua ratione nulla exemptionis possessio contra successorem inducta fuit, quia antecessor præjudicare suis successoribus nec voluit nec potuit, ut observant Card. de Luca *l. c.* & Suar. *c.* 12. *n.* 15. Et hæc esse causa videtur, quòd communissima DD. generaliter statuit, quando jus uni specialiter assistit & resistit alteri, uti contingit in causa decimarum, jurisdictionis &c. necesse esse, ut pars illa, quæ Jus commune adversùs se habet, prævalere tamen vult quoad manutentionem vel restitutionem, titulum justificet, aut saltem titulo ex temporis immemorialitate præsumpto se tueatur, eò quòd absque hujusmodi titulo actus, qui deberent possessionem generare, plerumque sint dubij valde & incerti: ad tollendam autem Juris assistentiam, quæ v. g. Parocho quoad decimas aut Episcopo quoad jurisdictionem favet, omnino necessarij sunt actus nullo modo turbidi incertíque, sed certi & clari in ordine ad effectum possessionis, debétque ista esse constans, inviolata, inconcussa, hoc est, sine contradictione & reprobatione, ut post Jasonem, Ripa, Ægidium, Barbatium, Præpositum, ac alios, variásque Rotæ Rom. decisiones, loquuntur Gutierez *l.* 3. *pract. q.* 14. *n.* 83. & Aug. Barbosa *p.* 3. *de Off. Epis. alleg.* 127. *n.* 40.

Ex

664 Ex dictis consequens est I. quòd manutenendus sit Parochus, tametsi Parochiani obtendant aliquos actus possessorios, nisi clarè constet, per hos sublatam esse priorem Parochi possessionem: quia quando duo litigant de possessione retinenda, is obtinet, qui probat antiquiorem possessionem juxta *c. licet causam 9. §. Ex præmissis de Probat.* aut cujus possessio insuper titulo est munita. Consequens est II. manutenendum esse novum Parochum, tametsi, quando decimas exigit, quidam Parochiani dare renuant, eò quòd dicant, etiam alios renuere, vel antecessorem non cum tanto rigore eas exegisse, vel ex hoc illóve fundo antecessori nunquam fuisse solutas, vel se pecunias pro ijsdem pendisse, vel facilè fuisse remissas &c. Ratio patet: quia cùm Parochus pro se habeat præsumptionem & Juris assistentiam, idcirco Parochianis incumbit onus probandi, quòd per ipsorum actus possessorios Parochus amiserit possessionem: hæc autem amissio non satis probatur ex solis illis, quos allegant, actibus, cùm sint de se indifferentes, & ferè ab ijs etiam exerceri soleant, qui sunt in mala fide & ad decimas se nôrunt obligatos. Consequens est III. non sufficere, si Parochiani exemptionem prætendentes solùm allegent consuetudinem, privilegium, præscriptionem, vel transactionem; sed necesse esse ista probari, & quidem non per conjecturas & dubias præsumptiones, sed per probationes veras ac proprias, plenas & convincentes, cùm absque his suâ possessione & jure Parochus æquè parùm dejici queat, ac alius legitimus possessor aut dominus: quæ probationes cùm ordinariè afferri nequeant, idcirco, ut dixi, DD. absolutè & sine limitatione ferè asserunt, contra Parochianos manutenendum esse Parochum.

Dissolvenda nunc sunt, quæ *n.* 665 *653.* allata sunt, & contra *cit. c. 2. de Rest. spol.* ac tres primas as- 66
sertiones pugnare videntur. Ad 1. R. tametsi detur, prædonem etiam notorium restituendum esse (quod tamen Innoc. Dec. Imol. Alex. aliique plurimi negant apud Gabrielium *l. 5. tit. de Rest. spol. concl. 1. n. 7.* ac *n.* 110. & Petr. Barbosa *ad L. 37. ff. de Judicijs n.* 125.) id tamen solùm procedit in profanis; non verò, si agitur de re vel jure sacro, quale de se est jus decimandi: nam in restitutione spiritualium vel quasi, locum habet decisio *cit. c. ad decimas 2. de Rest. spol.* ita ut si notorium sit verè vel præsumptivè, spoliatum esse injustum possessorem, & è contrario notorium sit, spoliatorem esse dominum rei, impediatur restitutio, uti cum Imola, Hippolyto, aliisque plurimis notant Joan. Garcias *tr. de Nobilit. gloss. 12. n. 85.* Paul. Castr. *l. 1. consil. 401. n. 5.* Ant. de Matth. *ad reg. Spoliat. ante om.*

est

est restit. fallent. 16. n. 49. V. venio. Barbosa *l. c. à n. 133.* Gabriel. *l. c. n. 10.* & *concluſ. 5. n. 127.* Mascard. *de Probat. concl. 1329. à n. 1.* quia spiritualia vel quasi nequeunt possideri sine titulo canonico *reg. 1. Jur. in 6.* & ideo, qui eorum restitutionem petit, probare debet titulum saltem coloratum, juxta Gloss. communiter receptam *in Clem. un. de caus. possess.* quem si non ostenderit, censetur nunquam possedisse, & per consequens non est restituendus. *cit. c. ad decimas & c. constitutus 8. de Filijs Presbyt.*

666 Ad 2. R. I. *cit. c. 28. de Præbend. in 6.* solùm asseri, quòd beneficium non debuerit conferri alteri, nisi priùs vocato & audito ejus possessore; non verò, quòd hic, si spoliatus est, restituendus sit ante omnia, licèt non alleget titulum saltem coloratum. Non debuisse in hypothesi illius capituli beneficium conferri alteri nisi vocato priùs ejus possessore constat ex textu, dum dicitur *cùm tibi forsan jus possit competere retinendi.*

R. II. Cum Aug. Barbosa *de Offic. Parochi c. 28. §. 2. n. 44.* tametsi Clerico, qui detinet Beneficium absque Canonica Institutione, vel retinet primum post pacificam possessionem secundi cum primo incompatibilis, resistat jus *reg. 1. Jur. in 6. & c. 3. de Instit.* solùm tamen resistit quoad proprietatem Beneficij, non verò etiam quoad ejus possessionem: hæc enim licèt injusta, vera tamen & legalis esse potest, cùm Clericus ejusdem sit capax, ac propterea eâdem dejectus restituendus est, antequam ostendat titulum canonicæ institutionis, juxta *c. In literis 5. de Rest. spol.* sicut, ut ibidem dicitur, restituendus est prædo, quamvis proprietatem non habeat, quia res, quam possidet, talis est, ut ponitur, cujus possidendæ est capax. At verò laicus absque titulo ne quidem possessionis decimarum capax est. Unde meritò tenetur priùs titulum, saltem præsumptivè ex temporis immemorialitate, ostendere, antequam restituatur, prout dictum est suprà *n. 654.*

Ad 3. R. illo *c. 2. de Ord. Cognit.* 667 agi de re merè profana & seculari: in rebus autem profanis, restituendum esse spoliatum, non verò in spiritualibus aut quasi, constat ex paulò antè dictis *n. 665.*

Ad 4. R. Clericos illos extraneos, 668 & qui non erant de gremio capituli, ac spoliati fuerant quasi possessione juris eligendi, ideò debuisse restitui, etiam antequam docerent de suo jure eligendi, quia etsi Jus assistat solis Canonicis, resistat verò alijs, non tamen his ita resistit, quin possidere possint jus eligendi, illúdque præscriptione ac consuetudine obtinere. Hinc in casu *cit. c. 3. de Caus. possess. & propr.* illi Clerici extranei, qui sua quasi possessione spoliati fuerant, meritò restituebantur, cùm sæpiùs antè

elegerint non tantùm permittentibus Canonicis, sed etiam ad electionem eos vocantibus, ac idcirco pro se habebant præsumptionem possessionis bonæ fidei. Alia longè ratio est de laicis jus decimandi prætendentibus, cùm istud secluso privilegio Ecclesiæ ne quidem possidere possint *c. Causam 7. de Præscript.* nec ipsis patrocinetur scientia & patientia, imò nec concessio Parochorum, & Episcoporum, aliorúmve Prælatorum SS. Pontifice inferiorum. Restitui igitur non debent, nisi ostendant titulum, videlicet privilegium Ecclesiæ, saltem præsumptivè ex detentione immemoriali, juxta dicta *n. 654. & seqq.*

669 Ad V. R. Conjugem spoliatum conjuge restituendum esse, tametsi impedimentum consanguinitatis opponatur, quia spoliato ob contractum matrimonialem in facie Ecclesiæ initum assistit jus, & resistit spolianti. E contrario si laicus spoliatus est decimis à Parocho restitit jus spoliato, & assistit spolianti. Accedit, quòd juxta *cit. c. 13. de Restit. spol.* restitutio non absolutè facienda sit, videlicet quoad thorum & mensam, sed solùm quoad mensam. Quin si plena fieret restitutio, uti faciendam esse statuisse videtur Lucius III. *c. Ex conquestione 10. de Restit. spol.* ea tamen effectum habere non posset quoad thorum, si adest impedimentum dirimens, cùm etiam beneficio restitutionis obtento, is, qui consanguinitatis habet notitiam, debitum conjugale nec exigere nec reddere vel teneatur vel possit, ut dicitur *cit. c. 13.* Hinc per restitutionem conjugis spoliati nihil contrà conscientiam fit, vel contra jus conjugis impedimentum objcientis & spoliantis. E contrario per restitutionem laici decimis spoliati sæpe foveretur peccatum, sæpe læderetur jus Ecclesiæ & Parochi spoliantis: cùm facilè fieri possit, ut laicus nullo justo titulo decimas colligat, nec dubitandum esse videatur, à multis ita colligi.

QUÆSTIO III.

An in Causa Decimarum admittenda sit appellatio?

SUMMARIUM.

670. *Variæ opiniones proponuntur.*

671. *Appellatio negantium decimas non habet effectum suspensivum.*

672. *Nec illorum, qui prætendunt*

dunt immunitatem ex privilegio vel compositione dubia.

673. *Habet tamen effectum devolutivum.*

674. *Appellatio Ecclesiæ contendentis cum Ecclesia super jure decimandi, habet utrumque.*

675. *Laici solùm devolutivum.*

676. *Contra excessum in modo colligendi appellari potest.*

670 APpellationem in decimis esse admittendam simpliciter & absque limitatione negant Speculator *l.2.part.3.tit.de Appell.§. 2. n.5.* Maranta *p.6.de Ord. Judic. tit. de Appellat. n.304.* Glossa *in can. 41.2.q.6.V.quoties etiam*, & *in can. 66.16.q.1.V.Tributa*, Gilhausen *c.8.Arboris Judic.p.3.n.28.* Rebuff. *q.ult.de Decim.n.21.* ac alij. Simpliciter affirmant Glossa *in c.Tua nobis 26.h.t.V.Tributa*, & Tiraq. *de Privil. piæ causæ privil. 153.* Distinguunt Hostiens. Anchar. Panorm. Hen. Boich. ac plerique alij *in cit. c. 26.* & appellationem negandam laico ajunt, si prætendat consuetudinem aut præscriptionem; concedendam verò, si opponat privilegium Ecclesiæ, vel compositionem. Verùm quemadmodum priores duæ sententiæ malè negant & concedunt appellationem sine limitatione, ut ex dicendis patebit, ita distinctio, quam facit tertia, nec sufficit, nec solidâ ratione nititur. Quando enim Panormit. aliíque asserunt, ideo non concedi appellationem prætendentibus præscriptionem aut consuetudinem, quòd nec hæc nec illa contra Jus Divinum admittitur, falso supposito nituntur, quasi videlicet decimæ absolutè ac etiam quando præcisè non sunt necessariæ ad congruam Parochi sustentationem, sint Juris Divini: hoc enim suprà rejectum est *n.* 37. assertúmque *n.*258. & 281. decimas consuetudine & præscriptione abrogari posse. Nec satisfacit altera ratio, quam affert Moneta *c.8.de Decim. q.4.n.60.* nimirum favorabilius esse privilegium & compositionem, faciliúsque probari posse, quàm præscriptionem & consuetudinem: dato enim, hoc verum esse, non tamen apparet, quare audiendus non sit, qui objicit & probare potest, se legitimè præscripsisse decimis, aut consuetudine legitimè præscriptâ ab ijs solvendis esse liberum. Sed neque sufficit illa distinctio inter consuetudinem & præscriptionem ex una, & inter privilegium ac compositionem ex altera parte: nam agit tantùm de casu, quo prætenditur exemptio à decimis; non verò etiam de altero casu æquè controverso, quo agitur de ipso jure decimandi inter duas Ecclesias, aut duos laicos, aut laicum & Ecclesiam. Pro varietate igitur jurium, quæ afferunt vel illi, qui exemptionem à decimis prætendunt; vel ij,

qui jus decimandi sibi vendicare contendunt, varia & multiplex distinctio facienda est.

671 Assert. I. Si Parochiani detrectant solvere decimas, prætendendo consuetudinem vel præscriptionem, & appellando sive extra sive intra judicium, non sunt audiendi, sed compellendi ad solutionē. Assertio hæc est omnium DD. & traditur apertè *c. Tua nobis 26. h. t.* ibi: *mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum aut etiam prædiorum decimas Ecclesijs & Clericis tuæ Diœcesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas appellatione remotâ compellas.* Habent igitur decimæ paratam executionem, & licèt aliàs à citatione inchoandum sit, in materia tamen decimarum, si Parochus agit contra subditum ob eas non solutas, incipi potest à monitione & præcepto, uti post Gloss. Cardin. Imol. Laud. ac alios *in Clem. Dispendiosam 2. de Judic. V. Præmoniti* tradunt Rebuffus *q. ult. n. 23* & Moneta *cit. c. 8. n. 56.* Idémque tradunt de decimis in futurum solvendis. Ratio dari solet: quia decimæ sunt instar tributorum, cùm his à Jure æquiparentur *cit. c. 26* & *c. 66. 16. q. 1.* In vectigalibus autem & tributis Principi solvendis appellans non auditur. *Can. Ei qui appellat 41. 2. q. 6. §. quoties. l. abstinendum 4. & l. ult. C. quor. appell. non recip.* Accedit, quòd decimæ Clericis assignatæ sunt pro alimentis: præstatio autem alimentorum celerem executionem desiderat, & appellationem non admittit, uti sumitur ex *l. fin. ff. de Appell. recip. l. 2. ff. de Re judic. l. si instituta §. de inofficioso ff. de Inoff. Testam.* traditque communissima DD. apud Salgado *de Regia protect. p. 3. c. 1. n. 1. & seqq.* Limitanda tamen est assertio ad casum, quo dubia est exceptionis veritas. Si enim constaret, immunitatē legitimè fuisse præscriptā, aut consuetudine legitimè præscriptâ decimas fuisse sublatas, ac Parochiani nihilominus eas postularentur, appellatio haud dubiè locum haberet: cùm in tali casu præsumptio, quæ est pro decimatore, cesset, ac propterea illæ malè petantur, meritóque audiendi sint Parochiani solvere recusantes. 673

Assert. II. Appellatio illis quo- 672
que neganda est, qui immunitatem à decimis prætendunt ex privilegio vel compositione: nisi de hac vel illo constet, aut probatio in continenti afferri possit. Ita sentiunt Speculator ac alij *n. 670.* primo loco allegati. Ratio est: quia textus *cit. c. 26.* universaliter loquitur, nec distinguit inter præscriptionem & privilegium, vel inter consuetudinem & compositionem. Neque ratio distinguendi erat; tum quòd inter eas non fit distinctio quoad tributa & alimenta; tum quòd æquè frivola & falsa esse potest exceptio privilegij & compositionis, 674

quàm

quàm præſcriptionis & conſuetudinis; tum demum quòd tota ratio diſcriminis, quod DD. communiter faciunt inter hos liberationis modos, dum negant appellationem, ſi opponatur conſuetudo aut præſcriptio; concedunt, ſi prætendatur privilegium & compoſitio, videtur ſolùm fundari in hoc, quòd præſcriptio & conſuetudo ferè dubia eſt, ob incertos actus poſſeſſorios &c. de privilegio verò & compoſitione faciliùs conſtare poteſt. Si ergo etiam iſta dubia ſunt, pariter neganda erit appellatio, & concedenda, ſi illæ ſunt notoriæ aut in continenti probari poſſunt.

673 Aſſert. III. Etſi appellatio in dictis caſibus non habeat effectum ſuſpenſivum, habet tamen devolutivum. Ita ſentiunt Piaſecius *p. 2. Prax. Epiſc. c. 4. n. 3.* Scaccia *de Appell. q. 17. limit. 18. n. 5.* Salgado *l. c. n. 75.* Aug. Barboſa *in cit. c. 26. h. t. n. 9.* & *de Offic. Paroch. c. 28. §. 4 n. 7.* ac alij. Ratio patet: quia fieri poteſt, eum, qui immunitatem prętendit ex præſcriptione, conſuetudine, transactione &c. juſtè hujusmodi titulum allegare: non ergo adempta ipſi eſſe debet defenſio; quod fieret, ſi appellatio nullo modo admitteretur, & nec devolutivum effectum haberet.

674 Aſſert. IV. Si duæ Eccleſiæ aut Clericus cum Clerico vel Eccleſia contendant ſuper jure decimandi, conceditur illi, qui condemnatus eſt judicio, appellatio cum effectu non tantùm devolutivo, ſed etiam ſuſpenſivo, uti poſt Gloſſ. Joann. Andr. Hoſtienſ. Boich. Butr. *in cit. c. 26.* tradunt Piaſecius *l. c.* Salgado *l. c. n. 77.* Præpoſit. *in c. fin. h. t. §. quoties n. 32. q. 6.* Gemin. *de Appellat. n. 22.* Scaccia *l. c. n. 3.* Barboſa *ll. cc.* ac alij. Idem dicendum videtur, quando ſuper hoc jure litigant duo laici. Idem, ſi Clericus vel Eccleſia, quæ eſt in diuturna quaſi poſſeſſione juris decimandi, condemnetur aut extrajudicialiter in ea turbetur. Ratio eſt: quia in hypotheſi primæ & ſecundæ aſſertionis is, qui decimas exigit, habet pro ſe fundatam in Jure intentionem, eſtque præſumptio contra eos, qui illas negant: in caſibus autem hujus aſſertionis ipſum jus decimandi eſt dubium, unde æquum non eſt, ut alteruter litigantium cogatur alteri cedere, quamdiu jus eſt dubium & ſententia nondum tranſijt in rem judicatam.

Aſſert. V. Quando laicus contendit cum Parocho ſuper jure decimandi & titulum privilegij vel feudi ab Eccleſia conceſſi non oſtendit, ſaltem præſumptivè ex quaſi poſſeſſione immemoriali, non eſt admittenda ejus appellatio, quæ ſuſpendat jus Parochi ſeu ejus executionem quoad perceptionem decimarum: habet tamen appellatio effectum devolutivum. Aſſertio ſequitur ex dictis *n. 654.* ubi cum communi omnium traditum eſt, laico ſpoliato non concedi re- 675

stitutionem, nisi postquam jus suum plenè probaverit, eò quòd Jura assistant Parocho & resistant laico non tantùm quoad jus decimandi, sed etiam quoad possessionem, & consequenter ille manutenendus sit, quamdiu iste suam quasi possessionem, quam prætendit, non ostendit esse legitimam.

675 Assert. VI. Si in colligendis decimis modus exceditur, potest ab excessu appellari. Assertio certa est ex *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.* & *c. Novit. 43. de Appellat.* Hinc, ut ait Salgado *l.c.n. 77.* nullus est casus de mundo, in quo propter excessum non admittatur appellatio etiam suspensiva, cùm omnis excessus sit gravamen ac injustitiam contineat, & excedere ac gravare paria sint, ut fusè prosequitur idem *p.4.c.3.à n. 76.* ubi *à n.89.* cum Bartolo, Felino, Baldo, ac alijs tradit, posse omissâ appellatione, quæ solùm conceditur ad decendium, implorari officium Judicis per viam querelæ, quæ competit ad annum. *arg. l. qui se gravatos C. de agri. & censit.* Quin agi poterit etiam de nullitate, uti post Joan. de Imola, Felin. Alex. Afflict. ac alios tenent Maranta *p.6. act. ult. n.9.* Avendan. *p.1.c.17.n.4.* Parlador. *l.2.c.fin.p.5.§.3.n.4 & 5.* Molin. *de Primogen. l.4.c.7.n.4.* Et quidem ad 30. annos, ut communis tradit cum Bart. *in l. Data opera col. 14. n. 9. C. qui accus. non poss.* & Saliceto *in l. si præses n.6. C. quom. & quando Jud.* Nec si gravatus fortè non appellavit intra decendium, vel appellationem deseruit, quia in ea succubuit, prohibetur de nullitate agere: quia siquis plura Juris remedia habuit, atque uno eorum excluſus sit, vel superatus, non prohibetur altero experiri, uti patet ex *c. Concertationi 8. de Appell. in 6.* & *l. Si expressim 19. ff. eod.*

QUÆSTIO IV.

An Compensatio in Decimis admittenda sit?

SUMMARIUM.

677. *Rationes dubitandi.*
678. *Non datur in decimis compensatio.*
679. *Nisi præteritæ sint.*
680. *Solutio oppositorum.*

677 QUæstio est, an colonus creditor Parochi possit huic decimas postulanti opponere compensationem per modum exceptionis & in vim solutionis, seu dicere, se pro eo, quod sibi debetur à Parocho,

Parocho, retinere posse ac velle fructus, quos aliàs titulo decimarum solvere deberet. Videtur hæc compensatio fieri posse, quia omnes debitores utuntur compensatione adversùs quoscunque creditores, etiam fiscum. *l. aufertur 46. §. 3. ff. de Jure fisci*: ac propterea compensatio semper locum habet, nisi ubi specialiter est prohibita. At nullus Canon vel lex afferri potest, quæ eam prohibeat in decimis. Neque obstat, quòd debitor tributorum compensare non valet adversùs fiscum aut civitatem. *cit. l. 46. §. 4. & l. 3. C. de Compensat.* Nam, ut suprà *à n.* 143. dictum est, decimæ propriè non sunt tributum. Pariter non valet, si quis dicat, non esse universale, quòd creditor compensatione uti queat, cùm uti non queat in Depositò *l. pen. C. Depos. l. ult. C. de Compensat. l. In Contractibus* 14 §. 1. *C. de non num. pecun.* nec in Commodato. *l. ult. C. de Commodato.* Respondetur enim, ideò in Depositò & Commodato non admitti compensationem, quòd hæc duntaxat locum habet in quantitatibus, quæ mutuam functionem recipiunt; non verò in speciebus. *l. si convenerit* 18. *pr. & l. non sortem* 37. §. 4. *ff. de Condict. Indeb.* In Depositò autem & Commodato eadem species restituenda est. §. *Item is* 2. *Inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 2. prin. ff. de R. C.* Quæ ratio non procedit in decimis, cùm in his debeatur quantitas, non species.

678 Assert. In decimis non datur compensatio, id est, debitor decimarum non potest has negare prætextu ejus, quod sibi debetur à Decimatore. Ita communiter DD. Catholici, quibus consentiunt Heterodoxi, Brunemann. *ad l. 3. C. de Compensat. n.* 3. referens Wesenbec. *cod. tit. n.* 12. & Lauterbach. *ad ff. tit. eod. th. 8. n. 6.* citans Trentac. *cod. tit. resol.* 1. *n.* 16. Rationem dant: quia decimæ à Jure æquiparantur tributis *c. Tua nobis* 26. *h. t.* & *Can. Decimæ 66.* 16. *q.* 1. Atqui in tributis non admittitur compensatio. *cit. l.* 3. *C. de Compensat.* Pariter non admittitur in alimentis. *cit. l.* 3. quia horum cura est præsens & momentaria, ut loquitur Papin. *in l. pecuniæ 8. ff. de Aliment. legat.* At decimæ debentur ut sustentatio & alimenta Ministris Ecclesiæ, ut habetur *C. Extirpandæ* 30 *de Præbend.* & fusè ostensum est suprà *n.* 29. *& seqq.*

679 Limitanda tamen est assertio ad decimas futuras, ita ut in compensationem debiti retineri à Parochiano nequeant, ad quas solvendas nunc tenetur ac in posterum tenebitur. Nam quoad præteritas, quæ videlicet præteritis annis solvi debuerant ac solutæ non sunt, compensatio videtur admittenda, prout admittunt Hostiens. Joan. Andr. & Boich. *in c. Cùm homines h. t.*

h.t. Rebuff. *q.ult.n.19* Moneta *c.8. q.4.n.61.* Barbos. *de Offic. Parochi c.28.§.4.n.9.* ac alij, argumento ab alimentis petito, super quibus cùm de præterito admittatur transactio *l. De alimentis C. de Transact.* & *l. Cùm ÿ ff. eod.* ijdem DD. etiam compensationem super decimis præteritis admittunt. Verùm nec in istis locum habere debet compensatio, si dolo solutæ non fuerunt, saltem eum in finem, ut postea exceptio compensationis opponi posset: tunc enim opponens Parochianus exceptione doli repelleretur.

680 Hactenus dictis non obstant, quæ *n.677.* opposita sunt. Respondetur enim in primis, illam regulam ex *l. 46. ff. de Jure fisci* suam, ut pleræque aliæ, exceptionem pati, nimirum in tributis, alimentis &c. Et sic ob paritatem rationis etiam in decimis. Pariter non valet, quod ibi dicebatur, decimas propriè dictum tributum non esse: etsi enim propriè loquendo tributum non sint, habent tamen cum eodem magnam affinitatem & similitudinem: quâ de causa argumentum desumptum à tributo ad decimam est probabile, forte, frequens, & utile, uti loquitur Nicol. Everhard. *in locis Legalib. loc. à tributo ad decimam n. 1.* nisi in aliquo casu specialis ratio pugnet pro illo, quæ non procedit in ista; cujusmodi casum attuli suprà *n.133. & seqq.* quod ultimo loco afferebatur, non oppugnat comunem sententiam, cum à Deposito & Comodato ad decimas nemo argumentum ducat, ob rationem *cit. n.677.* adductam.

QUÆSTIO V.

An in concursu Creditorum Decimator præferendus sit?

SUMMARIUM.

681. *Opinio & rationes affirmantium.*

682. *Quoad decimas jam separatas præfertur decimator omnibus creditoribus.*

683. *Præferendus quoque est, si fructus indecimati adhuc extant nondum cum alijs fructibus commisti.*

684. *Aut, si decima fructuum pars separata adhuc extat, tametsi cum alijs fructibus commista.*

685. *Imò, licèt fructus indecimati commisti sint cum alijs.*

686. *Non tamen, si decima vel fructus indecimati non amplius extant.*

687. 688. *Solvuntur opposita.*

Deci-

681 DEcimis competere jus prælationis in concursu creditorum asserunt, easque in prima classe constituunt, Beutherus *de Jure Prælationis p. 1, c. 11.* Carpz. *p. 1 Jurisprud. For. Const. 28. defin. 54.* & *l. 4. Respons. Jur. Elect. tit. 2. resp. 12. n. 6.* Berlich. *Concl. Pract. p. 1. concl. 64. n. 108.* & Struvius *Syntagm. Jur. Civ. exercitat. 44. tit. 5. n. 47.* Jure Bavarico in quarta classe constituendas esse videri potest: eò quòd *tit. 2. art. 6. Edict alis Processûs* in illa classe collocentur steûræ seu tributa: his enim æquiparari decimas dictum est *n. 671.* & *n. 678.* Cúmque ratione tributorum & collectarum Magistratus in concursu creditorum statim post sumptus in curationem debitoris ægroti factos ponantur, ac reliquis creditoribus, licèt expressam anteriorem hypothecam habentibus, præferantur, ut ex *l. satis notum 4. C. In quib. caus. pign. tac. contr.* & *l. 1. C. si propt. publ. pens. vend. fuer. celeb.* tradunt Pract. Papin. *in form. libell. act. hypoth. §. sub ead. n. 16.* Joan. Köppen *decis. 28. n. 18.* Carpz. *cit. resp. 12. n. 2.* eò quòd bona subditorum pro tributis etiam futuris fisco sint obligata. *l. 1. C. In quib. caus. pign. tac. contr. l. 40. §. 3. ff. de Jure fisci.* quo casu prælationis quoque privilegium competere expeditum est, *arg. l. 9.* & *11. ff. qui potior. in pignor.* idcirco ob paritatem inter tributa & decimas, istas eodem prælationis jure, quo fiscus quoad tributa, gaudere dicendum videtur: eò quòd fiscus & Ecclesia à Jure æquiparantur, uti ex *l. 1. C. de SS. Eccles. §. sinimus junct. Gloss. in Auth. de non alien. reb. Eccl. Can. Quid ergo junct. Gloss. 23. q. 4.* post Bald. Panorm. Paul. Castr. Salicet. Azon. ac alios fusè ostendit Everhard. *in Topic. loc. à fisco ad Eccles.* Verùm hîc quoque distinctione opus est, nec admittenda universalis quorundam doctrina de privilegio prælationis decimatoribus competente.

Assert. I. Quando decima pars 682
jam separata est, & vel ab ipso colono vel ab alio aversa aut ablata fuit, & adhuc extat, præferendus est decimator omnibus creditoribus. Assertio certa est, & patet ratio: quia separatione factâ dominium fructuum decimatorum acquiritur decimatori, juxta dicta *n. 624.* At nullum jus vel privilegium fortius esse potest, quàm liberum & nulli hypothecatum dominium. *l. Depositi 38. ff. de Peculio, l. Procuratoris 5. §. si dedi ff. de Tribut. act.* éstque ille, qui vindicat, ante privilegia. *l. si ventri §. in bonis. ff. de Privil. Credit.* & *l. In rebus C. de Jure dotium.* Nec res sua cuiquam auferenda est. *l. Id, quod nostrum ff. de R. J.* Neque, qui rem suam vindicat, propriè dici potest concurrere, cùm verè creditor non sit, eò quòd deberi nobis non possit, quod nostrum est, ut loquuntur Interpretes *V. Debetur Jnstit. de*

Action. prin. sicut acquiri ampliùs non potest. *§. sirem Jnst. de Legat. §. sic itaque discretis Jnstit. de Action. &c. Inter dilectos de Fide Jnstr.* quia dominium non nisi una ex causa contingere potest. *l. 3. §. Ex pluribus ff. de acqr. vel amitt. poss. l. Non ut ex pluribus 159 ff. de R. J.* Concordat Jus Bavaricum *ad Edict. Processum tit. 2. art. 14. & 24.* ubi dominus rei omnibus creditoribus præfertur.

683 Assert. II. Si fructus, ex quibus decimæ debentur, adhuc extant, sive apud ipsum colonum earum debitorem, sive apud alium, & cum alijs fructibus commisti non sint, præfertur decimator omnibus creditoribus, sicut in casu priore. Est hæc quoque assertio indubitatè vera, cùm certum sit ex dictis *n.* 627. quòd fructus, ad quemcunque perveniant, cum onere decimarum transeant. Et quamvis utilis rei vindicatio, quam plerique decimatori ante decimarum à reliquis fructibus separationem concedunt, probabiliùs non competat juxta dicta *n.* 628. competit tamen actio personalis in rem scripta contra quemcunque fructuum nondum decimatorum possessorem, ut tenent omnes DD. & dictum est *n.* 631. ut adeò solvendæ sint ante omnia decimæ ex fructibus extantibus, antequam in alium alienentur; vel si alienati sunt, tenetur novus possessor, v. g. emptor aut creditor, cui in solutum dati sunt, ad eas inde solvendas. Assertio procedit, sive fructus adhuc pendeant, sive solo separati jam sint. Allata enim ratio utrimque valet.

Assert. III. Si decima fructuum 684
pars vel ab ipso colono, qui eam jam separaverat, vel ab alio commisceatur cum alijs fructibus, ita ut discerni nequeat, præferendus est decimator alijs creditoribus, sicut in gemino priore casu: dummodo fructus commisti extent. Ratio patet: quia non obstante commistione (sive hæc facta sit volente decimatore, sive hoc inscio & invito) competit decimarum domino rei vindicatio. §. *quòd si frumentum* 28. *Jnst. de R. D.* tametsi enim, si decimæ frumenti commisceantur cum frumento debitoris sine consensu decimatoris, acervus frumenti non fiat communis, uti res fiunt communes per confusionem juxta *§. 27. Jnst. eod.* competit tamen parti non possidenti actio in rem pro modo cujusque frumenti juxta arbitrium Judicis, ut hic æstimet, quale cujusque frumentum fuerit, uti loquitur Imper. *cit. §.* 28. Ex eo autem, quòd decimatori in tali casu competit rei vindicatio, consequens est, quòd omnibus creditoribus sit præferendus, ut patet ex dictis *n.* 682.

Assert. IV. Præferendus est de- 685
cimator alijs creditoribus etiam tunc, quando fructus indecimati commisti sunt cum alijs fructibus. Constat ex dictis *n. 683.* cùm decimæ

mæ solvendæ ante omnia sint ex fructibus extantibus. Neque obstat commistio cum alijs fructibus facta, sicut non obstat rei vindicationi, quando res mea commista fuit cum aliena. Nam extant adhuc ijdem fructus, ex quibus ante commistionem solvendæ erant decimæ: quamdiu autem fructus extant, tamdiu manet obligatio decimas inde ante omnia solvendi, ad quemcunque illi pervenerint.

686 Assert. V. Si vel decimæ vel fructus nondum decimati à colono aut ab alio consumpti vel destructi sunt, privilegium prælationis non competit decimatori. Ita sentio cum Jlluſt. D. Schmid *ad Edict. Proceſſ. tit. 2. art. 6. n. 15.* Ratio est: quia domini rerum defraudatarum non amplius extantium non habent privilegium prælationis inter reliquos creditores vel reale vel personale: neque legitur alicubi speciale quidpiam statutum in favorem Ecclesiæ, cujus decimæ sunt defraudatæ.

687 Non obstat, siquis dicat, rei vindicationem competere etiam adversus illum, qui dolo desijt possidere, eò quòd dolus pro possessione habeatur. *l. 15. l. 27. §. 1. & l. 63. ff. de R. V.* Nam hoc duntaxat tunc procedit, quando res mea furto subtracta, deposita, vel vendita, adhuc extat, & in antiquum statum restitui potest: non verò, si condemnatio fieri debeat in id, quod actoris interest.

Pariter non obsunt, quæ de Fisci 688
privilegio *n.* 681. allata sunt. Ideò enim tacitam illam hypothecam in bonis subditorum, & prælationem in concursu creditorum habet, quia onera fisci inhærent fundis; at decimæ sunt merum onus fructuum, ut constat ex dictis *n.* 137. *& seqq.* Argumentum à Fisco ad Ecclesiam, & à Tributo ad Decimas benè ducitur; at solùm tunc, quando utrimque par est ratio, ut benè observat Everhard. *l. c. n.* 18. At, ut modò dixi, dispar hîc est ratio. Estque latum cæteroqui discrimen inter tributum & decimas, ut ostendi *n.* 143. & 147. Neque tacita hypotheca constituta cuiquam est in bonis alterius, nisi ubi Jura id exprimunt, ut demonstratum est suprà *n.* 150. Nullibi autem Jure expressum est, quòd Ecclesia ratione decimarum eam habeat in bonis fidelium. Idem est de privilegio prælationis in concursu creditorum: nam etiam hoc admittendum non est, nisi ubi Jura concedunt. Denique non obstat auctoritas DD. quos *n* 681. pro hoc prælationis privilegio adduxi: cùm loquantur de suo Jure Patrio, nimirum Saxonico, quo constitutum est, ut census, pensiones, & decimæ Ministris Ecclesiæ & pijs causis debitæ alijs debitis præferantur.

QUÆSTIO VI.

Quæ Probatio in Causa Decimarum requiratur?

SUMMARIUM.

689. *Ratio proponendi quæstionem.*
690. *Parochus agens ad decimas solùm tenetur probare, se esse loci Parochum, tametsi alius sit in quasi possessione juris decimandi.*
691. *Alius Clericus probare debet privilegium, vel investituram, præscriptionem &c.*
692. *Laicus privilegium, saltem per possessionem immemorialem.*
693. *Ad hanc probandam sufficiunt testes singulares.*
694. *Qui probat de certa specie fructuum, non hoc ipso probat de reliquis.*
695. *Prætendens immunitatem probare debet privilegium, vel consuetudinem, aut præscriptionem.*
696. *Qui est in quasi possessione immunitatis aut juris decimandi conventus in petitorio ostendere debet titulum, nisi vel hoc vel illa ipsi debeatur Jure communi.*
697. *Aut quasi possessio sit immemorialis, vel tanta, ut inducat præscriptionem.*

689 TAmetsi ex ijs, quæ tradita hactenus sunt de jure Parochiarum ad decimas, de earum præscriptione, de laicis in earum quasi possessione quandoque manutenendis &c. obvium sit, quid pro causæ controversæ ratione vel actor vel reus probare debeat, aut facili negotio erui inde possit. Quia tamen tum dispersim ac diversis in locis, tum solùm incidenter de probationibus actum est; idcirco expedit, ea colligi & tanquam in propria sede sub uno conspectu poni.

690 Assert. I. Parochus, sive possessorio sive petitorio judicio, sive ad decimas novalium sive ad antiquas agat, ad nihil aliud probandum tenetur, quàm se esse Parochum loci, 691
intra cujus fines fructus decimales proveniunt: quia habet pro se fundatam in Jure intentionem, & sic onus probandi in adversariũ reijcit, ut constat ex dictis *n. 345. & seqq. n. 382. & seqq. n. 642. & seqq.* Idque procedit, tametsi alius sit in possessione, & probari ipsi nequeat, quòd vi, clàm, vel precariò possideat: tametsi enim juxta *l. circa ff. de Probat. l. Libertis §. ult. ff. de Liber. causa. l. vis ejus. C. de Probat.* possessio pro se præsumptionem habeat, & ob id onus probandi in adver-

adversarium reijciat, hoc tamen non procedit, si ipsi possessori resistit aliqua præsumptio, vel ipsa lex, uti post Joan. Andr. Alexand. Alciat. ac communem DD. tradunt Curt. Jun. *consil. 90. n. 12.* Ruin. *l. 4. consil. 28. n. 9.* Gutier. *l. 3. pract. q. 19. à n. 9.* Menoch. *l. 6. præsumpt. 69. n. 4.* Hart. Pistor. *1. q. 46. n. 7.* & Treutler. *vol. 2. disp. 21. th. 5. lit. a.* At illi, qui non est loci Parochus, resistit lex, maximè si sit laicus. tenetur ergo, si Parochus agit petitorio, titulum exhibere, saltem præsumptum ex possessione longissimi temporis, si est Clericus; si laicus, ex possessione immemoriali, cùm ex minori tempore titulus laici non præsumatur, ut constat ex dictis *n. 477.* & *480.* maximè cùm juxta communissimam DD. in laico ne quidem ex immemoriali possessione præsumatur, nisi accedat fama privilegij, ut dixi *n. 478.*

691 Assert. II. Clericus vel Ecclesia, cui Jure communi non competunt decimæ, eas prætendens probare debet vel privilegium, aut investituram à SS. Pontifice concessam; vel incorporationem seu unionem Parochiæ, cui illæ debebantur; vel præscriptionem aut consuetudinem; vel transactionem, compromissum, aut permutationem: unóque ex his modis jus decimandi legitimè sibi fuisse acquisitum. Si ejusdem duntaxat utilitatem seu fructus prætendit, probare tenetur emptionem, aut conductionem &c. Quæ omnia patent ex dictis *p. 3. c. 2.* De Privilegio & Investitura egi *n. 436. & seqq.* De Unione *n. 439.* De Præscriptione *n. 442. & seqq.* De Consuetudine *n. 431.* De Transactione *n. 429. & 430.* De Compromisso *n. 431.* De Permutatione *n. 432.* De Emptione *n. 433. & seqq.* De Conductione *n. 435. & 439.* Quomodo autem ista singulatim probentur, non est hujus loci commemorare, eò quòd decimis non sit proprium, sed genericum & commune omni præscriptioni, consuetudini, privilegio &c. utpote quibus pleræque res aliæ & jura obtineri possunt. Illud addidisse sufficiat, cùm jus assistat Parocho quoad decimas, & alijs resistat, ut sæpius dictum est, requiri contra eundem probationes plenas, certas, & concludentes, cùm apertum sit, jus certum, quod habet, everti non posse per solas conjecturas, præsumptiones, aliásve probationes non convincentes, quæ stant pro alio.

Assert. III. Si laicus prætendat 692
jus decimandi, probare debet, à SS. Pontifice donatas sibi fuisse decimas aut in feudum concessas, aut si jam est in quasi possessione, ad hoc, ut in ea manuteneatur, ostendere tenetur, eam esse à tempore immemoriali, ita ut de contrario non extet memoria, ut cum communissima DD. tradit Mascard. *vol. 2. de Probat. concl.* 484. *n. 6. & 8.* & fusè ostendi suprà *à n.* 477. ac

n. 452. *& seqq.* Unde juxta dicta *n.* 480. compellendus est ad restitutionem, si constat, quòd decimæ post sæpius citatum Concilium Lateran. ad laicos pervenerint, tametsi multis sæculis in earum quasi possessione fuerint; nisi ipsum privilegium Ecclesiæ plenè probare possint. Requiritur item juxta communem DD. de qua Menoch. *l.c.n.6.* & ego suprà *n.*478. ut præter quasi possessionem temporis, de cujus contrario non extet memoria, probet famam privilegij sibi vel antecessoribus concessi: quin etsi ista plenè & concludenter probârit, si tamen aliunde constat de defectu tituli, sive quòd privilegium ipse ejusve antecessores ab Ecclesia non habuerint, restituere tenebitur, ut patet ex dictis *n.* 479. Idémque dicendum est, si de defectu tituli non quidem apertè constat, præsumptio tamen aliqua specialis adest, quòd titulum non habeat: quia talis præsumptio specialis elideret illam alteram generalem, quam pro se habet ex quasi possessione temporis immemorialis, ut dixi *n.* 481.

693 Assert. IV. Ad probandam quasi possessionem juris decimandi sufficiunt testes singulares, quorum videlicet unus deponat de uno actu possessorio, v. g. quòd Titius ex hoc fundo collegerit hordeum; alius de alio, v.g. quòd collegerit triticum vel secale &c. Ita cum Baldo, Felin. Specul. Corn. ac alijs tradunt Gabriel. *l.1.tit.de Testib. concl. 2. n. 33.* Gaill. *l. 2. pract. observ. 66. n.* 12. Mynsing. *cent. 2. observ.* 20. *& obser.* 100. *n.7.* idemque *in c. licet ex quadam de Testib. à n. 7.* Mascard. *de Probat. concl.* 484. *n.* 1. Moneta *de Decim. c. 5. n. 79.* Licèt enim testes singulares non probent, uti constat ex *c. Bona mem. 23. de Elect. c. Licèt causam de Probat. cit. c. Licet de Testib. Lob carmen in fin. ff. eod.* Hoc tamen non procedit de illis testibus singularibus, qui respectu ejusdem finis concordant; tunc enim plenè probant, etiamsi in tempore & actibus discordent. *l. qui sententiam C. de Pœnis.* Quæ itidem causa est, quòd testes de diversis actibus & temporibus deponentes probant jurisdictionem & servitutem, ut cum communi tradunt ac latè probant Felin. *in c. Licet ex quadam de Testib.* & Farin. *in Prax. crim. q.* 64. *à n.* 182.

Notandum tamen hîc est, ex eo, 694
quòd quis probet, se fabas v.g. vel rapas, similésve fructus, qui ad decimas minores pertinent, collegisse, non probari, quòd sit in possessione pleni & absoluti juris decimandi, cùm sæpe alius decimas minores, alius majores colligat, ut dixi *n.* 14. & constat ex notissima nostræ Germaniæ praxi. Pari ratione siquis probet, se decimas hactenus collegisse ex frumento, quod *hirsutum* vocant das rauche Getrâid / nimirum hordeum & avenam

venam Gersten und Haber/ non inde illicò probaverit, se esse in possessione colligendi etiam ex frumento plano dem glatten Getreid/ siligine videl. seu tritico, spelta, & secali, dem Weitzen / Fesen / und Rocken: cùm nonnunquam decimæ ex posteriorum specierum frugibus debeantur uni, alteri ex priorum, ut patet ex dictis *n.* 426. Idque sine dubio verum est, si ille agat contra Parochum prætendendo quascunque decimas: cùm enim Parocho Jus commune assistat, resistat verò alijs, & his ex præscriptione, transactione, vel privilegio &c. sæpe jus competat ad unam tantùm alterámve fructuum speciem vel genus, & quoad illos tantùm sint in possessione, necesse est, ut si cunctas prætendunt contra Parochum, probent, se esse in possessione omnium: hoc autem non probant, si actus possessorios circa unam tantùm alterámve speciem probent. Si verò litiget non cum Parocho, sed cum alio, cui Jus commune pariter resistit, & iste alius possessionem non probet, pronuntiandum absolutè pro illo erit quoad omnes fructus, dummodo tertius quispiam nihil possideat, & constet, nullum Parocho jus amplius competere. Ratio est: quia cùm possessio quoad omnes fructus decimationi subjectos alicui debeatur, & unus tantùm eam probet, non est ratio, cur ipsi non assignetur absoluta & plena omnium fructuum, tametsi eam probet solùm quoad aliquos. Ratio limitationis quoad Parochum est: quia si non constat, jus decimandi omnino avulsum esse à Parochia, ejus Rector meritò præferendus est extraneo, & mittendus in possessionem eorum fructuum, quorum jus & possessionem extraneus non probat, tametsi iste probet possessionem aliorum fructuum: nam sicut ex eo, quòd extraneus jus habet ad aliquos fructus, non sequitur, quòd habeat ad omnes; ita nec possessio aliquorum infert possessionem omnium, ut patet ex modò dictis. Si denique uterque ex litigantibus actus aliquos possessorios probat, unus quoad hanc vel has fructuum species, alter quoad alias, clarum est, pronuntiandum esse pro utroque quoad eas, quarum possessionem probaverit.

Assert. V. Si quis Parochianus 695
prætendat exemptionem à decimis, probare plenè debet unum ex modis, quibus illa obtinetur, nimirum vel privilegium, de quo fusè suprà *à n.* 158. vel consuetudinem non solvendi à communitate introductam & 40. annis continuatam, nec ab Ecclesia reprobatam, de qua *n.* 253. *& seqq.* vel præscriptionem bona fide inchoatam & continuatam 40. annis cum titulo, & sine hoc per tempus immemoriale, de qua *n.* 288. *& seqq.* vel transactionem & pactum de non solvendo, de quo *n.* 307. *ac seqq.*

Cæte-

Cæterùm circa consuetudinem & præscriptionem hujus exemptionis diligenter advertenda sunt ea, quæ dixi suprà *à n. 661. usque ad 665.*

696 Assert. VI. Tametsi is, qui Jure communi à decimis exemptus non est, sit in quasi possessione exemptionis, si tamen in petitorio conveniatur, ostendere debet titulum suæ immunitatis. Idémque est de eo, cui Jure communi jus decimandi non competit: tenetur enim, tametsi sit in quasi possessione hujus juris, si à Parocho in petitorio conveniatur, titulum ostendere. Assertio manifesta est ex *C. Cùm personæ 7. de Privileg.* ex quo habetur, quòd possessio vel quasi non relevet contra eum, qui suam intentionem fundatam habet de Jure communi, & exemptionis vel privilegij titulum probare teneatur, qui vel hoc vel illam prætendit, uti notant cum communi DD. Covarr. *Pract. qq. c. 17. n. 6. §. Quartò non sic.* Gutier. *l. 3. Pract. c. 19. à n. 11.* Em. Rodriq. *Regul. qq. tom. 2. q. 63. art. 7.* Barbosa *in cit. c. 7.* ac alij, quos allegavi *n. 690.* Idémque patet ex *c. 1. de Præscript. in 6.* ubi Episcopus, qui in aliena Diœcesi decimas possidebat, jubetur præscriptionis, quam prætendebat, titulum allegare & probare. Ratio additur: *cùm Jus commune contra ipsum faciat.* Accedit, quòd quasi possessio non relevat ab onere probandi, quando ipsi resistit primævus status naturæ, uti post Bartol. Jason. Tiraquell. ac communem DD. loquitur Gutier. *l. c. n. 9.* atqui primævus status naturæ decimarum resistit quasi possessioni juris decimandi quoad omnes, quibus Jure communi decimæ non debentur, maximè si laici sint. Pariter resistit quasi possessioni exemptionis quoad illos, qui Jure communi obligantur ad eas solvendas.

Locum tamen non habet asser- 697
tio, si possessio est temporis immemorialis, ita ut de contrario non extet memoria, aut tam diuturna, ut inde perficiatur præscriptio. Hinc si alia Ecclesia vel Clericus cum bona fide fuit in quasi possessione juris decimandi cum titulo colorato vel existimato per annos 40. aut per immemoriale tempus, verum titulum edere non tenetur; quia tanto tempore præscripsit juxta dicta *n. 442.* & 446. Idem dicendum est de immunitate: si enim communitas aliqua per annos 40. non solvit absque gratuita remissione & condonatione decimatoris, ad nihil ampliùs tenetur, tametsi titulum edere nequeat, ut dictum est *n. 260. 283.* & *565.* Par est ratio de privatis: hi enim si cum titulo colorato vel existimato non solverunt decimas per annos 40. aut absque titulo per tempus immemoriale, immunitatem præscripserunt juxta dicta *n. 291.* & *297.* nisi forsan ideo duntaxat non solverunt, quia decimator gratis & ultrò 698

ultrò remisit: tunc enim præscriptioni locus non foret, ut constat ex dictis *n. 549. in fin.* & *n. 663.* Si denique laicus colligit decimas per tempus immemoriale, ita ut de contrario non extet memoria, nec per testes nec per scripturam, manutenendus est, tametsi titulum non probet, juxta dicta *n. 477.* quia ubi adest possessio immemorialis, opus non est allegari titulum, ut post Menochium, Gabrielium, ac alios latè ostendit Gutier. *l. 3. Pract. c. 14. n. 72.* Minus tamen tempus, quàm immemoriale, hîc non sufficit, ut patet ex dictis *n. 477. 480.* & *655.* Benè tamen hîc notanda sunt, quæ dixi suprà *n. 479.* & *seqq.* ac universim circa hanc præscriptionem & consuetudinem tam colligendi decimas, quàm non solvendi, advertendæ sunt limitationes, quas posui *n. 265. 266. 269. 270.* & *449.*

QUÆSTIO VII.

Quomodo compellendi sint, qui renuunt solvere Decimas?

SUMMARIUM.

698. *Ecclesia, etsi jus habeat ad decimas, non tamen propria auctoritate auferre potest nondum separatas.*
699. *Judex Ecclesiasticus renuentes solvere non tantùm compellere potest.*
700. *Sed etiam tenetur.*
701. *Per excommunicationem.*
702. *Hanc comminando cum præcepto solvendi absque citatione.*
703. *Et quidem ex officio, & nemine agente.*
704. *Invocari potest etiam brachium seculare*
705. *Et compelli morosus debitor ad usuras.*

698 CErtum est in primis, quod Ecclesia semper jus habeat ad exigendas decimas, quamdiu eas non remisit, aut non præscripsit is, qui debet, ut constat ex dictis *n. 541.* & *seq.* Certum est secundò, non posse Parochum per vim & propria auctoritate accipere decimas, tametsi Parochiani injustè eas detineant & solvere differant aut omnino renuant, ut dixi *n. 544.* & *seq.* Cùm igitur exigi possint, tametsi tempore, quo solvendæ fuerant, solutæ non sint, nec tamen jus sibi ipsi decimator dicere possit vi vel clam eas arripiendo,

quæstio est, à quo & quomodo ad solutionem compellendi sint morosi aut contumaces earum debitores.

699 Assert. I. Judex Ecclesiasticus competens Fideles debitores decimarum cogere ad eas solvendas potest. Constat ex *Can. Omnes 5. 16. q. 7. c. 3. & seqq. h. t.* ac Trident. *sess. 25. c. 12. de Reform.* Ratio perspicua est: quia qui eas detinent, contra Religionem & Justitiam peccant, ut ostendi *n. 42.* & *50.* ac contra speciale præceptum Ecclesiæ, &, ut dicitur *Can. Decimas 1. 16. q. 7.* Sacrilegij crimen committunt ac æternæ damnationis periculum incurrunt, ergo si obligationi suæ non satisfaciunt, compelli ad id possunt à Judice Ecclesiastico, utpote qui ob dictas rationes est competens.

700 Assert. II. Prælati Ecclesiæ Fideles ad decimas obligatos non solùm compellere ad solvendum possunt, sed etiam tenentur. Ita Canonistæ *in c. Pervenit 5. h. t.* ubi SS. Pontifex Episcopis mandat, ut parœcianos compellant ad decimas cum integritate persolvendas. Ratio hujus obligationis Episcopis incumbentis est, quia ut fideles ministri ac dispensatores tenentur non negligere Ecclesiasticorum jurium & bonorum defensionem & custodiam. Addunt tamen Suar. *c. 38. n. 4.* ac alij ex S. Thoma *2. 2. q. 87. art. 1. ad 5.* quandoque non exigendas esse decimas propter vitanda scandala & majora mala, vel, ut S. Doctor loquitur, *ubi sine scandalo requiri non possunt propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam.* Et quamvis idem *q. 43. art. 8.* significet, non posse Prælatos Ecclesiæ dimittere bona temporalia Ecclesiæ propter scandalum vitandum, & *in respons. ad 5.* solùm excipiat petitionem decimarum, ubi scandalum oriretur ob consuetudinem eas non solvendi: rectè tamen ibidem Cajetanus distinguit inter bona Ecclesiæ jam acquisita, & inter acquirenda, illáque etiam propter scandalum vitandum non posse abdicari; posse verò quandoque propter hanc causam dimitti posteriora. Aliter rem decidit Alensis *p. 3. q. 51. memb. 6. art. 1.* asserens, propter scandalum generale, quod in schisma vergeret, posse Prælatos dissimulare & decimas non exigere; non posse ad vitandum scandalum solùm particulare. Illud certum est, propter scandalum, quod Pharisaicum dicitur, & solùm ex malitia hominum provenit, dum absque justa & probabili causa solvere renuunt, ac exigentes Clericos damnant avaritiæ, nimij rigoris &c. desistendum ab exactione non esse: ad hoc enim vitandum cedenda ab Ecclesia forent omnia bona laicis, cùm horum non paucis semper nimium sit, quod Clerici ac Religiosi possident, quorum proinde malignæ obtrectationes ex cupiditate & invidia

vidia natæ contemnendæ sunt. Pariter certum est, posse Parochum aliúmve decimatorem, quæ sibi debentur, vel gratis, vel per pactum, aut compositionem Parochianis remittere, sicut illa, quæ jam percepit, ijsdem donare potest. In quo tamen suis successoribus non præjudicat, ut dixi *n. 270.* & *n. 663.* imò nec sibi, nisi quando aliunde ipsi de congrua sustentatione provisum est, & pacto remissio facta ad plures annos vel totam ipsius vitam. Ne verò ex hujusmodi remissionibus jus quoddam sibi Parochiani arrogent, aut saltem, quod frequenter contingit, non murmurent, quando successor exigit, quod antecessor aut expressè, aut dissimulando tacitè remisit, expedit eos moneri, hujusmodi remissiones ultrò & gratis fieri salvo manente jure Parochiali. Qua ratione hæc remissio fieri possit, declaratum est suprà *n. 164. & seq.* ac *n. 308. usque ad n. 312.*

701 Assert. III. Qui solvere decimas renuunt, compelli ad solvendum possunt ac debent per excommunicationem. Ita statuitur *cit. c. Pervenit 5. c. Nuncios 6. c. Ex parte 21. c. Tua nobis 26. c. In aliqui b. 32. c. Cùm non sit 33. h. t.* & in Trident. *sess. 25. c. 12. de Refor.* ubi dicitur: *qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine sine plena restitutione secutâ absolvantur.* Ratio est: quia si admoniti non solvunt, contumaces sunt ac idcirco excommunicari possunt, nec absolvi queunt, quamdiu, dum possunt, non restituunt, quia absolutionis non sunt capaces. Dixi, absolvi nec debere nec posse, quamdiu non restituunt, dum possunt: nam, ut rectè advertit Navarr. *in Manuali c. 21. n. 33.* absolvi possunt, si restituere volunt & non possunt.

Assert. IV. Quamvis cætero- 702
quin à citatione procedendum sit juxta *l. 1. C. de Execut. rei judic.* in decimis tamen incipi potest à præcepto cum monitione sub excommunicationis pœna, non tantùm de præteritis, seu ijs, quæ jam debentur, sed etiam de solvendis in futurum. Ita post Gloss. Cardin. Laudens. Imol. ac alios *in Clem. Dispendiosam de Judicijs* Rebuffus *q. ult. de Decim. n. 23.* & Moneta *c. 8. q. 4. n. 56.* Ita tamen, ut priùs sumatur informatio, quòd talis sit subditus, & quòd prædia, ex quibus illæ petuntur, sint in Parochia hujus Rectoris. Audiri quoque monitus debet, si opponat, & per modum provisionis compelli, si justam non allegaverit causam, ut notat Rebuffus *loc. cit.* nec appellatio recipi, ut dictum est *n. 671.* & *seqq.*

Assert. V. Judex ex officio & 703
nemine petente procedere contra renuentes potest, & compellere ad solvendum, captâ tamen priùs, de qua modò dictum est, informatione. Ita *in cit. Clem. Dispendiosam* Anchar. *n. 4.* Cardin. *n. 28.*

Imola *n.7.* Maranta *in Praxi Judic. p.6 n.196.* Moneta *l.c. n.76.* Idque potest non tantùm Episcopus, sed etiam Visitator ab eodem deputatus, uti notant Læl. Zecch. *tr. de Episcop. c.6. n.3.* Franc. Pavin. *tr. de Visitat. q.2. à n.44.* & Moneta *l.c. n.77.* quia Visitatori incumbit correctio excessuum & omnimoda solicitudo Cleri & populi. Dummodò notoriè constet, subditos ad solvendum teneri, nec isti rationabilem aliquam causam renuendi allegent: hanc enim si allegarent, & res altiorem indaginem requireret, deferenda esset ad Episcopum aut SS. Pontificem.

704 Assert. V I. Contra renuentes solvere invocari potest brachium seculare. Ita Glossa *in cit. Clem. V. Coërceri*, Imola *n.12.* ac alij *ibid.* Rebuff. *q. ult. n.18.* ubi cum Hostiens. Joan. Andr. ac alijs benè addit ex *c. Postulâsti 21. de Homicid.* id verum esse, tametsi debitoribus ob contumaciam immineat sanguinis effusio. Et quidem adiri potest Judex secularis, tametsi decimator jus suum consequi possit per Ecclesiasticum, cùm hìc, ut ponimus, agatur de solo facto, de quo si agitur, causa est mixta, ut constat ex dictis *n. 581.* & *seq.* Assertio tamen solùm procedit de casu, quo reus est laicus, cùm contra Clericum ne quidem in quæstione facti procedere possit Judex secularis, ut dictum est *n. 573.* & *seq.*

705 Assert. V II. Judex morosos decimarum debitores non tantùm ad solutionem earum compellere potest, sed etiam ad usuras. Ita post Cardin. *in Clem. 1. §. fin. de usur. q.16. n.9.* ac alios docet Moneta *c.6. q.4. n.24.* Per usuras hìc intelligendum est, quod decimatoris interest ex dilata solutione, seu damnum, quod ex illa est passus: hoc enim compensari debere à debitore, qui in mora culpabili est, æquitas & jus naturale exigit, & habetur expressum *c. ult. de Injur. & damno dato.* ubi jubetur satisfacere, cujus culpâ vel injuriâ damnum datum est, & *c. Cùm homines 7. h.t.* ubi jubentur fideles compelli, *ut decimam statim fructibus collectis persolvant, atque de subtractis & retentis dignam satisfactionem exhibere procurent.* Hinc assertio non tantùm merè probabilis est, ut videtur Monetæ *l.c.* sed certa. Si verò per usuras hìc intelligit illas ordinarias usuras quincunces, quæ juxta multorum opinionem vi *l. 5. & l. 13. C. de Action. empt. & vend. l. 13. §. 20. ff. eod. & l. ult. ff. de Peric. & com. rei vend.* ob moram non soluti pretij debentur venditori, ne quidem probabile est, eas deberi à colonis solutionem decimarum differentibus, si interesse decimatoris ad quincunces non ascendit: nec enim lex ulla vel Canon ad plus obstringit morosum debitorem, quàm ad id, quod interest creditoris, nec isti æquitas naturalis plus permit-

706 tit;

tit; niſi fortè ex pœna conventionali plus debeatur. Quòd verò emptor ob moram in ſolvendo pretio quincunces debeat, id ſolùm idcirco ſtatutum eſt, quia intereſſe venditoris ordinariè ad illas aſcendit; & ſicut ad illas tenetur moroſus emptor, tametſi forſan in aliquo caſu intereſſe venditoris eò non pertingat, ita viciſſim ſi iſtud ſuperat quincunces, ad has tantùm tenetur emptor, & non ad totum intereſſe venditoris, ut fusè dixi *in Tract. de Empt. & Vend. p. 5. c. 2. art. 2. à n. 644.*

CAPUT IV.

De Pœnis non ſolventium Decimas.

QUÆSTIO I.

Quæ pœnæ à DEO infligantur Decimas non ſolventibus?

SUMMARIUM.

706. *Multiplex peccatum decimas non ſolventis.*
707. *Et grave.*
708. *Pœnæ variæ propterea à Deo infligi ſolitæ.*

706 Cùm peccent tam contra legem naturæ & Divinam poſitivam, quàm contra Eccleſiaſticam, & contra Juſtitiam æquè ac Religionem, qui decimas vel omnino non ſolvunt, vel non fideliter & integrè, ut fusè tradidi *n. 29.* & *ſeqq.* conſequens eſt, obnoxios eſſe vindictæ non tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Dei juxta *c. Quamvis 17. h. t.* ubi eorum crimen dicitur *dignum Divini animadverſione judicij.* Cúmque ipſorum culpa ſit virtute multiplex, ita ut Hoſtienſis *in Summa rubr. de Decim. n. 9.* eos dicat in novem delinquere (ubi tamen culpas & pœnas confundit) mirum non eſt, vario quoque & multiplici modo eosdem puniri. De illis pœnis, quas DEUS ſubtrahentibus Eccleſiæ decimas infligere ſolet, modò agendum eſt; poſtea de ijs, quas Eccleſia.

Aſſert. Præter pœnam æternam, quæ decimarum defraudatores manet, niſi reſipiſcant, & DEO ac Eccleſiæ, cui eas negârunt, quantum poſſunt, ſatisfaciant, variæ infligi pœnæ temporales à DEO ſolent, quæ ex Malach. *c. 3.* enarran- 707

tur à S. Hieronymo *Can. Revertimini 65. 16. q. 1.* & à S. Augustin. *Can. Decimæ 66.* Dixi *præter pœnam æternam.* Certum enim est, graviter peccare, qui decimas subtrahunt in notabili quantitate, eâ nimirum, quæ furtum aliámve Justitiæ in bonis temporalibus gravem violationem & peccatum mortale constituit: cùm non solvantur ut eleemosynæ, sed debeantur ex Religione & Justitia, ut dixi *n. 40. 42.* & *seqq.* Estque gravitas hujus sceleris satis manifesta, cùm ex gravibus pœnis, quas Ecclesia propter illud infligit, tum ex eo, quòd DEUS *Malachiæ 3.* dicit, se configi, id est, graviter offendi & lædi ab ijs, qui non solvunt.

708 Pœnæ temporales à DEO immitti solitæ hæ ferè *cit. c. 3. Malachiæ*, & *Can. 65. ac 66.* enumerantur. I. Cùm illi, qui decimas fideliter solvunt, non solùm abundantiam fructuum recipiant, ut loquitur S. Augustin. *cit. Can. Decimæ*, sed etiam sanitatem corporis & animæ consequantur, illi, qui non solvunt, duplici hac benedictione fraudantur, ut idem ait, addens: *Hæc est enim justissima DEI consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Benefacere semper DEUS paratus est, sed hominum malitiâ prohibetur.* Prima igitur pœna est, quòd abundantiam frugum perdant. II. Perdunt sanitatem corporis & animæ, ut modò dixi ex S. Augustino. III. Fame & penuriâ affliguntur, juxta illud *cit. c. 3. Dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitijs.* Et propterea *in penuria vos maledicti estis.* Unde etiam hîc locum habet illud *Proverb. 11. alij dividunt propria & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* E contrario promittit DEUS rerum abundantiam solventibus, dum ibidem per Prophetam ait: *Inferte omnem decimam in horreum* (meum) *& sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas Cœli & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Sensus est: si decimas fideliter solveritis, certissimè experiemini, quòd benedictionem non guttatim, sed plenissimo imbre, velut ruptis cœli cataractis & obicibus erumpente, in vos, non tantùm ad saturitatem, sed usque ad abundantiam, effusurus sim. *Et increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ*, id est, præcipiam locustis, eásque cohibebo, ne devorent sata & fruges vestras. *Nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis.* Id est, *eritis sicut terra opima, ac idcirco desiderata, florentes, & abundantes omnibus frugibus & opibus*, ut 709

expo-

exponit S. Cyrill. vel ut Vatablus, *eritis habitantes terram fertilissimam & amœnissimam.* Impleri etiam in Christianis hæc DEI promissa & illas minas, testatur S. August. *hom. 48. inter 50.* dicens: *Majores nostri omnibus copijs abundabant, quia DEO decimas dabant & Cæsari censum reddebant. Modò autem, quia discedit devotio DEI, successit indictio fisci. Noluimus cum DEO partiri Decimas; modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.*

QUÆSTIO II.

Quæ pœnæ Jure Ecclesiastico statutæ sint non solventibus Decimas?

SUMMARIUM.

709. *Excommunicandi, qui renuunt solvere decimas.*
710. *Non est ferenda excommunicatio, nisi præmissa monitione, & accedente contumaciâ.*
711. *Non tollenda, nisi secutâ plenâ restitutione.*
712. *Laici eam incurrunt ipso facto, illas iniquè usurpando.*
713. 714 *Et Regulares ob varia circa illas delicta.*
715. *Non solvens decimas Ecclesiasticâ sepulturâ privandus est.*
716. *Aliisque pœnis ad solvendum compellendus.*

709 ASsert. I. Qui non solvunt decimas, ad quas tenentur, excommunicari possunt ac debent. Patet ex dictis *n. 701.* & *seq.* Illud solùm controversum est, an excommunicatio ipso facto incurratur. Affirmant Andr. Hispanus *reg. 10. q. 2.* & Rebuff. *q. ult. n. 15.* addúntque, debere hujusmodi excommunicatos singulis Dominicis publicari à Curatis. Verùm dicendum est cum communi aliorum, hanc excommunicationem esse solùm ferendæ sententiæ. Ratio est: quia Jura *cit. n. 701.* allegata eam solùm comminantur, & non asserunt esse latæ sententiæ, seu ipso Jure vel facto incurri. Neque obest, quod Hispan. & Rebuffus asserunt, detentores decimarum crimen sacrilegij committere. *Can. In Canonibus 57. 16. q. 1. & q. 7. can. 1.* Sacrilegos autem ipso jure esse excomunicatos. *Can. Canonica 107. 11. q. 3. & can. Omnes 5. 17. q. 4.* Nam, qui detinent, seu non solvunt deci-

decimas, non sunt propriè sacrilegi, cùm nihil adimant, quod Ecclesiæ jam erat, sed solùm retineant, quod suum est, & illi debent. Illi autem Canones, ubi detentores Sacrilegij damnantur, loquuntur de illis, qui usurpant id, quod est Ecclesiæ jam proprium, videlicet de dispensantibus decimas præter Episcopi notitiam, & de laicis possidentibus decimas seu jus decimandi. Accedit, quòd non omnes Sacrilegi ipso jure sunt excommunicati, sed solùm violatores Ecclesiarum; nam de his solùm loquitur *cit. Can. 107.* & *cit. Can. 5.* anathema fertur solùm in raptores Ecclesiæ & facultatum ejus alienatores, in illos videlicet, qui Ecclesiæ auferunt, quod ipsa jam habet: hoc autem non faciunt, qui decimas non solvunt, cùm Ecclesia ante separationem partis decimæ à reliquis fructibus nullum jus in re habeat, ut dixi *n. 626.* & *seqq.* Pariter non obstat *c. 2. de Reb. Eccl. alien. in 6.* quod pro se producit Andr. Hispan. *l. c.* quia ibi nihil habetur, quod ad rem præsentem faciat, sed solùm excommunicantur laici, qui compellunt Prælatos Ecclesiæ ad concedenda ipsis laicis bona immobilia & jura Ecclesiæ. Sed neque reservata est absolutio ab hac excommunicatione, cùm nullibi tollatur jurisdictio ad absolvendum, sed solùm præcipiatur Confessarijs, ne absolvant, quousque facta sit solutio, ut benè observat Molina *tr. 2. de Just. disp. 756. n. 3.*

Assert. II. Excommunicatio in renuentes solvere decimas ferri non debet, nisi præmissâ monitione. Patet cùm ex *c. Pervenit 5. h. t.* & *can. Omnes decimæ 5. 16. q. 7.* ubi statuitur, *ut secundùm Domini nostri præceptum admoneantur semel & secundò & tertiò. Qui si non emendaverint, anathematis vinculo feriantur usque ad satisfactionem & emendationem congruam*: tum ex Trident. *sess. 25. c. 12. de Refor.* ubi dicitur *excommunicentur*: quo verbo apertum est significari censuram ferendæ sententiæ. tum denique ex regula tradita à Concil. Lateran. & Innoc. III. *c. Sacro 48. de Sent. Excomm.* statuente, sententiam excommunicationis ferri non debere, nisi præmissâ canonicâ monitione competenti: competens autem est trina juxta *c. Contingit 45. eod.* cum aliquo etiam dierum intervallo, nisi necessitas aliud exigat, ut disponitur *c. Constitutionem 9. eod. in 6.* Et licèt Judex in literis comminatorijs excommunicationis non teneatur apponere clausulam *nisi causa rationabilem possis allegare*, ut post Laud. docet Card. *in Clem. Dispendiosam de Judic. n. 28.* debet tamen priùs recipere informationem, quòd is, contra quem agitur, in Parochia, quæ decimas exigit, fundum habeat, ex quo decimæ debeantur: vel monitio facienda est conditionalis, videlicet, ut, si fundum ibi habet, & nondum solve-

710

711

solverit, solvat tam præteritas quàm futuras; secùs, excommunicatum iri, aut si gravatum se sentiat, de gravamine doceat &c.

711 Assert. III. Excommunicatus ob contumaciam in negandis decimis, absolvi non debet, nisi plenâ restitutione secutâ, ut loquitur Trident. *cit. sess. 25. c. 12. de Refor.* &, ut dicitur *cit. can. 5. 16. q. 7. usque ad satisfactionem & emendationem congruam.* Ex quo consequens est, quòd antequam absolvatur, non tantùm restituere debeat, quas jam debet; sed insuper promittere, se in posterum fideliter soluturum; cùm ob præsentem necessitatem fieri possit præsens satisfactio absque animo solvendi in posterum. Sic autem non daretur satisfactio & emendatio congrua. Qualis autem cautio exigi debeat, pro varietate circumstantiarum Judicis est arbitrari. Cæterùm absolvi debet, qui potis solvendi non est, dummodò promittat & juret se soluturum, cùm potuerit, uti observant Navarr. *in Man. c. 17. n. 59.* Molin. *de Just. tr. 2. disp. 156. n. 5.* Sanch. *in Decal. lib. 2. c. 20. n. 19.* Henriq. *l. 13. c. 28. n. 1.* Bonac. *disp. ult. in 5. Præcept. Eccles. q. 5. pun. 7.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 14. n. 1.* ac alij. Illud verò ultrò patet, quod tradunt Gloss. *in reg. Peccatum in 6.* Navarr. *l. c. c. 20. n. 32.* Azor *tom. 1. Instit. Mor. l. 7. c. 37. q. 9.* Fagundez *l. 1. in 5. Eccl. præceptum 6. n. 4.* absolvendum esse, cui obligatio solvendi remissa est à creditore: quia hac ratione cessat obligatio; hac autem cessante cessat ratio excommunicationis, quæ est, ut debitor compellatur ad satisfactionem: nisi fortè præstare nollet solutionem in futurum.

Assert. IV. Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ *clausul. 17.* ipso facto incurrunt laici, qui exigunt, usurpant, occupant, sequestrant decimas, reditus & proventus Beneficiorum, vel ad id auxilium præstant. An incurratur solùm tunc, quando laici occupant decimas tanquam sibi debitas, an etiam, si sine hac prætensione eas invadunt, dixi suprà *n. 577.* 712

Assert. V. Juxta *Clem. Religiosi 1. h. t.* excommunicationem incurrunt Religiosi non habentes Beneficium aut Administrationem. 1. Si absque justo titulo decimas aut primitias Ecclesijs debitas acceperint. 2. Si familiaribus aut pastoribus suis vel aliorum prohibuerint decimas solvere ex gregibus & rebus suis. 3. Si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur, Ecclesijs non solverint. 4. Si prohibuerint aut non permiserint servis & colonis solvere decimas ex terris, quas eis colendas tradunt. Si ista fecerint Religiosi Beneficium vel Administrationem habentes, ipso jure sunt suspensi. Has tamen censuras tunc solùm incurrunt, quando post monitionem ab Ecclesia, cui decimæ debentur, intra mensem non 713

deſtiterint, vel intra duos menſes, quæ malè uſurpârunt, non reſtituerint, ut habetur *cit. Clem. V. n. ſi poſt requiſitionem.* Sufficere unam requiſitionem ſeu monitionem, poſt Gloſſam alióſque benè inde colligit Pellizarius *tom. 2. Manual. Regul. tr. 7. c. 2 n. 187.* Non eas juxta Cajetan. Sylveſt. Navarr. ac alios incurrunt, quando decimæ particularibus ſolùm perſonis debentur, eò quòd textus loquatur ſolùm de decimis, quæ Eccleſijs debentur. Verùm hanc explicationem meritò reijcit Suar. *Diſp. 23. de Cenſur. ſect. 5. n. 37.* quia decimæ propriè ſumptæ omnes debentur Eccleſiæ per ſe & primariò, & ipſa fructus ſolùm decimales privatis Clericis vel laicis permittit: at per hoc, quòd fructus iſtos ipſa non percipit, ſed privata quæpiam perſona, non fit, ut decimæ ipſi non debeantur, ut idem Suar. notat. Cùm ergo omnes decimæ debeantur Eccleſiæ, & à privatis ſolùm nomine ipſius percipiantur, ut ſuprà explicavi, conſequens eſt, dictas cenſuras de omnibus decimis procedere.

714 Aſſert. VI. Juxta *Clem. Cupientes 3. §. 1. de Pœnis* ipſo facto excommunicationem incurrunt Religioſi cujuscunque Ordinis, ſi in concionibus vel aliàs aliquid proferre præſumpſerint, quo audientes à decimarum Eccleſijs debitarum ſolutione retrahantur. Ad eam tamen incurrendam, ut notant Angelus & Toletus, requiritur, ejusmodi ſermonem proferri pravo animo, & in præſentia eorum, qui ad decimas ſolvendas ſunt obligati. Eàdem *Clem. §. Et quia* injungitur omnibus Religioſis ſub obteſtatione Divini Judicij, & interminatione maledictionis æternæ, ut quoties populo prædicabunt Dominicâ 1. 4. & ult. Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſ. Dom. Penteco. ſtes, Nativit. Deiparæ, *audientes expreſsè ſtudeant informare* (ſuper decimis ſolvendis) *ſi ab Eccleſiarum Rectoribus, vel Vicarijs, aut loca retinentibus eorundem requiſiti fuerint. Nec non & his, quorum confeſſiones audient, conſcientiam facere, quòd decimas ſolvere non omittant.* Additur mox, ſi ſcienter neglexerint conſcientiam confitentibus facere de hujusmodi decimis ſolvendis, tamdiu ipſo facto à prædicationis officio eſſe ſuſpenſos, donec conſcientiam confitentibus (ſi commodam facultatem monendi habuerint) fecerint, *excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint prædictâ negligentiâ non purgatâ.* Hæc verba, *ſi prædicare præſumpſerint*, intelligit Palao *cit. pun. 14. n. 2.* non de qualicunque prædicatione, ſed de ea, quâ prædicator dicit, non dari obligationem ſolvendi. Quæ explicatio nec ab alijs affertur, nec ullum fundamentum habet, ac idcirco toleranda non eſt. Patet enim ex ipſo textu Clementinæ, quòd 715

Pon-

Pontifex geminas excommunicationes tulerit, unam §. 1. quam incurrunt, qui suâ prædicatione fideles avertunt à solutione decimarum; alteram §. *Et quia* 2. quæ incurritur ob violatam censuram suspensionis à munere prædicandi: cùm enim ista suspensio violetur non tantùm per illam prædicationem, quâ populus avertitur à solvendis decimis, sed per quamcunque aliam, ideirco absolutè & absque distinctione dicit Pontifex, incurri excommunicationem ab eo, qui in illa suspensione prædicare præsumpserit. Cæterùm addit Pontifex in fine, se nolle ista extendi ad Religiosos Monasteriorum vel Rectores Ecclesiarum, decimas percipientium. Universim nunc cessare mandatum de prædicanda & suadenda decimarum solutione videtur Wagnereckio *in Exegesi cit. Clem.* Rationem dat: quia his temporibus in hoc nihil difficultatis Religiosi faciunt. Verùm hinc solùm sequitur, quòd recensitas pœnas non incurrant, quia mandatum observant; non verò, quòd mandatum non ampliùs obliget & incursuri pœnas non essent, si illud non observarent: cùm constet, non propterea cessare legem, quòd cessârint transgressiones.

715 Assert. VII. Qui tenetur solvere decimas, & non solvit, sepulturâ Ecclesiasticâ privandus est. *c. Prohibemus* 19. *h. t.* & ibi Gloss. Panorm. ac alij. Textus quidem apertè solùm loquitur de ijs, qui decimas à laicis malè detentas ab ijsdem accipiunt, & Ecclesiæ non reddunt; sed à Rebuffo *q. ult. n.* 16. Andr. Hispano *q.* 2. *n.* 8. Moneta *c.* 8. *n.* 74. Barbosa *de Offic. Paroch. c.* 26. *n.* 50. *& c.* 28. §. 4. *n.* 19. aliisque apud hos citatis intelligitur de omnibus, qui eas detinent, seu non solvunt. Ratio extendendi est; quia eas detinent cum animarum suarum periculo; quæ ratio ibi affertur privationis sepulturæ sacræ. Accedit, quòd notoriè delinquunt, ut notant DD. *in Clem. Dispendiosam de Judic.* qui autem in notorio & publico peccato decedit, privandus est sepulturâ sacrâ, ut Glossa & DD. communiter tradunt *in can.* 19. *&* 21. 13. *q.* 2. Ait Hyacinth. Donatus *in Praxi Regul. tom.* 3. *tr.* 9. *q.* 38. *n.* 2. ob decimas non solutas non posse à Parocho corpus inhumatum relinqui, cùm hoc sit injustum, si non etiam barbarum, cùm mors omnia solvat, & præcipuè omnem obligationem debiti. Verùm & assertio (si loquatur etiam de illo, qui ex malitia decimas negat) & ratio falsa est. Sic enim etiam usurarius sacra humo mandandus foret, quod tamen falsum esse constat ex *c. Quia* 3. *de Usur. & c. Quamquam* 2. *eod. in* 6. si fuit notorius & restitutionem ante mortem non fecit, vel cautionem idoneam de restituendo non dedit. De-

cisio S. Congregationis, quam pro se producit, ad rem non facit: illâ enim solùm continebatur, ob jus sepulturæ non solutum negari sepulturam non posse. Quod utique verissimum est: cur enim miser defunctus luat, si jus illud ob paupertatem solvi non potest, aut ab avaro hærede non solvitur? at inhumanum non est, sed æquissimum, non sepeliri ab Ecclesia, qui notorius ejus contemptor decessit. Illud duntaxat sequitur, & facilè conceditur *arg. cit. c. 2. de Usur. in 6.* sepeliendum esse, si restituere decedens voluit, ac non potuit, & saltem cautio præstita fuerit, si præstari potuit.

716 Assert. VIII. Qui renuunt decimas solvere, non tantùm excommunicatione & privatione sacræ sepulturæ, sed alijs quoque pœnis compelli & puniri possunt. Assertio manifesta est cùm ex eo, quòd conveniri possunt etiam coram Judice seculari, ut patet ex dictis *n. 704.* hic autem pœnas Ecclesiasticas non infligit: tum ex eo, quòd contra illum, qui dictas pœnas Ecclesiæ contemnit, alia remedia debent competere: tum denique, quòd censura est pœna solùm medicinalis, & non infertur, aut si illata est, tollitur, quando delinquens à malitia destitit; illa verò altera non nisi post mortem locum habet: & sic præcedens contumacia sæpe maneret impunita, nec satis consultum foret decimatori, si alijs compellendi & plectendi modis locus non foret. Quinam autem adhibendi sint, nullo jure expressum, & sic Judicis arbitrio relictum est. Illud extra controversiam est, posse malitiam debitoris esse tantam, ut etiam criminaliter puniri queat: quia ex omni actione dolosa in re magni momenti oritur criminalis persecutio, quæ à Judice etiam ex officio suppleri potest. Rarò tamen ad severiores processus devenitur; partim quia sæpe de non magna quantitate agitur; partim quia Parochi aliíque decimatores Ecclesiastici mitiùs agunt, soliciti de suo jure consequendo, non de puniendis turbatoribus; seculares verò decimatores ipso plerumque suæ potentiæ metu debitores ad officium compellunt.

Ad Majorem DEI Gloriam.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Nota lector, numerum inferiùs semper appositum non indicare seriem paginarum, sed contextûs.

Abbas.

Consensum præstare Abbas debet transactioni super decimis Parochiarum pleno iure suo Monasterio incorporatarum. n. 322.

Habet in tales Ecclesias jurisdictionem quasi Episcopalem. 322.

Si Abbas, vel Ecclesia, quæ in aliena Parochia colligit decimas, contra alium Abbatem aut Ecclesiam agit judicio petitorio decimarum, & Ecclesia conventa objicit præscriptionem ortam ex 40. annorum quasi possessione cum bona fide, opus non est allegari & probari titulum: nisi actor, Abbas, aut Ecclesia munitus sit privilegio sexagenariæ aut centenariæ præscriptionis. 300.

Absolutio.

Absolutio quando & à quo danda sit excommunicato ob non solutas decimas? V. Pœna.

Actiones Decimatoris V. Decimator.

Ager.

Ex agro per modum lucri ex propria actione obtento debetur decima, non in specie, v. g. d cimum agri jugerum, sed in æstimatione & pretio n. 519.

In agro potest colonus separare decimas, spectato Jure communi. 547.

Allodium.

In Allodium nunquam transeunt decimæ per præscriptionem. n. 504.

Animal.

Decimæ ex animalibus cicuribus sunt prædiales, ex feris personales. n. 12.

Decimæ ex fœtibus aliisque fructibus animalium cicurum integræ debentur illi Parochiæ, intra cujus fines animalia pascuntur, nihilque inde debetur Parochiæ, in qua animalium dominus absens habitat. 376.

Si intra fines plurium Parochiarum pascantur animalia, singulis inde debentur decimæ pro rata temporis, quo fit pastus. 376.

Pariter divisio facienda est, si animalia intra unam Parochiam pascantur, in altera stabulentur & accubent. 377. Nisi consuetudine aliud receptum sit. 378.

Decimæ ex animalibus feris, quæ in nullius dominio sunt, debentur Parochiæ domicilij, seu illi, ubi Sacramenta percipit, qui ea capit. 379. Si septa clausa nutriantur, decimæ inde debentur Parochiæ, ubi septa sunt, & fœtus proveniunt. 379.

Animalia ad pastum agris immittenda non sunt, donec decimæ avectæ fuerint, modò decimator in avehendis moram non trahat. 557.

Ex animalium fœtibus sunt solvendæ, quando fœtus nutriri possunt sine matre; ex fructibus animalium, postquam sunt collecti; nisi ex his abrogatæ sint decimæ. 571.

Annatæ.

Exiguntur ex maioribus Beneficijs loco decimarum, ad quas Clerici SS. Pontifici de Jure obligantur. n. 334.

Sunt antiquissimo & immemoriali Ecclesiæ usu introductæ. 334.

Annuæ Præstationes.

Præscribi annuis præstationibus æquè ac alijs juribus potest. n. 295.

Et quidem non tantùm præteritis, sed etiam futuris. 301.

Apes.

Ex Apibus decimæ sunt de cera & melle, non de earum fœtibus. n. 513.

Appellatio in causa Decimarum.

Appellantes Parochiani extra vel intra judicium, & prætendentes consuetudinem vel præscriptionem, non sunt audiendi, sed compellendi ad solutionem decimarum, si dubia est exceptionis veritas; sicut non auditur appellans in tributis solvendis Principi. n. 671. Appellatio est neganda prætendentibus immunitatem ex privilegio vel compositione, nisi constet de hac vel illo, vel probatio in continenti afferri possit. 672. Appellatio in hu casibus non habet effectum suspensivum, habet tamen devolutivum. 673. Appellatio cum effectu devolutivo & suspensivo conceditur condemnato, si duæ Ecclesiæ, vel Clericus cum Ecclesia vel Clerico, vel si duo Laici contendunt super jure decimandi, vel si Clericus aut Ecclesia, quæ est in diuturna quasi possessione, juris decimandi, condemnatus,

mmatus, aut extrajudicialiter in ea turbatur. 674. Appellatio Laici, quæ suspendat jus Parochi, seu ejus executionem quoad perceptionem decimarum, non est admittenda, si contendit cum Parocho super jure decimandi, & titulum privilegij vel feudi ab Ecclesia concessi non ostendit, saltem præsumptive, ex quasi possessione immemoriali. 675. ab excessu in colligendis decimis potest apellari intra decendium, vel implorari officium judicis per viam querelæ intra annum, vel, licèt non appellaverit intra decendium, aut in appellatione succubuerit, potest agere de nullitate ad 30. annos. 676.

Arbiter.

In controversia super jure decimandi in Arbitrum compromitti potest, si accedat consensus Superioris aliæque solemnitates ad rerum Eccles. alienationem necessariæ. n. 431.

Arbiter in tali causa debet esse Clericus. Possunt tamen cum consensu Superioris Eccles. Clerico compromissario adjungi unus vel plures laici. 431.

In Arbitrum Laicum compromitti non potest in causa decimarum, & alys, in quibus solus Judex sacer est competens 602. neque Laicus in his causis potest esse arbitrator. ib. potest tamen compromitti in laicum simul & Clericum, vel in Clericum & duos laicos permittente Episcopo, cujus auctoritas necessario accedere debet. 602. potest compromitti in laicum, si non de jure decimarum, sed solùm de fructibus agatur. ib.

Bavaria.

Bavariæ Statutis & consuetudine ad decimas minores pertinent Olera, Rapæ, Linum, Cannabis, Milium, aliique minores fructus, fructus item arborum & animalium: ad majores verò præter frumentum Fabæ, Panicum, Lentes, Pista. n. 15.

Secundùm hæc Statuta Novale est terra, recens culta, quæ antea culta non fuit. 177.

Statutum Bavariæ de non exigendis decimis, quæ de consuetudine non solvuntur, quoad Laicos est decisivum, quoad Clericos solùm declaratorium. 313.

Si extremitates agrorum, quæ pro pastu animalium aliásque ob causas sæpe relinquuntur incultæ, ad culturam rediguntur, juxta Statuta Bavariæ decimæ inde debentur illi, qui eas colligit ex reliquo fundo. 387.

In Bavaria ex privilegio Pontificio per immemorialem consuetudinem præsumpto decimæ novalium primo triennio sunt Parochi, postea ejus, qui decimas in illa Parochia colligit. 398.

Jure Bavarico is, qui jus decimandi solùm in hortis habet, colligit decimas etiam ex frumento, si

hoc in illis proveniat. Si in campis minores fructus, v. g. Olera, rapæ, proveniant, decimæ ex illis ei debentur, cui competunt majores. 404.

Quamvis Jure communi iis, qui absolutè, & absque restrictione ad certos fundos, jus habent colligendi decimas minores, istæ debeantur integræ, undecunque proveniant: Eisdem tamen jure Bavarico solùm conceduntur ex dimidio jugero singulorum colonorum n. 407.

In Bavaria si ager, ex quo hactenus solutæ sunt decimæ frumenti, convertitur in pratum, non datur obligatio solvendi decimas feni, si istæ ex consuetudine in illa Parochia non solvuntur. 422.

Ex Bavariæ consuetudine, quæ Juri conformis est, non tenetur Decimator cum agrorum dominis & colonis concurrere ad sumptus in sepes & custodes segetum. 533.

Bavariæ Jure spectato potest decimator exigere decimas in agris vel horreis, vel, si ita convenit inter eum & colonum, aut saltem conventio fiat circa expensas trituræ, etiam in granis 548. nisi præscriptione legitimè completa aut consuetudine legitimè præscripta certus decimandi modus inductus fuerit. 549. 550.

Bavariæ Statutum de numeratione decimarum. 559.

Bavariæ Jure in decimis ex fœtibus animalium ab uno ad alium in quavis sorte numerari potest. 571.

In Bavaria decimas possideri à secularibus præcisè jure dominy absoluti, falsum est. 594.

Juxta Bavariæ Statuta & concordata solus Judex sacer est competens, si Clericus est reus. 606. item in dubio, utrùm decimæ sint laicales? 609. vel si concessæ sunt in feudum vel emphyteusin. 610. & in causa possessionis admixtam habente causam proprietatis, etsi reus sit laicus; si tamen in possessorio merè incidenter agatur de proprietate, scilicet de coloratione tituli, an possessio apertè odiosa sit vel vitiosa, cognoscere posse etiam laicum, in Bavaria potest concedi. 611. Solus item Judex sacer est competens, quando Parochus agit contra laicum possessorio adipiscendæ. 612.

In Bavaria in certis casibus à Jure permissis causæ decimales etiam spectant ad Judicem laicum. 605. Judex etiam laicus est competens, si agatur contra laicum possessorio solùm retinendæ vel recuperandæ, modò causa proprietatis non concurrat, & de solo facto agatur. 613. Item si constat, decimas per permutationem vel absolutam donationem ab Ecclesia translatas esse in laicos. 614. aut si de solo facto agitur, neque in tali quæstione aliquid admiscetur de Jure spirituali proprietatis vel dominy. 615 ita

ita tamen, ut etiam Judex Ecclesiasticus sit competens. 616. qui etiam adiri potest, si decimæ sunt effectæ juris laici, & lis est inter laicos. 618. Solus Ecclesiasticus Judex est competens, si decimæ à laico revertantur ad Ecclesiam, & Parochus super ijs conveniatur, vel laicum conveniat petitorio vel possessorio acquirendæ. 620. conveniri nequit Clericus, nisi coram Judice sacro, si decimæ ad eum à laico proveniant ex testamento paterno legato, emptione &c 622.

Beneficiatus.

Clericis Beneficiatis omnibus decimæ ex Justitia debentur. n. 342. & seqq.

Si Beneficiatus privatur debitâ sustentatione, applicatio decimarum per modum pensionis vel quomodocunque facta alicui etiam pio loco & religioso, invalida est. 347.

Tenenturij, quibus applicati fuerunt fructus decimales, alere Beneficiatos, si isti aliunde honestam sustentationem non habent, neque hoc onus imponi potest populo, si dat decimas. 347.

Beneficiatis, etsi divitibus & ex patrimonio vivere valentibus, decimæ debentur. 354. 355.

Iidem possunt ex redditibus Beneficij necessaria ad sui sustentationem accipere, parcendo proventibus patrimonij hosque consanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios usus profanos expendendo. 356.

Debentur ipsis decimæ, etiamsi sint malæ vitæ, & in malum eas usum convertant. 357.

Possunt ipsis negari, si officio suo desint, & Divina populo non ministrent. Non tamen propria auctoritate retineri à Parochianis possunt, sed solùm excipiendo in judicio & reconveniendo. 358.

Bona.

Bona Ecclesiæ dotalia non tantùm novis casibus ac oneribus gravari nequeunt, sed etiam antiquis, quæ priùs habebant annexa, antequam pro dote assignarentur Ecclesiæ, liberantur, si Patrono ac Fundatori erant tributaria n. 82. Quin liberantur non solùm ijs, quibus priùs erant obnoxia ipsi Patrono ac Fundatori, sed etiam Principi vi Jurisdictionis Secularis, quâ tributa à subditis exiguntur: non verò illis, quæ ab Ecclesia imposita fuerint, vel etiam à laicis jure dominij particularis aut pacto censuali, feudali, emphyteutico &c. 82. Bona Beneficijs Ecclesiasticis assignata in dubio præsumuntur libera & absque onere decimarum. 85.

Bona mariti tacitè obligata sunt uxori pro dote, bona subditorum fisco, bona tutoris pupillo, bona Prælati Ecclesiæ 150.

Bona Fidelium ad decimas obligatorum non sunt Ecclesiæ obligata pro decimis 150.

Canonici.

Canonici Regulares S. Salvatoris plenam immunitatem à decimis solvendis habent. n. 230.

Cardinales.

Cardinalium declarationes sunt decisivæ, & habent vim legis universalis. 590.

Causa Decimarum.

In causa decimarum solus Judex Ecclesiasticus competens est si uterq; litigans vel reus est Clericus. n. 572. si etiam solùm super possessorio decimarum agitur, vel de mero facto, v. g. an Clericus decimas, ad quas obligatur, solverit, non potest Clericus conveniri coram Judice Laico. 573. 574.

In causa decimarum petitorio agitur, si jus decimandi prætendit Ecclesia & Laicus, asserens sibi concessas decimas per investituram vel privilegium, aut consuetudine vel præscriptione se immunitatem à solvendo obtinuisse: quæ quæstio juris est; facti verò, si quæritur solùm, solveritne is, quem ad solvendas decimas constat esse obligatum &c. &c. 576. Causa decimarum in petitorio spectat privativè ad Judicem Ecclesiasticum, quando quæstio juris est. 577. etsi prætendatur immunitas à decimis totis vel earum parte ex præscriptione, privilegio, vel jus decimandi titulo investituræ, privilegio & c probando per testes, instrumentum &c. 578. imò & si sit quæstio solùm facti non liquidi. 580. etsi soli conductores &c. decimarum agant. 582. Judex Laicus in causis decimalium cognoscens incurrit excommunicationem SS. Pontifici reservatam, nisi illas ad se avocet à Judice sacro animo expresso supplicandi Sedi Apostolicæ. 587. si tamen agitur de solo facto, eóque liquido, e. g. si laicus negat decimas, ad quas constat eum teneri, tum, saltem nisi inhibitio ab Ecclesiastico transmissa sit, Judex etiam laicus contrà laicum adiri potest; & eum compellere ad solutionem decimarum. 58. In hoc casu competens etiam est Judex Ecclesiasticus cum jure præventionis. 582.

Si causa possessoria decimarum ad mixtam habet causam proprietatis, si agitur contra laicum possessorio adipiscendæ, vel etiam solùm retinendæ, solus Judex Ecclesiasticus est competens. 548. & seqq.

In causa decimarum Laicis concessarum in feudum solus Judex sacer est competens, sive feudum sit proprium, sive improprium. 590. idem dicendum de decimis laico concessis in emphyteusin, vel locatis. ib. sive agatur judicio petitorio, sive possessorio. 591. nec valet præscriptio vel consuetudo in contrarium secluso privilegio Ecclesiæ licet inter laicos causa agatur. 592. de decimis pleno jure laico concessis judicat

dicat solus Judex sacer. 593. de iis, quæ justo titulo sunt penes laicos, universim ac absolutè non potest judicare Laicus, 594. Decimarum conductor Laicus conveniri potest à locatore etiam Clerico coram Judice laico, nisi obstet conventio inter eos expressa, vel consuetudo loci. 600. in hoc casu potest etiam adiri Judex sacer. 601.

In causa decimarum, in qua solus Judex sacer est competens, in arbitrum Laicum compromitti non potest. 602. bene tamen in laicum simul & Clericum, vel in Clericum & duos laicos permittente Episcopo, cujus auctoritas necessariò accedere debet. 602. potest compromitti in laicum, si non de jure decimarum, sed solùm de fructibus agatur. ib.

De causis decimarum, in quibus solus Judex sacer est competens, non potest cognoscere laicus, licèt partes in ipsum consentiant 603. neque curia Principis secularis, licet in ea Assessores & Consiliarij sint Clerici, sive agatur inter Clericos, sive inter Laicos, sive principaliter, sive solùm incidenter. 694.

In causa Decimarum quis sit Judex competens in Bavaria? V. Bavaria.

Causæ decimarum sunt summariæ in casibus solùm ordinarijs. 646. uti si lis est inter Clericos, & inter hos ac Parochianos. 647. vel inter duas Ecclesias de jure decimandi, item, si una prætendit decimas sibi deberi ex consuetudine, vel si Parochus agit possessorio retinendæ. 648.

Causa decimarum non est summariæ, si quæstio est de decimis ex pacto aliove jure speciali debitis. 649. aut inter Laicos, nisi eas habeant in feudum. 650.

Si causa decimarum summaria est, tractari potest in feriis favore hominum inductis, nec opus libello vel litis contestatione &c. 651.

Decimis spoliatus an & quando restituendus? V. Spoliatus.

Decimæ habent paratam executionem, & si Parochus agit contra subditum ob eas non solutas, incipi potest à monitione & præcepto, cùm incipiendum sit in alijs materijs à citatione. 671.

In causa decimarum an appellatio admittatur? V. Appellatio.

In causa decimarum an decimator præferendus alijs creditoribus? V. Jus prælationis.

In causa Decimarum quales probationes requirantur? V. Probatio.

In causa Decimarum quomodo compellendus eas solvere renuens? V. Judex.

In causa Decimarum quibus pœnis utendum? V. Pœna.

Causa efficiens decimarum.

Causa efficiens decimarum proxima

xima sunt ij, qui solvunt; remota est lex obligans ad solvendum. 21.

Causa Pia V. Pia.

Census.

Census reales, quos inter sunt decimæ, solvuntur in loco, ubi census constitutus vel res sita est, in qua obligatio constituta est: census personales, ubi justa pactione constituti sunt. n. 534.

Cistercienses.

Cistercienses immunes sunt à decimis solvendis. n. 224.

Clerici.

*Clericis in Lege Gratiæ potiori jure debentur decimæ, quàm olim Levitis. n. 49. Tenentur vindicare decimas ad laicos devolutas, nisi isti justo titulo muniti sint. 50. Non debent permittere consuetudinem non solvendi, nisi legitimè præscriptam. 50. Clerici, etiam Curati & Parochi tenentur solvere decimas ex fundo patrimoniali, seu quem titulo profano acquisierunt, tametsi ille sit intra fines propriæ Parochiæ, in qua alius, quàm Parochus, jus decimandi habet. 79. Non tamen tenentur solvere exprædio, quod in dotem & sustentationem Parochi Beneficio annexum est, si illud intra fines Parochiæ ipsorum situm est. 80. Obligatione non quidem personali, reali tamen tenentur Clerici Curati solvere decimas reales ex prædijs in aliena Parochia sitis, tametsi sint assignata pro dote Ecclesiæ ipsorum & in sustentationem. 81. Imò etiam ex prædijs intra suam Parochiam sitis, eique pro dote assignatis, tenentur solvere illi, cui debebantur, antequam prædia Ecclesiæ assignarentur: nisi dum assignarentur, hoc onere exempta fuerint. 82. Clerici Beneficiati non Curati per se & onere personali non tenentur ex fructibus sui Beneficij decimas solvere. 84. Tenentur verò onere reali, si prædia, ex quibus redditus Beneficiales percipiunt, obnoxia fuerunt oneri solvendi decimas, antequam Beneficio applicarentur. 85. Quid interfit, eos teneri obligatione solum reali, aut tantùm personali declaratur. 85. Clerici, qui non habent Beneficium, nullique Ecclesiæ ex officio inserviunt, per se & onere personali obligati sunt ad decimas prædiales solvendas æquè ac laici. 87. Tametsi in commune vivant. 239. Nullus Clericus tenetur ad decimas personales ex lucris titulo spirituali acquisitis, v. g. ex distributionibus ob præsentiam in Choro, stipendijs pro Missa, Concione &c. 88. Clerici non Curati tenentur ad decimas personales ex quocunque lucro licito, quod titulo merè profano accipiunt, v. g. ex cantu, ad quem ratione Beneficij non obligantur, ex artefactu, munere docendi, negotijs gestis. 90.

Clerici

Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur SS. Pontifici solvere decimas de omnibus Ecclesiasticis, si eas exigat. 333.

Clericis omnibus Beneficium habentibus decimæ ex Justitia debentur. 342. & seqq.

Non habentibus Beneficium non debentur. 350. & seqq.

Clericis non profitentibus Evangelicam paupertatem non deberi decimas, error est ab Ecclesia damnatus. 44. 353.

Clericis Beneficiatis debentur decimæ, tametsi divites sint & ex patrimonio vivere valeant. 354. Et quidem non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino & Naturali. 355.

Possunt ex proventibus suæ Ecclesiæ necessaria ad sui sustentationem accipere, parcendo proventibus patrimonij, eósque consanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios profanos usus expendendo. 356.

Debentur ipsis decimæ, etiamsi malæ vitæ sint, & in malum eas usum convertant. 357.

Possunt ipsi negari, si officio suo desint & Divina populo non ministrent. Non tamen propria auctoritate retinere eas possunt Parochiani, sed solùm excipiendo in judicio & reconveniendo. 358.

Non Clericis competere jus decimandi potest ex privilegio SS. Pontificis 436. Non tamen alterius Prælati SS. Pontifice inferioris 437.

Clericus etiam privatus præscribere jus decimandi potest etiam contra Ecclesiam, cui Jure communi debentur decimæ. 442. Licèt nullum habeat Beneficium & ipsa Ecclesia seu Parochia non præscribatur. 444.

Clerici Judex competens in causa decimarum est solus Judex Ecclesiasticus, si uterque litigans vel si reus est Clericus. 572. Clericus nequit conveniri coram Judice Laico, si agitur etiam solùm super possessorio decimarum, vel de mero facto e. g. an Clericus decimas solverit, ad quas obligatur. 573.

Si Clerici sunt inter assessores & consiliarios Curiæ Principum secularium, tamen ea de decimis cognoscere non potest, sive agatur inter Clericos, sive inter Laicos, sive principaliter, sive solùm incidenter. 604.

De Clerico & Judice illi in causa decimarum competente. VV. Causa decimarum. Judex. Arbiter. Bavaria.

Clericus de jure communi actione reali non potest conveniri coram Judice laico; de consuetudine eum ita conveniendi notanda aliqua. 622. Clericus non potest trahi ad judicem laicum, licèt de sola possessione aut nudo facto, e. g. an solverit decimas, agatur. ib.

De Jure & actionibus Clerici Decimatoris, V. Decimator.

Respectu Clericorum quomodo procedatur in causa decimarum. V. Causa decimarum.

Clericus spoliatus decimis an restituendus? V. Spoliatus.

Clerici appellatio circa decimas an audiatur? V. Appellatio.

Clerici quid probare debeant in Causa decimarum? V. Probatio.

Clerici an censuras incurrant ob delicta circa decimas? V. Pœna.

Colonus.

Colonus partiarius seu mediarius, qui pro dimidia vel tertia parte fructuum domino pendenda fundum colit, pro rata tantùm fructuum, quos percipit, ad decimas tenetur. n.117.

Si fundum conduxit pro certa pensione domino solvenda, solus eas solvere tenetur. 119.

Si pretio conducta fuit ejus opera, nim. ut fundum colat pro certa vel summa pecuniæ, vel quantitate fructuum, non ipse, sed solus fundi dominus, ad decimas obligatur. 122.

Tenetur tamen in hoc casu ad decimas personales, sicubi in usu sunt. 123. 124.

Si dominus fundi, habet immunitatem personalem à decimis, tenetur ad eas solvendas Colonus. 220.

Si immunitas domini locantis est realis, ad nihil tenetur decimatori etiam colonus, tenetur tamen locanti. 221. 222.

Colonus partiarius non deducit expensas ex ea parte fructuum, quam socio debet. 532. Colono partiario similis est possessor fundi obligatus ad decimas. 532.

Colonus per se secluſa consuetudine non tenetur grana suis sumptibus excutere, & decimatorem hoc onere sublevare. 533.

Colonus spectato Jure communi potest decimas separare in agro. 547.

Colonus potest contra Ecclesiam & Ecclesia contra Colonum præscribere circa certum modum solvendi decimas 549.

Colonus debitor non tenetur de Jure scripto suis sumptibus decimas inferre horreo decimatoris. 552. tenetur, si decennio inducta sit consuetudo id faciendi. 556.

Colonus non potest decimarum fructus indecimatos horreo inferre ignaro & non consciente colono. 557. Decimationem facere potest absente Decimatore, si hic monitus nec per se nec per procuratorem assistat, potéstque decimatos cum periculo decimatoris in agris relinquere; neque tenetur Colonus custodire decimas, postquam ipse sua avexit, nisi obstet consuetudo. 557.

Colonus non potest pro arbitrio pecunias pro fructibus solvere 564. etsi vi contractûs pecuniæ hactenus tantùm solutæ sint. 565.

Colonus an compensatione in decimis uti possit? V. Compensatio.

Colonus quomodo compellendus ad

ad solvendas decimas? V. Judex.
Coloni non solventis decimas Pœna. V. Pœna.

Compensatio.

Compensatio solùm locum habet in quantitatibus, non in speciebus; hinc non possumus ea uti in deposito, & commodato, in quibus eadem species restituenda est. n. 677. neque in tributo. ib. neque in alimentis 678. neque in decimis, quæ negari non possunt prætextu ejus, quod decimator debet debitori decimarum, loquendo de alimentis & decimis futuris: in præteritis videtur compensatio admittenda, nisi præteritis annis dolò solutæ non fuissent saltem eo fine, ut postea exceptio compensationis opponi posset. 678. 679.

Compromissum.

Jus decimandi per compromissum uni litigantium auferri alterique acquiri potest, tam totum quàm ex parte. n 431.
Requiritur tamen consensus Superioris aliæque solemnitates ad alienationem rerum Eccles. necessariæ. 431.
Arbitri debent esse Clerici: Possunt tamen cum consensu Superioris Eccles. Clerico compromissario adjungi unus vel plures laici. 421.
Compromissum in laicum simul & Clericum arbitrum, vel in Clericum & duos laicos fieri potest permittente Episcopo, cujus auctoritas necessariò accedere debet. 602. potest etiam compromitti in laicum, si non de jure decimarum, sed solùm de fructibus agatur. 602.

Conductio.

Jus decimarum formaliter seu ut fundatum in titulo spirituali conducere nec Ecclesiastica Persona potest. n. 433.
Materialiter acceptum & præcisum à jure spirituali, sive quoàd utilitatem percipiendorum fructuum conducere Ecclesiastici possunt. 434.

Conductor.

Conductor nec civilem nec naturalem possessionem habet, & nunquam præscribit. n. 212.
Conductor an teneatur ad decimas ex prædiis conductis? V. Colonus & Locator.
Conductor longi temporis juxta communem DD. habet dominium utile & actionem in rem 214.
Conductor in causâ decimarum coram quo iudice convenire & conveniri debeat? VV. Causâ decimarum. Judex.

Consuetudo.

Consuetudo & Præscriptio in multis differunt. n. 253. 440.
Consuetudo quantumcunq; longa non potest tollere obligationem solvendi decimas etiam solùm personales, in quantum necessariæ sunt ad congruam Sacrorum Ministrorum sustentationem. 258. 259.

Tolli decimæ tam prædiales quàm personales consuetudine possunt absolutè & totaliter, si aliunde ex bonis Fidelium & reditibus Ecclesiasticis honestè vivere Clerici alicubi possunt. 206. & seqq. Non obstante jure Ecclesiis quæsito. 263.

Non potest consuetudine induci, ut ab aliqua communitate Parocho, & alijs Ecclesiæ Ministris, nec decimæ solvantur, nec loco earum alij reditus assignentur, tametsi illi ex proprio patrimonio vel artificio habeant, unde decenter vivant. 265.

Consuetudine nunquam ita tolli potest obligatio solvendi decimas, ut Ecclesia careat potestate vim illi adimendi & imperandi decimas. 266. 268.

Si consuetudo non solvendi decimas legitimè præscripta fuit, Clerici alitque decimatores non possunt eas exigere, & injustè agunt, si eas extorqueant. 168. Nec immunitas inde quæsita tolli ab Episcopis potest, vel seculari Principe, sed à solo SS. Pontifice. 268.

Non obstante hac consuetudine debentur decimæ, si reditus Ecclesiastici, quibus Clerici alantur, deficiant. 269. 270.

Consuetudine minui decimæ possunt, v. g. ut loco decimæ partis solvatur solùm duodecima aut vigesima 271.

Eâdem induci potest, ut non solvantur decimæ minores, vel ut certo solùm modo, deductis priùs expensis, aut solùm in horreis &c. 261.

Induci pariter potest, ut decimæ uni Ecclesiæ debitæ solvantur alteri. 272.

Si dubitatur, cui de jure debeantur decimæ, quomodo sint solvendæ &c. standum est consuetudine. Sufficitque in tali casu ad eam decennium. 273.

Ut consuetudo vim habeat aut inducendæ aut tollendæ obligationis, complura requiruntur. 276.

Rationabilis est, quæ nec legi Naturali nec Divinæ positivæ adversatur, nec Jure humano reprobatur & peccandi occasionem non præbet, nec alia ratione bono publico obest. 277.

Ut valeat, necesse non est, bonâ fide introductam fuisse 279.

Etsi regulariter ad Consuetudinem etiam illam, quæ est contra Legem, sufficiat decennium, consuetudo tamen non solvendi decimas non dat immunitatem, nisi 40. annis sit continuata. 282. 283.

Non tamen titulo ad eam opus est. 285. Neque decennio opus est ad Consuetudinem, si eam legislator scit dari, & cùm facilè posset, non contradicit. 286. 287.

Consuetudo supponit capacitatem possidendi, non dat, 294. 386.

Consuetudine alicui particulari Ecclesiæ acquiri jus decimandi nequit. 440.

Si alicubi consuetudine universali receptum sit, ut prædiales decimæ

cimæ non ſolvantur Eccleſijs, ubi ſita ſunt prædia, ſed illis, ubi eorum domini Sacramenta percipiunt, valet hæc conſuetudo, vique illius poſteriores Eccleſiæ jus decimandi obtinent contra priores. 441.

Ad hanc conſuetudinem introducendam requiruntur 40. anni, non tamen titulus. 441.

Conſuetudo immemorialis non cenſetur damnata, cùm lex vel Statutum conſuetudinem reprobans non expreſsè damnat immemorialem. 585. in VII.

Conſuetudine inolita Laici de Decimis, juſtè poſſeſſis diſponunt, ſicut de patrimonijs. 509.

De Conſuetudinario Jure decimæ perſonales in locis non ampliùs debentur. 250.

Conſuetudine ſtandum eſt etiam circa decimas. 520.

Ubi Conſuetudo viget non ſolvendi decimas niſi petitas, vel non ſolvendi præteriti temporis decimas non poſtulatas tempore ſolutionis conſueto, non datur obligatio ſolvendi non petitas &c. 542.

Conſuetudine legitimè præſcripta induci poteſt certus decimandi modus, qui obſervari debeat. 549.

Conſuetudo, ut debitores decimas horreo decimatoris inferant, decencenio induci poteſt, & valet, éſtque obſervanda, ſicubi datur. 556.

Conſuetudo actus voluntarios non poteſt reddere neceſſarios, quando conſtat fuiſſe ultroneè, & non tanquam ex debito poſitos. 565.

Conſuetudo inducere poteſt, ut non detur obligatio ſolvendi decimas in natura, ſed tantùm in pretio, ſi hactenus ſolum pretium ſolutum eſt, & non conſtat, id ſolutum eſſe vi contractûs, aut ſi de hoc conſtat, ſed pretium diu ſolutum eſt decimatori acquieſcenti à colonis renuentibus eas ſolvere in natura. 566.

Conſuetudo quid faciat reſpectu Judicis competentis in cauſa Decimarum. 592. VV. Cauſa decimarum. Judex.

Creditor.

Creditor non poteſt propria auctoritate bona poſſeſſoris invadere, & eum ad debitum obtinendum ſpoliare. n. 544.

Ad Creditoris domum rem deferre debitor obligatur vel non obligatur pro varietate contractûs & debiti. 554. V. Cenſus.

An Creditoribus alijs præferendus decimator? V. Jus prælationis.

Curia.

Curiæ ſtylus & praxis jus facit. n. 590.

Curiæ Principum ſecularium nequeunt cognoſcere de decimis, licèt inter aſſeſſores & conſiliarios ſint Clerici, ſive agatur inter Clericos, ſive inter laicos, ſive principaliter, ſive ſolùm incidenter. 604.

Debitor.

Debitor Decimarum. V. Colonus.

Debitor pro varietate contractûs & debiti obligatur vel non obligatur deferre rem ad domum creditoris. n. 554. V. Census. *debita ex mutuo, empto &c. solvuntur ibi, ubi pecunia vel merx accepta fuit. Ib.*

Decimæ.

Decimæ aliæ sunt Ecclesiasticæ, aliæ Profanæ. n. 2. Ecclesiasticæ sunt, quæ Clero ratione spiritualis ministerij solvuntur 2. Ecclesiasticæ aliæ sunt spirituales, quæ videl. remanent penes Ecclesiam; aliæ Temporales & Seculares, quæ laicis ab Ecclesia concessæ sunt. 17. Harum jus directum semper manet penes Ecclesiam & nunquam penitus desinunt esse Ecclesiasticæ. 2. 17. 461. Si possessor laicus nihil de ijs disponat & hærede caret, redeunt ad Ecclesiam. 2. & 17. In dubio semper præsumuntur esse purè Ecclesiasticæ & spirituales. 19.

Decimæ sunt decima pars fructuum & lucrorum licitè quæsitorum Ecclesiæ Ministris solvenda. 3. Primitiæ sunt primi fructus. Hæ immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ: Decimæ immediatè solvuntur Clero ad ejus sustentationem & ut stipendium ministerij sacri. 8.

Decimarum discrimen desumitur à varietate fructuum. 9. Tria decimarum genera enarrari solent: Prædialium, quæ de fructibus ex prædio sive ex terra provenientibus solvuntur; Personalium, quæ præstantur ex lucris per quamcunque licitam hominis actionem acquisitis; & Mixtarum, quæ de fructibus partim naturæ benignitate partim hominum industriâ natis præbentur. 10. Decimæ adæquatè dividuntur in Reales seu Prædiales, & Personales. 11. Mixtæ comprehenduntur sub Prædialibus. 12. Reales debentur non deductis expensis; debentur etiam ab Infidelibus ex prædijs & animalibus intra territoria Christianorum sitis; & illi Parochiæ, intra cujus fines fructus proveniunt. Personales, si cubi in usu sunt, non debentur nisi deductis expensis; nec solvuntur ab Infidelibus; nec illi Parochiæ, intra cujus fines lucrum provenit, sed ubi habitat is, qui lucrum facit. 13.

Decimæ Reales aliæ sunt Majores, Minores aliæ. Majores sunt, quæ solvuntur ex frumento, vino, oleo &c. Minores, quæ ex animalibus, feno, oleribus, pomis arborum. &c. 14.

Decimæ Ordinariæ sunt, quæ stabiliter solvuntur: Extraordinariæ, quæ extra ordinem & in certis quibusdam casibus imponuntur. 16.

Solutæ quandoque fuerunt cùm à Patriarchis Legis Naturæ, tum ab Ethnicis. 22.

Non

Non debentur Jure Naturæ. 25. 262. *Debetur tamen Jure Naturæ & Divino positivo illa fructuum pars Ministris Ecclesiæ, quæ ad ipsorum congruam sustentationem est necessaria.* 29. 30. 31. 39. *Formaliter sumptæ, seu ut sunt hæc determinata pars, non debentur in Lege Nova Jure Divino.* 37. 262. *Quo sensu dici possint statutæ Jure Divino.* 38. *De Fide est, deberi Jure saltem Ecclesiastico.* 40. *Errant, qui asserunt, hoc Jus primis Ecclesiæ seculis non extitisse.* 41. *Debentur decimæ Ecclesiæ Ministris ex Religione simul & Justitia.* 42. 43. 50. *Non sunt eleemosynæ.* 29. 43. 44. *Æquissima ratione statutæ sunt.* 46. & seqq. *Potiori jure debentur Ministris Ecclesiæ in Lege Gratiæ, quàm olim Levitis.* 49. *Transeunt in verum jus & dominium Ecclesiæ.* 50. *Jus decimandi est spirituale.* 50. *Debentur decimæ Clero ad ipsius sustentationem, & ad omnes expensas necessarias ad Ecclesiæ Divinique Cultûs ministerium.* 332.

Decimæ Personales plurimis in locis abrogatæ sunt, non tamen ubique. 51. *Ad Prædiales tenentur omnes, qui titulo non spirituali habent fundos alicui Ecclesiæ, nisi legitimo aliquo titulo sint exempti.* 52. *Ad Personales illi, qui ab Ecclesia Sacramenta percipiunt.* 53. *Et qui suâ culpâ ea non percipiunt, uti Hæretici.* 74.

Decimæ dicuntur tributum Deo & Ecclesiæ debitum. 129. *Non tamen sunt tributum propriè dictum.* 143.

Discrimen multiplex est inter decimas & tributa. 143. 146.

Decimarum solvendarum obligatio immediatè annexa, est fructibus, & fundo solùm mediatè seu ratione fructuum. 137. 138. 139.

Decimæ solvendæ sunt ante tributa. 129. 142.

Decimandi jus non est servitus, unde regulis servitutum metiendum non est. 303.

Decimæ Personales Jure communi debentur illi Parochiæ, in qua quis domicilium habet, & Divina percipit. 360. Vide *Domicilium.*

Debentur hæ decimæ Ecclesiæ Parochiali, tametsi non sit Baptismalis. 361.

Prædiales Decimæ Jure communi debentur Paroho, in cujus Parochia prædia sita sunt, tametsi dominus prædiorum ibi non habitet. 363. 364.

Contrarium induci potest consuetudine. Ad hanc inducendam requiruntur 40. *anni.* 365. 441.

Debentur prædiales decimæ Parochiali Ecclesiæ, ex prædys intra ejus limites sitis, tametsi non sit Baptismalis. 368. *& tametsi, qui fructus percipit, alibi habitet.* 512.

Decimæ Carnaticæ, seu ex fœtibus aliisque fructibus cicurum animalium integræ debentur illi Parochiæ, intra cujus fines animalia pascuntur & nutriuntur, nihilque ex illis debetur Parochiæ, in quæ habitat absens dominus animalium. 378.

Si intra fines plurium Parochiarum pascantur animalia, singulis inde debentur decimæ pro rata temporis. 376.

Idem dicendum est, si animalia intra unam Parochiam pascantur, in altera stabulentur & accubent. 377. *Nisi consuetudine aliud receptum sit.* 378.

Nihil debetur Parochiæ, per quam animalia solùm transeunt, nisi notabili tempore ibi pascantur. 378.

Decimæ ex animantibus feris, quæ in nullius sunt dominio, sunt personales, & debentur Parochiæ domicilij, seu ubi Sacramenta percipit is, qui eas capit. 379. *Si septis concluſæ nutriantur, decimæ inde, utpote prædiales, debentur Parochiæ, ubi septa sunt & fœtus proveniunt.* 379.

Decimæ ad alienam Ecclesiam vel Personam Ecclesiasticam devolui possunt Transactione, Compromisso, Permutatione, Venditione, Locatione, Unione Ecclesiarum, Privilegio, Investiturâ, Consuetudine, Præscriptione. 428.

Decimandi jus Laicis acquiri potest privilegio SS. Pontificis. 463.

Decimæ possunt à SS. Pontifice Laicis concedi in feudum perpetuum. 465. *ab Episcopo verò in Feudum solùm temporale.* 466. 467. 468. *neque reversæ à Laicis ad Ecclesiam, ab Episcopo rursus Laicis infeudari possunt.* 470.

Decimæ simpliciter & purè reversæ ad Ecclesiam, recuperant primigeniam naturam. 472. *neque ad hoc opus est voluntate Laici, volentis eas reverti ad primævam naturam.* 621.

Possunt in alium transferri, quando prior possessor adhuc vivit, aut si ad Ecclesiam reversæ sunt solùm accessoriè. 473.

Decimas contra Ecclesiam Laici præscribere nequeunt etiam tempore immemoriali & cum bona fide. 476. *contra Laicum eas præscribere possunt.* 486.

Quod in Decimis temporale est, separari à Jure Spirituali potest auctoritate Ecclesiæ, non verò per solam Laici detentionem. 485. ad 5.

Jus decimandi nec licitè nec valide emitur, venditur, locatur, permutatur re temporali. 490. 491.

Decimas injustè detentas nequit Laicus sine consensu Episcopi alteri Ecclesiæ restituere, quam cui debentur. 494. *valida est translatio in aliam Ecclesiam, si accedat consensus Episcopi, & injustè occupatæ illæ fuerint ante Concilium Lateranense 3 secùs, si post hoc, vel solùm ad tempus obtentæ sunt.* 495. *&c. multò minus valet alienatio in Laicum.* 500.

Decimæ concessæ valide in feudum perpetuum transeunt ad successores etiam Laicos 501. *possuntque cum consensu Episcopi alteri*

Laico

Laico infeudari, si præjudicium filiorum abſit. 502.

Decimæ laicis donatæ non ſunt, ſed ſolùm in feudum datæ. 505.

Decimæ, juſtè poſſeſſæ, absque conſenſu Epiſcopi à Laico reſtitui poſſunt Eccleſiæ, cujus antè fuerant. 506. *alteri verò Eccleſiæ cum conſenſu Epiſcopi.* 507. *oppignerari etiam poſſunt Laico.* 508. *de illis Laici conſuetudine inolita, ſicut de patrimonialibus, diſponunt.* 509.

Decimæ per præſcriptionem nunquam tranſeunt in Allodium. 595.

Decimæ tam perſonales, quàm prædiales exiguntur; & cùm ſingulis impendantur officia ſpiritualia, à ſingulis & ex omnibus fructibus & proventibus, rerum mobilium & immobilium, Decimas exigit Eccleſia. 510. 511.

Decimæ prædiales dantur ex proventibus molendinorum, fodinarum, mercede locatarum ædium, furnorum &c. 512. *Decimæ variæ prædiales referuntur.* 511. 512.

Decimæ ex apibus ſunt de cera & melle, non de earum fœtibus. 513.

Decimæ ſolvendæ ſunt etiam de rebus minutis, non verò de minutiſſimis oleribus, collectis non ad lucrum, ſed familiæ commodum aut voluptatem. 514.

Decimæ non debentur bis ex eadem re, bene tamen occaſione ejusdem rei v. g. ex pecore prædiales, & & ex lucro occaſione pecoris venditi relato induſtriales, vel duplex prædialis, ex prato decima feni, & decima ex fœtibus animalium, quæ ex prato oriuntur. 515.

Decimæ ſolvendæ etiam ex novalibus. 516. *toties ſolvendæ, quoties res fructificat.* 517.

Decimæ perſonales, ſtando communi Jure Eccleſiæ, ex præcepto ſolvendæ ſunt ex omnib⁹ lucris, quæ verè ac juſtè ex ſua induſtria & actione ab aliquo acquiruntur. 518. 523. *decimæ pretij pro re vendita accepti non debentur, niſi lucrum aliquod accreſcat ex venditione.* 519. *debentur ex militia negotio, artificio, venatione, aucupio, piſcatu.* 518. 519. *etiam ex lucro per luſum juſtum acquiſito, & ex re immobili per modum lucri ex propria actione acquiſita* 519. *De Jure verò Conſuetudinario decimæ perſonales plerisque in locis non debentur, & circa decimas ſtandum eſt Conſuetudine.* 520.

Decimæ ex rebus comparatis titulo oneroſo non debentur, poſito, quòd jam ſint decimatæ, ſi ſint fructus. 521. *neque ex comparatis titulo lucrativo, donatione, legatione, hæreditate: quia non ſunt fructus induſtriales &c. neque ex eleemoſynis, licèt petitis.* 522. *ex re acquiſita cum fructibus pendentibus indecimatis vel ex acquiſitis ipſis fructibus indecimatis ſolvendæ ſunt decimæ collectorum fructuum; ſecùs, ſi fructus jam antè decimati fuerunt.* 524.

Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt de rebus illicitè acquiſitis, id eſt,

de fructibus earum, sive illæ sint in dominio obtinentis, sive non. 526.

Decimarum onus quemcunque possessorem sive justum sive injustum sequitur. 526.

Decima debetur tametsi semine furtivo seminatus fuerit ager. 527.

Decimæ personales non debentur ex rebus comparatis contra justitiam commutativam, neque transeuntibus in comparantis dominium, vel transeuntibus quidem, sed tamē restituendis. 527. debentur verò per se loquendo ex turpiter quidem acquisitis, sed sine injuria danti illata, & sine obligatione restituendi 528.

Decimæ non debent acceptari ab Ecclesia ex lucris turpiter factis, si crimen, ex quo ea proveniunt, est notorium. 430. S. Thomas ait decimas ascipi posse de anterioribus lucris peccatoris publici, de cujus pœnitentia & vitæ mutatione constat; alij apud Suar. peccatorem publicum de lucris injustis decimas, non acceptas ab Ecclesia, teneri impendere pauperibus, vel alijs bonis operibus. 530.

Decimæ prædiales solvi debent integræ, & non deductis expensis. 532.

Quoad Decimarum solutionem fructus considerantur naturaliter. 532.

Ad Decimas obligatus possessor fundi similis est colono partiario. 532.

Decimæ prædiales non deductis expensis debebantur in Lege Mosaica. 533.

Ex Decimis detrahenda est illa frumenti pars v. g. vigesima, quæ solvitur pro mercede triturantibus, si decimæ ex consuetudine loci dentur in granis excussis. 533.

Decimandi modus ille, quo novem scamnorum seu porcarum fruges colliguntur, & decimus intactus relinquitur, demetendus ab ipso decimatore, per se illicitus est: decimæ enim debentur ex fructibus collectis & sine expensis decimatoris. 533.

Decimæ personales non debentur, nisi deductis expensis. 534. quæ expensæ hic intelligantur, vide. V. Expensæ *& n. 535.*

Pro Decimis non obligaris deligere fructus meliores, sed obligaris non seligere viliores & minores. 536.

Ad Decimarum materiam seu quantitatem spectat earum integritas, ad formam, modus, quo illæ solvendæ sunt 537.

Decimæ debentur, etsi non exigantur, neque saltem per se & secluſa consuetudine contraria expectari petitio & tardari in solutione potest qui aminus solvit, qui, tardius. 539. Nemo excommunicandus ob non solutas, nisi monitionem priùs factam contempserit. 540.

Decimæ non solutæ, neque postulatæ hoc anno, sequenti exigi possunt & solvi debent, secluſa contraria consuetudine & gratuita remissione. 542.

Decimas nondum separatas propria

pria auctoritate privatus decimator auferre non potest. 544.

Decimæ spectato Jure communi in agro separari possunt à colono. 547. spectato Jure Bavariæ potest eas decimator exigere in agris vel horreis, vel, si ita convenit inter ipsum & colonum, aut conventio saltem fiat circa expensas trituræ, etiam in granis. 548. Decima admetienda est eâdem mensurâ, qua reliquæ novem partes mensurantur. 548.

Certus decimandi modus præscriptione legitimè completa, vel consuetudine legitimè præscripta inductus observari debet. 549. Certus decimas solvendi modus à Jure statutus non est. Ib.

Ad Decimas horreo Decimatoris suis sumptibus inferendas de Jure scripto, colonus non tenetur. 552 tenetur, si decennio inducta sit consuetudo id faciendi. 556.

Decimæ numerantur inter census reales. 554.

Decimarum fructus indecimatos non potest debitor horreo inferre ignaro & non consentiente Decimatore. 557.

Decimatio fit absente Decimatore, si monitus per se vel procuratorem non assistat. 557.

Decimarum numeratio quomodo facienda. *V.* Numeratio Decimarum.

Decima fructuum pars solvenda est, nec satisfit solvendo eorum pretium, nisi decimator ultro acceptet. 564. potest tamen aliqua consuetudine & præscriptione induci, ut pecuniæ tantùm debeantur. 566.

Decimæ prædiales statim post collectos fructus solvendæ sunt. 568. intelliguntur ibi per collectos, fructus non qui jam sunt in horreis, sed etiam qui sunt cœpti percipi, ita ut fructus desierint se continere terrâ. 569. Decimæ personales, sicubi in usu sunt, solvendæ sunt in fine anni, uti tributa & census: solutæ tamen intra annum non debent recusari: ex lucro decimam partem statim separare expedit: denique observanda consuetudo quoad tempus solvendi personales decimas. 570. Decimæ ex animalium fœtibus solvendæ, quando isti sine matre nutriri possunt; ex fructibus animalium, nisi sint abrogatæ, quando sunt collectæ. 577. maximè hic observanda consuetudo & privatæ transactiones. ib.

In Decimarum causa quis Judex sit competens. *VV.* Causa Decimarum. Arbiter. Bavaria.

Decimæ etiam Laicis concessæ percipiuntur titulo spirituali 596.

Decimæ auctoritate SS. Pontificis per permutationem translatæ in secularem absolutè in illum translatæ sunt. 598.

Circa Decimas quod jus & quæ actiones conveniant Decimatori? *V.* Decimator.

In Decimarum causa quis sit modus procedendi? *V.* Causa Decimarum.

Decimis spoliatus an restituendus? V. Spoliatus.

Circa Decimas an appellatio admittatur? V. Appellatio.

In Decimis an compensatio locum habeat? V. Compensatio.

Quoad Decimas an præferendus decimator alijs creditoribus? V. Jus prælationis.

In Decimarum causa quales probationes requirantur? V. Prælatio.

Decimas renuens solvere quomodo compellendus sit? V. Judex.

Decimas non solvere est peccatum multiplex. 706. & grave. 707.

Decimas non solventis Pœnæ. V. Pœna.

Qui Decimas non solvunt, non sunt propriè sacrilegi; sacrilegij verò damnantur, qui decimas dispensant præter Episcopi notitiam, & laici, qui possident decimas, seu jus decimandi. 709.

Decimator.

Decimator non habet tacitam hypothecam in bonis eorum, qui obligati sunt ad decimas. n. 150.

Idem potest decimas gratis remittere & super ijsdem transigere sine consensu Superioris, si suum duntaxat & non Ecclesiæ vertatur præjudicium. 307. & seqq.

Laicus decimator liberè & absque consensu Superioris remittere decimas potest. 311. 314.

Parochi aliique decimatores Ecclesiasticis non possunt cum Laicis absque consensu SS. Pontificis componere, ut decimas omnino non solvant: saltem si justa compensatio non fiat. 315. Neque, ut solvant in quantitate minore. 316.

Decimator non potest dominum fundi à mutatione culturæ impedire, tametsi ex mutatione facta aliquid de decimis decedat: modò illa non fiat in fraudem. 401.

Decimatori laico nulla debetur compensatio ob damnum, quod ob variatam fundi culturam patitur in decimis 405.

Decimator laicus, qui præter possessionem immemorialem alium titulum allegare non potest, illas tantùm decimas exigere potest, quas hactenus collegit; non verò ullas alias, quæ post mutatam fundi culturam proveniunt. 411. 414.

Decimator etiam Ecclesiasticus decimas suas liberè locare potest ad longum tempus, imò etiam ad suam vitam. 493. Non item eas, quæ immediatè pertinent ad Ecclesiam. 435.

Decimator Laicus non potest remittere decimas ijs, qui solvere tenentur, ultra tempus, quo jus penes ipsum & familiam suam permansurum est. 505.

Decimator de Jure non tenetur concurrere ad sumptus in sepes & custodes segetum. 533.

Decimatorem onere excutiendi grana suis sumptibus colonus non tenetur

tenetur sublevare, per se, secluſa consuetudine. 533.

Sine Decimatoris expensis ei debentur decimæ ex collectis frugibus. 533.

Decimator prudenter dubitans, an fideliter sint solutæ decimæ, jus habet repetendi numerationem manipulorum &c. potest etiam inhibere colonis, ne decimas separent, nisi se, vel suo nuntio præsente, & si contraria consuetudo viget, atque probare potest, se multoties inde læsum esse, potest ab Ordinario petere, ut invalidam reddat consuetudinem, quæ tunc irrationabilis est, quia occasionem peccandi præbet. 536.

Decimator, non habens jurisdictionem temporalem in debitores decimarum, non potest propria auctoritate eas nondum separatas auferre. 544.

Decimator exigere potest, ut colonus decimam quamque striam agri relinquat intactam, si aliÿ modi solvendi decimas sint meritò suspecti fraudis, vel colonus metat immaturas segetes, potéstque decimator jure petere, ut colonus fructus relictos suis sumptibus metat, vel alios maturos ejusdem sortis suo tempore restituat: erit tamen decimatori ferendum modicum damnum in casu indigentiæ coloni. 546.

Decimator spectato Jure Bavariæ exigere potest decimas in agris vel horreis, vel, si inter eum & colonum ita convenit, aut conventio fiat circa expensas triturę, etiam in granis. 548.

Decimatoris horreo decimas suis sumptibus inferre Colonus de Jure scripto non tenetur. 552. tenetur, si decennio inducta sit consuetudo id faciendi. 556.

Decimatore ignaro & non consentiente non potest debitor decimarum fructus indecimatos inferre horreo. 557. cum Decimatoris periculo relinquuntur decimæ in agro, si decimatio eo monito, nec tamen assistente facta fuit, secluſa consuetudine contraria. 557.

Decimator non potest tantùm exigere, uno anno, quantum alio, secluſo speciali pacto de solvenda singulis annis mediocri portione. 560. de illo, quod post numerationem decimum manipulum &c. non attingit, nihil accipiat, neque sequente anno in numeratione incipiat ab octo v. g. manipulis, qui priore anno erant residui. 561. eodem anno potest numerare manipulos ab uno agro ad alium ejusdem coloni, & ab una specie ad aliam frumenti solidi, & ab una levis ad aliam levis. 559. 562. 563.

Decimator non potest pro arbitrio pecunias pro fructibus exigere. 564. etsi vi contractûs pecuniæ tantùm hactenus solutæ sint. 565.

Decimator Parochus vel laicus, nec non fructuum emptor & conductor habet jus plenum ac proprietatem in decima fructuum parte à reliquo cumulo separata. 624 ante

separationem neque habet jus plenum & directum dominium. 626. neque dominium quoddam utile & in re. 628. &c. potest petere decimas ex fructibus, ad quemcunque isti pervenerint, vel à primo vel à novo eorum possessore, nisi hic eos furatus fuerit &c. tunc enim omnes restituendi sunt domino, quem Ecclesia compellere potest ad eos vindicandos, aut si in hoc impotens vel negligens fuerit, convenire potest furem, &c. 631. conveniri pro decimis potest, qui segetes injustè combussit. 632. nec non colonus, cujus culpâ fruges collectæ & in eo statu positæ, quo tenetur solvere decimas, solutæ non sunt, & ex hac mora perierunt. 633. vel cujus culpa jam nati & pendentes fructus vel collecti non sunt, vel aliàs perierunt. 684. non tamen ille, qui fundum non coluit, aut culturam impedivit, nisi hoc factum sit in fraudem decimatoris. 635. possunt tamen compelli Parochiani, ne ex malitia vel negligentia culturam omittant. ib. Decimatori competit rei vindicatio, si pars decima à reliquis fructibus separata jam est, & quidem contra quemcunque, apud quem illa extat. 627. quæ actiones competant, si periit, vi, dolo, culpâ? ib. si decimæ nondum sunt separatæ, non competit decimatori actio in rem, competit tamen Confessoria, & interdictum uti possidetis, *licèt nullas adhuc ex isto fundo decimas Parochus perceperit, atque etiam interdictum* unde vi, & *actio ad futuras quoque præstationes, item condictio ex Canone contra quemvis fructuum possessorem, & illum, cujus culpa separati aut non separati destructi sunt, licèt deinde ex causa non prævisa aliàs perituri fuissent. ubi tamen frequenter damnificantur fruges ex causis naturalibus, condemnandus est colonus non juxta totum valorem fructuum, sed juxta spem eos colligendi. 638. 639. 640. Actio de dolo competit contra eum, cujus dolo, consilio &c. factum est, ut non solverentur, nisi decimæ ad dolosum pervenerint. 641. Confessoria agitur, si lis est de proprietate juris decimandi inter duos decimatores, vel si decimator ait sibi competere jus decimandi in fundo, & dominus fundi &c. prætendit immunitatem ex privilegio, & si actor est Parochus, sufficit, si probat, se esse Rectorem Parochiæ intra cujus fines fundus decimalis est. 642. Clerico adeunti Parochiam competit remedium adipiscendæ. 643. Decimator turbatus in quasi possessione agit interdicto Retinendæ contra quoscunque turbantes, etiam Curatos & Clericos Regulares vel seculares. 644. Spoliatus decimis agit remedio Redintegrandæ contra spoliatorem, vel quemcunque decimarum possessorem etiam bonæ fidei, sive absque titulo, sive cum titulo ad eum pervenerint, idque ad 30. annos: vel saltem concedendū ei est remedium*

Recupe-

Recuperandæ adversùs possessorem quemvis conscium spoliationis. 645.

Decimator an præferendus creditoribus? V. Jus Prælationis.

Decimator per quem & quomodo compellere possit renuentem solvere decimas? V. Judex.

Decimator potest gratis vel per pactum vel compositionem remittere decimas sibi debitas; moneat tamen id fieri sine præjudicio juris sui & successorum. 700.

Dispensatio.

Circa Decimas *Dispensatione valide, etsi illicite, concessâ uti quandoque licite possumus. n. 163.*

Dispensare in lege vel præcepto Superioris non potest inferior, nisi idipsi à Superiore concessum sit, aut legitimè præscripserit. 164.

Dispositio.

Dispositio indefinita comprehendit etiam futura. n. 202.

Domicilium.

Parochiæ domicily, seu ubi quis habitat & Divina percipit, debentur decimæ personales. n. 360.

Qui domicilium mutat, debet has decimas non priori Parochiæ, ex qua abyit, sed illi, in quam transijt, etiamsi in priore habeat possessiones, nullas in posteriore. 361.

Quamdiu Parochianus non mutat domicilium, semper illas debet Parochiæ domicily, etiamsi alibi laboret, negotietur ac lucretur, etiam per magnam anni partem. 361.

Si quis plura habet domicilia in in diversis Parochijs, dividendæ inter eas sunt decimæ personales, si utrumque est principale, & utrumque æqualiter habitatur: aliàs pro rata temporis dividendæ sunt. si unum tantùm est accessorium, totæ debentur Parochiæ principalis domicily. 361.

Donatio.

Donationes Sedi Apostolicæ à varijs Imperatoribus & Regibus factæ recensentur. n. 97.

Ex bonis Donatione *acquisitis non debentur decimæ. 522.*

Dos.

Dotis causâ bona mariti tacitè obligata sunt uxori, & cum onere ad quemcunque possessorem transeunt. n. 131.

A Dote *ad Ecclesiam ac ad omnem piam causam bona est argumentatio. 131.*

Ecclesia.

Ecclesia æquissima ratione statuit decimas. n. 46. & seqq. Habet in illis verum jus & dominium. 50. Ejus legibus & præceptis non ligantur Infideles, seu non baptizati. 66. Ligantur tamen Hæretici, quamvis extra ejus gremium sint. 71. 72. Cogere eos ad Fidem amplectendam potest. 72. Reversos ad Fidem non cogit ad solvendas decimas tem-

tempore hæresis non solutas. 75. Ab ejus jurisdictione neminem, qui baptizatus sit, eximere vel privilegium vel præscriptio potest. 76.

Ecclesiæ non habent tacitam hypothecam in bonis eorum, qui ad decimas sunt obligati. 150.

Potest Ecclesia tollere consuetudinem non solvendi decimas, & illâ nixos ad solvendum cogere. 266.

Si Ecclesia per transactionem super decimis graviter læsa est, poterit tam ipse Rector, qui transegit, quàm successor, agere ad rescissionem. 430.

Ecclesiis & Clericis jus decimandi competere potest ex concessione SS. Pontificis. 436.

Ecclesia una jus decimandi præscribere potest contra alteram, etiam illam, cui Jure communi debentur decimæ. 442. Tametsi non præscribatur ipsa Ecclesia. 444.

Ad Ecclesiam à Laicis reversæ decimæ ab Episcopo Laicis rursus infeudari non possunt. 470. recuperant primigeniam naturam. 472. neque ad hoc opus est voluntate laici, volentis eas reverti ad primævam naturam. 621.

Ecclesiæ alteri, quàm cui debentur, restituere decimas injustè detentas sine consensu Episcopi nequit Laicus. 494. transfert tamen validè in aliam Ecclesiam cum consensu Episcopi decimas occupatas ante Concilium Lateranense, invalidè, obtentas injustè post dictum Concilium, vel solùm ad tempus. 495. 499.

Ecclesiæ in decimis semper salvum manet jus directum. 505.

Possunt decimæ justè possessæ Ecclesiæ, cujus antè fuerant, à Laico restitui sine consensu Episcopi: cum hujus consensu verò alteri Ecclesiæ: neque necessarius est consensus Capituli. 506. 507.

Ad rerum Ecclesiæ alienationem propriè dictam non sufficit auctoritas Episcopi, sed requiritur consensus Capituli: in revocatione verò sufficit consensus Episcopi. 497.

Cum Ecclesiæ jure directo in decimis consolidatur jus utile, si familia decimatoris est extincta. 505.

Ecclesia non debet acceptare decimas ex lucris crimine notorio comparatis. 530.

Ecclesia per se jus non habet decimas certo modo exigendi: potest tamen contra debitorem colonum præscribere, ut ipse solvat hoc certo modo decimas, vel colonus contra Ecclesiam, ut non teneatur solvere, nisi hoc certo modo: sic verò præscribet Ecclesia tempore ordinario, quo contra Laicos præscribitur, colonus tempore ordinario, quod ad præscribendum contra Ecclesiam sufficit, quando jus præscribenti non resistit. 549.

Ecclesia quoad decimas est instar fructuarij & pensionarij, cui satisfit, si fructus solvantur ibi, ubi res frugifera sita est. 552.

Ecclesiæ res in dubio præsumuntur potiùs infeudatæ quam simpliciter

pliciter donatæ aut permutatæ. 598.

Ecclesiarum Rectores possunt suos malefactores, sub quo maluerint, Judice, sacro vel seculari convenire. 601.

Ad acquirendum Ecclesiæ dominium non est necessaria traditio. 624.

Ecclesiæ jus, & actiones circa decimas. V. Decimator.

Respectu Ecclesiæ quomodo procedatur in causa decimarum? V. Causa decimarum.

Ecclesiæ appellatio circa decimas an audiatur? V. Appellatio.

Ecclesia quid probare debeat in causa decimarum? V. Probatio.

Ecclesia propria auctoritate auferre non potest decimas nondum separatas. 698.

Ecclesia per quem & quomodo compellere possit renuentem solvere decimas? V. Judex.

Eleemosynæ.

Ex Eleemosynis non debentur decimæ, licèt petantur. n. 522.

Emphyteutas.

Emphyteuta solus tenetur ad solvendas decimas ex fundo emphyteutico, ad nihil verò dominus directus. n. 119.

Naturaliter possidet bonum emphyteuticum. 213.

Tenetur ad decimas ex illo solvendas, tametsi privilegium habeat non solvendi ex bonis, quæ habet vel possidet. 212. & seqq.

Emphyteuta obligatur ad Canononem horreo domini inferendum. 555.

Emptio Venditio.

Jus decimarum formaliter acceptum, seu ut fundatum in titulo spirituali, emere nec Persona Ecclesiastica potest. 433.

Materialiter acceptum & præcisum à titulo spirituali, sive quoad utilitatem percipiendorum fructuum, emere Ecclesiastici possunt. 434.

Nec licitè nec validè emitur vel venditur Jus decimandi. 490.

Emi & vendi possunt unico pretio fructus decimales Parochi ad totum tempus, quo ille jus decimandi habebit. 493.

Ex rebus Emptione comparatis, mobilibus, vel immobilibus, & si sint fructus, jam decimatis, non debetur decima. 521.

Episcopus.

Episcopi, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, non obligantur ad decimas personales, vel ad prædiales onere personali: Obligantur tamen ad has solvendas onere reali ex fundis, quos possident titulo profano, vel cum onere priùs annexo, antequam ad ipsos pervenerunt. n. 99.

Non possunt quemquam eximere ab onere decimarum, nisi speciali

facultate à SS. Pontifice ad id concessa polleant, aut consuetudine legitimè præscriptæ eam obtinuerint 164. 312.

Possunt tamen decimas sibi debitas remittere ex justa causa, & in transactione super iisdem suum consensum & decretum interponere. 165. 317. 319.

Non possunt consensum præstare, ut Laici decimas Ecclesiæ vel omnino non vel non integras solvant. 315. 316. Sed neque Clericis hæc remissio fieri potest cum Episcopi consensu. 320.

Possunt tamen Episcopi consensum & auctoritatem præstare transactioni inter Clericos, vi cujus minor pars, quam decima, solvatur, vel ut ex certis fructibus nihil solvatur. 321.

Nomine Episcopi quoad consensum transactioni super decimis præstandum veniunt etiam Vicarius Generalis, & ii, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem. 321 430.

Episcopi tenentur tenentur SS. Pontifici solvere decimas ex omnibus suis bonis Ecclesiasticis, si eas exigat 333.

Episcopo debentur decimæ Parochiæ ipsius propriæ, Ecclesiæ Cathedralis. 336.

Et ex illis prædijs, quæ non sunt in certa Parochia. 337.

Si decimæ titulo donationis, dotis, permutationis &c. vel præscriptionis, Ecclesiæ Cathedrali debentur. Episcopus in illis fundatam de Jure intentionem habet. Tenetur tamen eas cum Canonicis dividere. 338.

Quarta pars omnium decimarum Diœcesis debetur Episcopo de Jure scripto. 339.

Potest Episcopus nomine cujusque Ecclesiæ Parochialis ad consequendas decimas in defectum Parochi agere. 340.

Si novalia fiunt, non tamen intra fines alicujus Parochiæ, decima inde debentur Episcopo. 383.

Episcopi aliique Prælati SS. Pontifice inferiores Ecclesiis & Clericis jus decimandi concedere nequeunt, multò minùs laicis. 437.

Possunt tamen ex justa causa decimas unius Ecclesiæ concedi alteri per unionem aut divisionem Beneficiorum, aut applicationem partis decimarum egentiori Ecclesiæ factam. 438.

Pariter possunt decimas novalium, quæ non intra certæ Parochiæ fines consurgunt, Ecclesiæ, cui maluerint, intra Diœcesin attribuere. 438.

Eas, quæ pertinent ad mensam Episcopalem, alienare nequeunt. Si ab ipsa avulsæ ad eandem revertantur, transferre nequeunt in personam, quæ nunquam moritur. 438.

Episcopus non potest Laico concedere jus percipiendi decimas, potest tamen ex justa causa ei concedere

ad vitam vel tempus brevius decimarum fructus. 464.

Episcopus non potest Laico concedere decimas in feudum perpetuum, sed solùm in temporale. 468. neque potest reversas à Laicis ad Ecclesiam rursus Laicis infeudare. 470.

Sine Episcopi consensu decimas injustè detentas nequit Laicus alteri Ecclesiæ restituere, quàm cui debentur. 404. Potest Episcopus consentire, ut alteri Ecclesiæ vel pio loco dentur decimæ, quæ, antè concilium Lateranense & in feudum perpetuum injustè obtentæ fuerunt, si Laicus detinens induci non potest, ut eas restituat Ecclesiæ, cujus sunt. 495. &c. 499.

Episcopi auctoritas non sufficit in rerum Ecclesiæ alienatione propriè dicta sine consensu Capituli, sufficit verò in revocatione. 497.

Cum Episcopi consensu decimas injustè obtentas alteri Ecclesiæ oppignerare Laicus non potest. 498.

Episcopus concedere non potest, ut Laicus decimas invalidè, ante vel post Lateranense obtentas, alienare possit in Laicum. 500.

Sine Episcopi consensu decimæ validè concessæ in feudum perpetuum, transeunt ad successores etiam Laicos. 501. possuntque cum Episcopi consensu alteri Laico infeudari, si præjudicium filiorum absit. 502. Episcopus per consensum in infeudationem, non alienat decimas, quod ipsi vetitum, sed solùm & licitè continuat alienationem jam antè legitimè factam. 504.

Sine Episcopi consensu possunt justè possessæ decimæ à Laico restitui Ecclesiæ, cujus antè fuerant. 506. alteri verò Ecclesiæ cum consensu Episcopi, cum quo consensu etiam Laico oppignerari possunt. 507. 508.

Episcopi debent Ecclesiastica districtione compellere subditos ad solvendas decimas. 582.

Excommunicatio.

Excommunicationem an incurrat Judex Laicus cognoscens in causis decimalibus? V. Judex.

Excommunicatio an incurratur à renuente solvere decimas, & à Regularibus ob varia delicta circa decimas? V. Pœna.

Exemptio à decimis. V. Imunitas & privilegium.

Expensæ.

Quod Expensis deductis supereſt, civiliter habetur pro fructibus. n. 531. 532.

Expensis non deductis solvendæ sunt decimæ prædiales, & ita jam solvendæ erant in Lege Mosaica. 532.

Expensæ non deducuntur, si ex dispositione legis, statuti, vel hominis fructus debentur Ecclesiæ vel alteri piæ Causæ. 532.

Nonnisi Expensis deductis debentur decimæ personales. 533. Intelliguntur hic expensæ, quas ipsum exercitium artis vel officij exigit:

voluntariæ verò, sine quibus exerceri negotiatio vel ars posset, vel per se necessariæ, quæ etiam absque exercitio artis vel lucrativæ actionis evitari nequeunt, deduci non possunt. 535.

Facultas.

Circa Decimas Facultatis illicitè, validè tamen, concessæ usus quandoque non est illicitus. n. 163.

Feriæ.

In feriis favore hominum inductis tractari potest causa decimarum, si est summaria n. 651.

Feudum.

Feudum est benevola rei immobilis concessio cum translatione utilis dominij, facta sub obligatione fidelitatis & obsequiorum honestorum: privilegium verò non fit cum tali onere. n. 462.

In Feudum perpetuum possunt Decimæ à SS. Pontifice concedi Laicis n 465.

In Feudum perpetuum validè concessæ Decimæ transeunt ad successores etiam Laicos. 501. possuntque cum consensu Episcopi atteri Laico infeudari, si absit præjudicium filiorum. 502.

Feudum Ecclesiasticum non manet apud secundum vasallum seu subvasallum mortuo vasallo, qui subinfeudavit. 503.

In Feudi causa Clericus & Laicus respondere debet coram domino feudi, sive hic sacer sive sacularis sit. 590.

In Feudo improprio idem jus servatur, quod in proprio. 590.

Feudalis possessorij & petitorij causa terminanda est coram domino feudi. 591.

Fideles.

Fideles Jure Naturali & Divino positivo tenentur alere sacros Ecclesiæ Ministros. n. 30 31 265. Tenentur solvere decimas tam prædiales quàm personales. 52. 53. 101.

Fides bona.

Bona Fides ex tempore longissimo & immemorialis solùm præsumitur; unde si constat, mala fide cœptam fuisse possessionem, nunquam prodest ad præscribendum, quanticunque temporis fuerit. n. 449. & 450.

Fiscus.

Fiscus novos possessores convenit ob non solutatributa ab antecessoribus. n. 129.

A Fisco ad Ecclesiam bona est argumentatio solùm in ijs casibus, ubi id expresse Statutum est Jure, vel saltem, ubi contrarium Statutum non est, & ubi militat eadem ratio. 129. 147. 688.

Fisci onera inhærent fundo; ideo habet tacitam hypothecam in bonis subditorum & prælationem in concursu creditorum. 688.

Fœdi-

Fodinæ.

Ex Fodinis auri, argenti, aliisque debetur decima pars pretij, quod quis inde redigit. n. 511. hæc decima est prædialis. 512.

Fructuarius.

Fructuario satisfit, si fructus solvantur ibi, ubi res frugifera sita est. n. 552.

Fructus.

Fructus alij sunt Naturales, alij Industriales, alij Mixti n. 9 Mixti, qui partim naturâ, partim ex industriâ proveniunt, à multis Industriales dicuntur. 9.

Fructus consumptos possessor bonæ fidei non tenetur restituere 304.

Etsi fructuum dominium reipsâ sit apud dominum fundi, possessor tamen bonæ fidei habet dominium præsumptum, eatenus videlicet, ut exclusâ actione infactum consumere eos possit, quamdiu bona fides durat. 304.

In decimis locum non habet regula, quòd possessor bonæ fidei fructus lucretur. 305.

Fructus nascituri emi possunt, & pignerari. 328.

Ex fructibus debentur decimæ, quos modò fert fundus, non ex illis, quos antè ferebat. 401. Nihil decimarum debetur, si fundus relinquitur incultus & nullos fert fructus. 401.

Mutatis fructibus fundi cujus sint decimæ? V. Fundus.

Tametsi jus decimandi immediatè solùm detur in fructus, ejus tamen quasi possessio & præscriptio afficit ipsum fundum decimalem, & non hos vel illos certos fructus. 408.

Fructus Decimales ex justa causa ad aliquod tempus Laicis concedere potest Episcopus 464.

Fructus decimales locari possunt etiam laicis. 491.

Fructus Decimales, qui sunt ipsius Ecclesiæ, ultra triennium locari non possunt sine solennitatibus: possunt illi, quos percipit Paroshus. 492. 493

Ex omnibus Fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium debentur Decimæ 511.

Fructus varij referuntur, ex quibus debentur decimæ 511.

Ex singulis fructibus debentur decimæ, etiamsi fundus bis in anno fructificat. 517.

Fructus indecimati rei, acquisitæ titulo oneroso vel lucrativo, obnoxij sunt decimationi; secùs, si jam decimati acquisiti sunt. 524.

De fructibus rerum illicitè acquisitarum solvendæ sunt decimæ. 526.

Fructus à Jure civili, & civiliter accipiuntur pro eo, quod superest deductis expensis 531. 532.

Naturaliter accipiuntur pro eo, quod provenit à terra & animalibus. 532.

Fructus quoad solutionem Decimarum considerantur naturaliter. 432.

De Fructibus tributum solvendum non est, nisi deductis expensis. 531.

Fructus sumuntur naturaliter, quando agitur de favore animæ vel piæ causæ, & si debentur piæ causæ ex dispositione legis, statuti, vel hominis, non deducuntur expensæ. 532.

Quando fructus omnes debentur, sumuntur civiliter; quando conventione vel statuto solùm debetur quota pars, sumuntur naturaliter. 532.

Fructus meliores pro Decimis deligendi obligatio non datur, datur verò obligatio non deligendi viliores & minores. 336.

Fructuum omnium dominus & possessor est subditus, antequam aliqui separentur pro decimis. 544.

Pro fructibus pecunias non potest pro arbitrio colonus solvere, vel decimator exigere. 564 *etsi vi contractûs pecuniæ tantùm hactenus solutæ sint.* 565.

Fundus.

Fundi facies mutari dicitur, quando ratio culturæ mutatur, & ex prato v. g. fit ager. n. 401.

Fundi dominus pro arbitrio culturam mutare, nec ab Ecclesia vel decimatoribus impediri à variatione potest, dummodo id non faciat animo fraudandi, solvátque decimas ex novis fructibus pendi solitas. 401. 417.

Obligatio solvendi decimas fundo annexa est solùm mediatè separatione fructuum. 137. & seqq.

Fundus semel decimis subjectus cum onere eas solvendi transit etiam ad infideles. 60. 61.

Si fundus nunc ferat fenum v. g. vel olera, non debentur decimæ frumenti, tametsi antea ex eo collectæ fuerint. Vicissim non satisfit per solutionem decimarum ex feno, quæ priùs solutæ fuerunt, si fundus nunc ferat frumentum. 401.

Nihil decimarum debetur, si fundus relinquitur incultus & nullos fert fructus. 401.

Si decimæ per transactionem, præscriptionem, aut privilegium ita divisæ sunt, ut Parocho v. g. assignatæ fuerint minores ex feno, oleribus, fructibus arborum &c. majores verò alteri, v. g. Episcopo, Monasterio &c. mutatâ fundi cultura & prato v. g. in agrum converso decimæ frumenti pertineat ad Monasterium. Vicissim si ager desinat conseri frumento & in pratum redigatur, aut oleribus conseratur, decimæ non ampliùs sunt Monasterij, sed Parochi. 401.

Si tamen per variationem culturæ nimis gravaretur Parochus, quia decimæ v. g. minores, quæ ipsi competunt, ob mutatam fundi faciem jam non solvuntur, compensatio ipsi vel pecuniaria vel ex fructibus facienda est ab eo, qui decimas majores colligit. 403. *Nec hoc compensationis onus Parochianis injungi potest.* 404.

Com-

Compensatio etiam pijs locis, v.g. Monasteriis, Hospitalibus, arbitrio Judicis Ecclesiastici facienda est, si à Superiore Ecclesiastico assignata ipsis sustentatio fuit ex decimis, & eâ postea priventur per culturæ variationem, jusque decimandi in alios sive laicos sive Ecclesiasticos translatum. 405. Laicis decimatoribus nulla debetur compensatio. 405.

Qui decimas ex certis fundis colligendi jus obtinuit per transactionem, vel præscriptionem, poterit colligere decimas ex omnibus fructibus, qui ex illis fundis proveniunt, quæcunque variatio culturæ fiat. 406. Nisi quasi possessio & præscriptio non sit in ipsis fundis, sed solùm in fructibus. 408.

Etsi jus decimandi immediatè solùm detur in fructus, ejus tamen quasi possessio & præscriptio afficit ipsum fundum decimalem, & non hos vel illos certos fructus. 408. Potest tamen quasi possessio juris decimandi solùm dari in fructibus certis. Et tunc si isti non amplius proveniant, is, qui præscriptione vel privilegio eos decimavit, alios decimare nequit. 408.

Si quis in certis quibusdam fundis vi privilegij colligit decimas, v.g. feni aut vini, & postea pratum vel vinea convertatur in agrum, decimæ frumenti non ad ipsum, sed ad Parochum pertinent, vel eum, qui vi præscriptionis hactenus frumentum decimavit. 409. & seqq

Decimator Laicus, qui præter possessionem immemorialem alium titulum non allegat, illas tantùm decimas exigere potest, quas hactenus collegit; non verò diversas, quæ post mutatam fundi culturam proveniunt. 411. & seqq.

Si fundus priùs ferebat fructus, de quibus ex consuetudine non solvuntur decimæ, v.g. fenum, & postea ferat fructus decimabiles, v. g. frumentum, de his solvendæ sunt decimæ, haud secùs, quàm si frumentum inde semper provenisset, aut fenum fuisset decimatum. 418.

In casu modò allato decimæ novarum fructuum debentur Parocho; non verò alteri, cui decimæ antiquæ in illa Parochia ex præscriptione, privilegio vel infeudatione competunt. 419. Excipiuntur ab hac regula tres casus. 420.

Quando ager, ex quo hactenus solutæ sunt decimæ frumenti, convertitur in pratum, non datur obligatio solvendi decimas feni, si istæ ex consuetudine in illa Parochia non solvuntur. 422. & seqq.

Si Parochus jus habet colligendi decimas ex frumento hirsuto, laicus ex plano, ac postea mutatâ culturâ hirsutis frugibus succedant planæ, decimæ ex his debentur Pacho, non Laico. 426

Si fundus bis in anno fructifi-

cat.

cat, ex singulis fructibus debentur decimæ 517.

Fundi possessor obligatus ad decimas similis est colono partiario. 532.

Futura.

Futura comprehenduntur sub indefinita dispositione. n. 302.

Gallia.

IN Gallia receptam esse regulam, quòd decimæ annorum præteritorum non petantur, ait Mich. du Perray. n. 541.

Hæreditas. Hæres.

EX acquisitis Hæreditate non debentur decimæ. n. 522.

Ad acquirendum Hæredi hæreditatem agnoscenti dominium non est necessaria traditio. 624.

Hæretici.

Hæretici sunt extra gremium Ecclesiæ. n. 71.

Ejus tamen legibus obligantur. 72. 73. Et tenentur ad decimas tam personales quàm reales, obligatione etiam personali. 72. Cogi ad Fidem Catholicam possunt pœnis non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus. 72.

Horreum.

Horreo decimatoris suis sumptibus inferre decimas colonus de Jure scripto non tenetur. n. 552. tenetur, si decennio inducta sit consuetudo id faciendi. 556.

Horreo colonus inferre non potest decimarum fructus indecimatos, ignaro & non consentiente decimatore. 557.

Hypotheca.

Hypotheca tacita ibi tantùm locum habet, ubi Legis dispositione expressè statuta est. n. 150.

Hypothecam tacitam non habet Ecclesia in bonis colonorum ad decimas obligatorum. 150.

Illicitè acquisita.

ILlicitè acquisita sunt duplicis generis, aliqua detenta contra Justitiam, & vel non transeuntia in dominium detentoris, ut furtiva, vel transeuntia in dominium accipientis, ùt juxta multos usuræ, obnoxia tamen restitutioni. n. 525.

Ex illicitè acquisitis, sive sint in dominio obtinentis, sive non, debentur decimæ prædiales, sive decimæ ex earum fructibus. 526.

Ex rebus contra justitiam commutativam acquisitis non debentur decimæ personales, sive transierint in dominium comparantis illas, sed restituendæ, sive non transierint. 527.

Immobilia.

Ex Immobilium rerum fructibus & proventibus omnibus debentur decimæ. n. 511.

Ex Immobili re, quæ per modum lucri ex propria actione obtinetur, debetur decima, v. g. ex agro dato pro

pro stipendio aliquot annorum; non tamen debetur decima in specie, ut decimum agri jugerum, sed in æstimatione & pretio. 519.

Immunitas.

Immunitas à solvendis decimis acquiri potest Privilegio, Consuetudine, Præscriptione, Transactione, Remissione gratuita. n. 153.

Immunitas hæc à SS. Pontifice dari universim potest validè, dummodo Ministri Ecclesiæ aliunde habeant congruam sustentationem. 155. Non tamen licitè. 156.

Dari quibusdam, etiam laicis, validè & licitè potest à SS. Pontifice. 158. Dummodo Clericis aliunde de congrua sustentatione provisum sit. 159.

Qui hanc immunitatem consecuti sunt absque legitima causa, modò sine fraude, tuti sunt in conscientia, si Ecclesiæ Ministris aliunde sufficienter est provisum, & alij non onerantur ultra id, ad quod aliàs tenentur. 162. 163.

Eam concedere nequeunt Episcopi alique Prælati Ecclesiæ SS. Pontifice inferiores, nisi speciali facultate ab illo concessâ polleant, aut consuetudine legitimè præscriptâ eam obtinuerint. 164.

Multò minùs hanc immunitatem concedere possunt Laici. 166.

Immunitas à decimis non est aliquid spirituale. Unde ejusdem capaces sunt etiam Laici absque privilegio SS. Pontificis 294. 323. & seqq.

Immunitatem hanc prætendens quid probare debeat? V. Probatio.

Obtineri potest Privilegio. 155. & seqq. *V.* Privilegium.

Nec non Consuetudine. 258. & seqq. *V.* Consuetudo.

Et Præscriptione. 291. & seqq. *V.* Præscriptio.

Indefinita dispositio, propositio.

Indefinita dispositio comprehendit etiam futura. n. 202.

Indefinita propositio æquivalet universali, si diversorum casuum & rerum eadem est ratio: maximè, si negativè concepta sit. 205. 209.

Infideles.

Infideles seu non baptizati, etsi Catechumeni, non tenentur ad decimas personales. n. 58. Tenentur ad prædiales ex possessionibus, quæ sunt in terris Christianorum, & ex ijs, quæ olim erant Christianorum dominio ac oneri decimarum subjectæ: non item illis, quæ à Christianis nunquam fuerunt detentæ. 60. 61. Non tamen obligantur per se & obligatione personali 62. Etsi de rigore cogi possent ad solvendum ex ys terris, quas Christianis injusto bello extorserunt, cogi tamen ordinariè nequeunt cùm propter specialia fœdera, tum ad evitanda graviora incommoda. 64. Cogi non debent, si convertantur ad Fidem, ad solutionem tempore Infidelitatis

termissam. 64. Etsi teneantur ad Fidem & Baptismum suscipiendum, non tamen ante eum susceptum obligantur præceptis Ecclesiæ. 65. 66. 73. Cogi ad Fidem suscipiendam nequeunt. 66. Cogi tamen ad eam audiendam possunt à Principibus Christianis, quibus subsunt. 66.

Judæi.

Judæi non amplius obligantur Lege Mosaica. n. 58. Non obligantur ad decimas personales. 58. Nec ad prædiales, nisi ex ijs possessionibus, quæ olim jam erant decimales. 60. 61. Tametsi habitent inter Christianos. 63.

Judex.

Judex competens in causa decimarum est solus Ecclesiasticus, si uterque litigans, vel si reus est Clericus. 572. Coram Judice Laico non potest conveniri Clericus, licèt solùm agatur de possessorio decimarum, vel de mero facto, e. g. an Clericus decimas, ad quas obligatur, solverit. 573. 574.

Judex Laicus in causis decimalibus cognoscens incurrit excommunicationem SS. Pontifici reservatam, nisi illas à Judice sacro ad se avocet animo expresso supplicandi sedi Apostolicæ. 577.

Judex competens, cùm in causa decimarum petitorio agitur, ita ut sit quæstio Juris, est solus Judex Ecclesiasticus. 577. etsi immunitas pratendatur à decimis omnibus vel earum parte, vel jus decimandi ex privilegio &c. 578. vel quæstio sit solùm incidens. 579. imò & si sit quæstio solùm facti non liquidi. 580. etsi soli conductores &c. decimarum agant, agunt enim nomine Ecclesiæ &c. 582. si tamen agitur de solo facto eóque liquido, e. g. si parochianus negat decimas, ad quas constat eum teneri &c. tum, saltem nisi inhibitio ab Ecclesiastico transmissa sit, Judex etiam Laicus adiri contra Laicum potest, & compellere ad solutionem decimarum. 581. in hoc casu Judex competens etiam est Ecclesiasticus cum jure præventionis. 582.

Judex Ecclesiasticus solus est competens, si causa possessoria decimarum admixtam habet causam proprietatis, si agitur contra laicum possessorio adipiscendæ, vel etiam solùm retinendæ aut recuperandæ. 584. & seqq.

Judex sacer solus est competens, quando decimæ Laicis in feudum concessæ sunt, sive feudum sit proprium, sive improprium, & si decimæ Laico in emphyteusin concessæ, vel locatæ sunt. 590. sive agatur petitorio, sive possessorio. 501.

Judicum sæcularium præscriptio vel consuetudo trahendi ad se causas decimarum in feudum concessarum, licèt hæ agitentur inter sæculares, secluso privilegio non valet. 592.

Judex sacer solùs judicat de decimis, etiam pleno jure, laico concessis.

cessis. 593. neque de decimis, quæ justo titulo sunt penes laicos, universim & absolutè judicare potest Laicus. 594.

Potest tamen judicare de decimis Laicus, quas Laici auctoritate SS. Pontificis habent ex permutatione. 598.

Coram Judice Laico à locatore etiam Clerico conveniri potest conductor decimarum Laicus, nisi obstet conventio inter eos expressa, vel consuetudo loci. 600 in hoc casu etiam Judex sacer adiri potest. 601.

Judex sacer non est incapax cognoscendi de facto, quod ex jure spirituali oritur. 602.

Coram Judice Sacro conveniri potest Laicus ex legato, locato, & simili actione personali respiciente aliquo modo rem ipsam Ecclesiasticam. 601.

Coram Judice Laico conveniendus est Clericus de rebus, quas prætendit esse Ecclesiæ, Laicus verò ex probabili causa dicit esse suas. 601.

Si solus Judex sacer est competens in causa decimarum, laicus in ea cognoscere non potest, licèt partes in ipsum consentiant. 603 Judici partes non possunt prorogare Jurisdictionem, cujus capax non est. ib. Curia Principis secularis nequit cognoscere de decimis, licèt inter ejus assessores & consiliarios sint Clerici, seu agatur inter Clericos, seu inter Laicos, seu principaliter, seu solùm incidenter. 604.

An Judex sit competens in causa decimarum, deliberaturus, considera initium jurisdictionis, quam habet. 604.

Quis sit Judex competens in causa decimarum in Bavaria? V. Bavaria.

Judex, si plures actiones competunt, eligere debet magis proficuam actori. 636.

Judex in causa decimarum quo modo procedere debeat? V. Causa decimarum.

Judex aliquis an admittere possit possit appellationem in causa decimarum? V. Appellatio.

Judex an Decimatorem præferre debeat alijs creditoribus? V. Jus prælationis.

Judici quales probationes in causa decimarum afferendæ sint? V. Probatio.

Judex Ecclesiasticus renuentem solvere decimas compellere potest. 699. & tenetur, excepto casu aliquorum scandalorum &c. 700. compellere potest & debet per excommunicationem 701. hanc comminando cum præcepto solvendi, absque citatione, sumpta tamen priùs informatione, quòd talis sit subditus &c. & audito monito, si opponat, qui si justâ causam non alleget, per modum provisionis compellendus est, nec recipienda appellatio. 702. Ex officio & nemine agente procedere potest contra renuentes. 703. invocari potest etiam brachium seculare, etsi debitoribus ob contumaciam

immineat sanguinis effusio, & decimator jus consequi posset per Ecclesiasticum, si tamen agatur contra laicum. 704. potest etiam morosus debitor decimarum compelli ad usuras, seu damnum compensandum, quod ex dilata solutione decimator passus est: non tamen ad quincunces, si interesse decimatoris ad quincunces non ascendit. 705.

Judex in causa decimarum quibus pœnis uti possit & debeat? V. Pœna.

Judicium.

Judicio petitorio quando agatur in causa decimarum. n. 576

Judicio petitorio & possessorio coram quo Judice in causa decimarum agendum sit? V. Causa decimarum, *vel*, Judex.

Possessorium retinendæ qui intentat, actor est; reus ille, cui intentatur. 608.

In Judicio quid probari debeat in causa decimarum? V. Probatio.

Juramentum.

Juramentum malitiæ exigi potest in causis etiam spiritualibus, in quibus nunc etiam præstari debet juramentum calumniæ. n. 588.

Jus Decimatoris V. Decimator.

Jus prælationis.

Præferendus est decimator omnibus creditoribus, si decima pars jam separata est, & vel ab ipso colono vel ab alio aversa aut ablata fuit, & adhuc extat. n. 682. item, si fructus, ex quibus decimæ debentur, adhuc extant, apud colonum earum debitorem vel alium, & cum alijs fructibus commisti non sint. 683. vel si decima fructuum pars à colono, qui eam jam separaverat, vel ab alio commisceatur cum alijs fructibus, ita ut discerni nequeant: modò fructus commisti extent. 684. Item, si fructus indecimati commisti sunt cum alijs fructibus. 685. non verò, si decimæ, vel fructus nondum decimati à colono aut alio consumpti vel destructi sunt. 686. privilegium prælationis enim inter creditores vel reale vel personale non habent domini rerum non ampliùs extantium. ib.

Laici.

Capaces non sunt decimarum, nisi quando à titulo & Jure spirituali avulsæ, & fructus merè temporales sunt. n. 332. 459. 460.

Laicis, quibus jus decimandi in feudum vel ex privilegio concessum fuit, vi illius non debentur decimæ novalium. 390.

Nulla laicis consuetudo, vel præscriptio, vel indulgentia Parochorum quoad jus percipiendi decimas patrocinatur, sed solum privilegium Pontificium & infeudatio. 398.

Si laico decimatori aliquid decedat ob variatam fundi culturam,

rum, nulla ipsi debetur compensatio. 405.

Laicus decimator, qui præter possessionem immemorialem alium titulum allegare nequit, illas tantùm decimas exigere potest, quas hactenus collegit; non verò ullas alias, quæ post mutatam fundi culturam proveniunt. 411.

Laicis concedere jus decimandi nequeunt Prælati SS. Pontifice inferiores 437.

Laici non tam suo quàm Clericorum nomine decimas ab Ecclesia concessas colligunt. 461.

Jus directum & primarium decimarum nunquam transit in laicos. 217 461.

Jus decimandi à laico possessum vindicare contra Fiscum potest Ecclesia, si is sine legitimo hærede defunctus bona vacantia reliquit, aut crimen confiscatione dignum commisit. 461.

Laicis acquiri potest Jus decimandi privilegio Pontificis. 463.

Laicis Episcopus non potest concedere jus percipiendi decimas, potest tamen ex justa causa concedere ad vitam vel tempus brevius fructus decimarum. 464.

Laicis potest SS. Pontifex Decimas in feudum perpetuum concedere. 465. Episcopus solùm in temporale. 468.

Laici decimas contra Ecclesiam præscribere nequeunt etiam tempore immemoriali & cum bona fide. 476. Relinquendi tamen sunt in possessione immemoriali ob præsumptionem tituli Legalis, si insuper adsit fama privilegij vel investituræ sique nihil obstet. 477. 478. 479. 480. 481.

Laici etiam post temporis immemorialis possessionem restituere debent decimas ante omnem sententiam, si constet legitimo titulo ad Laicos non pervenisse. 482.

Laici fideles possunt præscribere jus Patronatûs, quia privilegio Ecclesiæ generatim & absolutè ejus capaces sunt. 485. ad 8.

Laicus jus Decimandi præscribere potest contra Laicum, tempore ordinario cum titulo, absque hoc 30. annis, & ad illud tempus, ad quod alteri sunt concessæ. 486. 487. 488.

Lacis etiam locari possunt fructus decimales. 491.

Ut in Laicum alienentur decimæ invalidè sivè ante sive post Lateran. obtentæ, non potest Episcopus concedere. 500.

Ad Laicos etiam successores decimæ validè in feudum perpetuum concessæ à Laicis transeunt. 501. possuntque alteri Laico infeudari cum consensu Episcopi, si præjudicium filiorum absit. 502.

Laicis decimæ justè possessæ oppignerari possunt cum consensu Episcopi. 508.

Laici consuetudine inolita de decimis justè possessis libere disponunt, sicut de patrimonio. 509.

De Laico Judice respectu causæ Decimarum. VV. Judex. Causa De-

cimarum. Arbiter. Bavaria.

Laici Jus & actiones circa Decimas. V. Decimator.

Respectu Laicorum quomodo procedendum sit in causa decimarum? V. Causa decimarum.

Laicus spoliatus decimis an restituendus? V. Spoliatus

Laici appellatio circa decimas an audiatur? V. Appellatio.

Laici in causa decimarum quas Probationes afferre debeant? V. Probatio.

Laici quomodo compellendi ad solvendas decimas? V. Judex.

Laici quomodo incurrant pœnam Ecclesiasticam ob delicta circa decimas? V. Pœna,

Lapicidinæ.

Ex lapicidinis debetur decima pars pretij, quod quis inde redigit, non verò decimus quisque lapis. n. 511. hæc decima est prædialis. 512.

Legatarius, Legatum.

Ex bonis Legatô acquisitis non debetur decima n. 522.

Ad acquirendum Legatario, cui determinata res est legata, dominium non est necessaria traditio. 624.

Leges.

Leges Ecclesiasticæ quo sensu dicantur Jus Divinum. 38. In Lege Naturali ac Divina dispensare nequit Pontifex. 37. Legibus & præceptis Ecclesiæ non ligantur Infideles seu non baptizati. 66. Liganter tamen Hæretici. 72. Legibus Secularibus libertas & iura Ecclesiæ infringi aut diminui nequeunt. 102.

In Lege vel præcepto Superioris non potest dispensare inferior, nisi hoc ipsi à superiore specialiter concessum sit, vel legitimè præscripserit. 164.

Legislator.

Legislator abrogare saltem valide potest legem, quam vel ipse tulit, vel alius, cui in pari jurisdictione successit. n. 155.

Potest tollere consuetudinem contra Leges etiam legitimè præscriptam. 266.

Si scit, suam Legem non observari, nec urget observantiam, cùm facilè posset, cessat Legis obligatio etiam intra decennium. 287.

Leprosi.

Leprosi in commune viventes non tenentur de suis hortis, qui sunt in circuitu domûs, & de animalibus, quæ nutriunt, decimas solvere: tametsi proprium Sacerdotem & Ecclesiam non habeant n. 238.

Læsio.

Læsio si enormis nascatur Ecclesiæ alterive decimatori ex privilegio non solvendi decimas, privilegium non valet. n 241.

Datur tunc ista læsio, quando subtractis decimis Clerici, quibus illæ debentur, non amplius habent

bent congruam sustentationem. 243.

Non potest decimator in casu lasionis etiam manifestæ exemptum ad solvendas decimas cogere propriâ auctoritate, sed solum Judicis. 244.

Si enormitas lasionis manifesta non est, adeundus est SS. Pontifex, ut decernat, an privilegium eo casu locum habeat. 244.

In dubio, utrùm lasio enormis sit, potest exemptus compositionem cum decimatore facere. 244

Imò fieri compositio potest, tametsi lasio sit manifesta. 244.

Si Ecclesia in transactione super decimis graviter læsa est, agere ad rescissionem potest tam ipse Rector, qui transegit, quàm successor. 430.

Locatio.

Locatio ad longum tempus censetur alienatio. n. 214.

Decimæ immediatè ad Ecclesiam pertinentes liberè & absque solemnitate locari possunt ad breve tempus; ad longum (quod hic etiam est tempus ultra triennium) non nisi cum consensu Superioris aliisque solemnitatibus ad alienationem rerum Eccles. requisitis. 453.

Si sint ipsius Parochi alteriúsve decimatoris Ecclesiastici locari libere possunt ad longum tempus, imò etiam ad vitam decimatoris. 493.

Locari possunt fructus decimales etiam Laicis. 491.

Locari ultra triennium sine solennitatibus non possunt Decimæ, quæ sunt ipsius Ecclesiæ: illæ, quas Parochus percipit, locari possunt ad tempus longum, imò ad vitam suam. 492. 493.

Ex locatione domus, piscinæ, furni, prati &c. debentur decimæ 511. *& hæ decimæ sunt prædiales.* 512.

Locator.

Locator, si fundum locavit pro certa fructuum parte sibi pendendâ, ex ea ad decimas tenetur. n. 117. *Fructus in tali casu vel ante divisionem inter locatorem & colonum factam decimantur, vel integro cumulo fructuum inter ipsos pro rata diviso, quilibet postea de suo decimas separatim solvit.* 118.

Si locatus est fundus pro certa pensione domino solvenda, non tenetur ad decimas locator, ne quidem ex pensione sibi soluta. 119. 121.

Qui pretio conduxit operam coloni, nim. ut fundum colat pro certa quantitate vel fructuum vel pecuniæ, solus tenetur ad decimas. 122,

Si locator fundi habet privilegium reale exemptionis à solutione decimarum, neque colonus ad decimas reales obligatur. 125.

Locatoris personalis immunitas à solvendis decimis non prodest conductori. 220. *Prodest verò immunitas realis.* 221.

Locator Decimarum coram quo Judice in causa decimarum conveniri vel convenire debeat? V. V. Causa decimarum. Judex.

Lucrum

Lucrum.

Ex lucris omnibus verè ac justè ex sua industria & actione ab aliquo acquisitis, stando In Jure communi Ecclesiæ, solvendæ sunt decimæ personales ex Præcepto. n. 518. Lucra varia referuntur, ex quibus ita solvendæ decimæ v. g. lucrum per lusum justum, res immobilis, quæ per modum lucri ex propria actione obtinetur &c. 519.

Ex titulo Lucrativo acquisitis bonis non debentur decimæ. 522.

Sicuti Lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet. 533.

Lucrum est, quod remanet deductis expensis. 534.

Maritus.

Mariti bona uxori pro dote tacitè obligata sunt, & cum suo onere ad quemcunque possessorem transeunt. n. 131.

Mensura.

Mensurâ eâdem admetienda est decima, qua reliquæ novem partes mensurantur; & per se ille mensurandi modus adhibendus, quo mensurari solent fruges vendendæ aut solvendæ pro Canone. n. 548.

Mercenarius.

Mercenarius, cujus opera ad colendum fundum conducta fuit pro certa quantitate fructuum aut pecuniæ, non tenetur ad decimas reales, sed solùm ad personales, sicubi in usu sunt. n. 122. 123. 124.

Mobilia.

Ex Mobilium rerum fructibus & & proventibus omnibus debentur decimæ. n. 511.

Molendinum.

Ex Molendinorum proventibus debentur decimæ. n. 511.

Et hæ decimæ sunt prædiales. 512.

Monasterium.

Monasterium an restituendum, si spoliatum est decimis? V. Spoliatus.

Novale.

Aliter sumitur Jure Civili, aliter Jure Canonico. n. 177.

Hoc Jure, uti & Bavarico, Novale est terra de novo culta, & de qua non extat memoria, quòd aliquando culta fuerit. 177. 178.

Novale non est si pratum vel hortus oleribus consitus vertitur in agrum. 179.

Privilegium de non solvendis Novalium decimis procedit solùm de fundo recèns culto, ex quo antè nulli aut modici tantum fructus decimis subjecti percipiebantur. 180.

Novale est, si pratum alicubi, ubi decimæ feni ex consuetudine non solvuntur, in agrum convertatur, ac idcirco ex illo decimæ frumenti pertinent ad Parochum, & non ad alium decimatorem, si hic solùm ad decimas ordinarias jus habet, Parochus verò ad novales. 181. 418. 419

Si fundus ante centum & plures

annos

annos cultus, postea neglectus hucusque nihil fructuum tulit, ac hodie denuo colitur, decimæ inde solvendæ sunt, etsi dominus, qui colit, privilegium habeat eas ex novalibus non solvendi. 181.

Novale semper manet fundus de novo ad culturam redactus, éstque semper exemptus ejus possessor, qui privilegium habet decimas non solvendi ex novalibus. 182.

Qui contendit, se ratione privilegy decimas ex novalibus non solvendi ad nullas ex suo fundo teneri, probare debet, se post acceptum privilegium novale fecisse, aut quòd ex hoc fundo, tanquam ex novali, antecessores non solverint. 183.

Si novale ab antecessorum aliquo factum fuit, qui circa illud non erat privilegiatus, successoris privilegium de non solvendis novalium decimis ad illud se non extendit. 163.

Privilegium non solvendi decimas procedit etiam de decimis novalium. 195.

Novalium decimæ non pertinent ad Principem territorij dominum. 381.

Secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, ac transactione, debentur Parochiæ, intra cujus fines sunt Novalia. 382.

Si Novalia non fiunt intra fines alicujus Parochiæ, decimæ debentur Episcopo. 383.

Si surgant in confinio duarum Parochiarum, ita ut ad alteram pertineant, ignoretur tamen, ad quam, dividendæ sunt decimæ inter utramque. 384.

Si denique limites Parochiarum quoquo modo appareant, decimæ inter eas devidendæ erunt juxta modum ac portionem spatij, quod Novalia in singulis earum occupant. 385.

Decimæ Novalium debentur Parocho loci, ubi fiunt, tametsi vi præscriptionis alia vel Ecclesia vel Persona Ecclesiastica jus decimandi ibi habeat. 386.

Si quis tamen præscripsit decimas alicujus fundi, censetur eas præscripsisse quoad totum fundum. Unde si pars hactenus inculta postea colatur, decimas jure exiget, qui hactenus ex parte fundi culta percepit, saltem si majore sui parte fundus antea cultus & decimæ ibi præscriptæ fuerunt. 387.

Si Ecclesia vel Persona Ecclesiastica sine titulo per tempus immemoriale, vel cum titulo per 40. annos, in quasi possessione fuerit colligendi decimas ex novalibus, competit eidem jus colligendi de novalibus, quæ etiam in posterum intra eandem Parochiam surgent. 388.

Laicis, quibus jus decimandi in feudum vel ex privilegio concessum fuit, vi illius non debentur decimæ novalium. 390.

Privilegium decimandi etiam Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ Personæ concessum non extenditur ad decimas novalium. 391.

Decimæ novalium in Bavaria ex privilegio Pontificio per consuetudinem immemorialem præsumpto pertinent ad Parochum primo triennio, postea ad eum, qui decimas in illa Parochia colligit. 398.

Si ex privilegio decimæ communes sunt alicui laico vel Monasterio, Hospitali &c. cum Parocho loci, hac communione non obstante, decimæ novalium totæ debentur Parocho, nisi aliunde constet, illam communionem etiam ad novalia extendi. 398.

Is, cui conceditur privilegium percipiendi decimas novalium, non potest vi illius illas percipere, quas alius tempore concessi privilegij ex novalibus possidebat; sed solùm ex iis novalibus, quæ post impetratum privilegium fient. 399.

Qui decimas antiquas possident vel integras vel ultra medietatem, ac postea privilegiũ impetrant percipiendi etiam novas, vi ejusdem (nisi plus exprimatur) duntaxat dimidias percipere valent. 400. Quin privilegium percipiendi novas intelligi debet concessum solùm secundùm eam quantitatem, quam impetrans priùs percipiebat ex antiquis. 400.

Ex novalibus etiam solvendæ sunt decimæ 516.

Numeratio Decimarum.

In Numeratione sequente anno non incipiendum ab octo v. g. manipulis, qui priore anno erant residui. n. 559. 561. eodem anno possunt numerari manipuli ab uno agro ad alium ejusdem coloni, & ab una specie ad aliam frumenti solidi & ab una levis ad aliam levis. 559. 562. 563. Secluſa consuetudine, ex quinque v. g residuis manipulis male dividitur quintus inter decimatorem & colonum. 559. In numeratione decimarum in agris sicut in numeratione in horreis, fructus secundum totum cumulum considerandi sunt. 562.

Pactum V. Transactio.

Palea, Stramen.

EX palea & stramine debentur decimæ, si triticum decimetur post triturам. n. 511.

Parochia.

Decimæ Personales Jure communi debentur illi Parochiæ, in qua quis domicilium habet, & Divina percipit. n. 360. V. Domicilium.

Debentur hæ decimæ Ecclesiæ Parochiali, tametsi non sit Baptismalis. 361.

Prædiales decimæ Jure communi debentur Parochiæ, intra cujus fines prædia sita sunt, tametsi dominus prædiorum alibi habitet. 363. 364

Contrarium tamen induci potest consuetudine 40. annorum. 365. 441.

Debentur prædiales decimæ Parochiali Ecclesiæ, ex prædijs intra ejus

ejus limites sitis, tametsi non sit Baptismalis. 368.

Parochialis Ecclesia fundatam in Jure habet intentionem ad decimas omnium fructuum, qui intra ipsius fines proveniunt, donec alia Ecclesia, quæ jus decimandi prætendit, contrarium probet. 368.

Quando una Parochia divisa est in plures, debentur novæ Parochiæ integræ decimæ omnium fructuum, qui intra ejus fines proveniunt, tametsi constat, Baptismalem Ecclesiam, vel aliam, quæ divisionem passa est, esse antiquiorem & antea intra suos limites comprehendisse totum territorium Ecclesiæ novæ Parochialis. 369. & seqq. *Nisi aliud consuetudine receptum alicubi sit, vel antiquæ Ecclesiæ jus decimandi reservatum fuerit. 373.*

Decimæ ex fœtibus aliisque fructibus animalium cicurum integræ debentur illi Parochiæ, intra cujus fines animalia pascuntur & nutriuntur, nihilque inde debetur Parochiæ, in qua animalium dominus absens habitat. 375.

Si intra fines plurium Parochiarum pascantur animalia, singulis inde debentur decimæ pro rata temporis. 376.

Idem tenendum est, si animalia intra unam Parochiam pascantur, in altera stabulentur & accubent. 377. Nisi consuetudine aliud receptum sit. 378.

Nihil inde debetur Prrochiæ, per quam animalia solùm transeunt, nisi notabili tempore ibi pascantur. 378.

Decimæ ex animalibus feris, quæ in nullius dominio sunt, sunt personales & debentur Parochiæ domicilij, seu illi, ubi Sacramenta percipit, qui ea capit. 379. Si septis concluſa nutriantur, decimæ inde, utpote prædiales, debentur Parochiæ, ubi septa sunt, & fœtus proveniunt. 379.

Decimæ novalium debentur Parochiæ, intra cujus fines fiunt Novalia, tametsi vi præscriptionis alia vel Ecclesia vel Persona Ecclesiastica jus decimandi ibi habeat. 386.

Parochus.

Parochus tenetur solvere decimas ex fundo patrimoniali, seu quem titulo profano acquisivit, tametsi is situs sit in propria ejus Parochia, si ipse non sit decimator, sed alius, v. g. Episcopus aut Monasterium. n. 79. Non tenetur solvere ex prædio, quod in dotem & sustentationem Parochi Beneficio annexum est, si hujusmodi prædium intra fines suæ Parochiæ situm est, tametsi alius ibi habet jus decimandi. 80. Obligatione reali tenetur solvere reales decimas ex illis prædiis, quæ in aliena Parochia sita sunt, tametsi assignata sint pro dote suæ Ecclesiæ &

in ejus sustentationem. 81. Imò etiam ex prædijs intra suam Parochiam sitis, & huic pro dote assignatis, tenetur solvere illi, cui debebantur, antequam prædia Ecclesiæ assignarentur: nisi dum assignarentur, hoc onere exempta fuerint. 82. Parochi, aliíque Clerici curam animarum ex officio exercentes, non tenentur solvere decimas personales. 91.

Potest Parochus decimas sibi pro sustentatione debitas remittere etiam absque consensu Superioris, vel compensationem in quacunque vel fructuum vel pecuniæ quantitate acceptare: si aliunde de honesta sustentatione provisum ipsi est. 307. 308. 309.

Potest cum consensu Superioris transigere super decimis etiam futuris, ita ut contractus etiam successores obliget. 310.

Parocho inter Beneficiarios jus decimandi præcipuè & primariò competit, ita ut exceptis illis decimis & reditibus Ecclesiasticis, qui assignati sunt Canonicatibus aliísque Beneficijs, reliqui proventus decimales aliíque intra limites Parochiæ ad ipsum pertineant. 345.

Parochus fundatam habet in decimis intentionem de Jure communi contra quemvis possessorem juris decimandi, etiam Episcopum, ita ut non teneatur probare, illud ad se pertinere, sed contrarium asserenti incumbat probatio. 346.

Tametsi Parochus propria auctoritate negare non possit Sacramenta ex eo, quòd decimæ non solvantur: iis tamen, qui ex malitia non solvunt, negare non solùm potest, sed quandoque etiam debet, tametsi notorium non sit crimen, cùm propter malum statum non sint capaces ea suscipiendi. 353.

Si per variationem culturæ decimæ subtrahantur Parocho, isque inde nimis gravaretur, compensatio ipsi vel pecuniaria vel ex frugibus facienda est ab eo, qui decimas colligit. 403. Non verò à Parochianis. 404.

Si fundus priùs ferebat fructus, de quibus ex consuetudine decimæ non solvuntur, v. g. fenum, & postea ferat fructus decimabiles, v.g. frumentum, decimæ ex isto solum ad Parochum pertinent, & non ad alium decimatorem, qui frumenti decimas colligit. 419. Exceptis tribus casibus. 420.

Si Parochus alicubi colligit decimas frumenti hirsuti & Laicus plani, & postea mutatâ culturâ frugibus hirsutis succedant planæ, decimæ ex his Parocho debentur. 426.

Parochus decimas ad Ecclesiam immediatè pertinentes, liberè & absque solemnitatibus Juris locare potest ad breve tempus, quale hic est triennium. Ultra triennium non nisi cum consensu superioris aliísque solemnitatibus ad alienationem rerum Eccles. requisitis. 435.

Decimas verò suas liberè locare

potest

potest ad tempus longum, imò ad totum illud, quo possidebit Beneficium. 493.

Parochus, decimator privatus, non potest propria auctoritate auferre decimas nondum separatas. 544. neque ad solvendas compellere non solventes per denegationem Sacramentorum. Si tamen manifesta est iniquitas solvere renuentis, potest ea negari tali peccatori, uti alijs peccatoribus ad illa recipienda non dispositis. 445.

Parochi Decimatoris jus & actiones circa decimas. V. Decimator.

Respectu Parochi quomodo procedatur in causa decimarum? V. Causa decimarum.

Parochus quomodo restituendus & manutenendus contra Parochianos negantes decimas &c.? V. Spoliatus.

A Parocho & contra Parochum quales probationes in causa decimarum afferendæ sint? V. Probatio.

Parochus potest remittere decimas sibi debitas gratis vel per pactum aut compositionem; moneat tamen, fieri id salvo manente jure Parochiali. 700.

Pauperes.

Pauperes, qui tolerabili paupertate laborant, sufficientes tamen reditus habent ad se suósque, etiam solutis decimis, alendos, ad eas tenentur. n. 109.

Qui extrema necessitate laborant non tenentur. 110.

Uti nec illi, qui gravi necessitate laborant, illa ut solutis decimis se suósque alere non possent, sed gravi penuriâ laborare aut mendicare aliúdve grave malum subire cogerentur. 112.

Non tamen isti propria auctoritate eas retinere possunt, sed priùs suam inopiam decimatori repræsentare & probare debent. 113. Nisi existiment, eas remissum non iri, etsi paupertatem probaverint. 114.

Qui gravi, non tamen extrema paupertate, pressi eas retinuerunt, restituere postea ac compensationem facere tenentur, quando ad pinguiorem fortunam venerint, & solvendo fuerint: nisi absolutè fuerit facta remissio, uti facta esse censetur, quando allegatâ suâ necessitate solvere non fuerunt compulsi, & decimator compensationem sibi non reservavit. 115.

Pauperibus spicilegium concedendum non est in agris, ex quibus avecta nondum fuêre frumenta. 557.

Peccatum.

Peccatum decimas non solventis est multiplex & grave. n. 706. 707. ejus pœna? V. Pœna.

Pecuniæ.

Pecunias pro fructibus solvere pro arbitrio non potest colonus, nec

decimator exigere. n. 564. etsi vi contractûs pecuniæ tantùm hactenus solutæ sint. 565.

Permutatio.

Jus decimarum unius Ecclesiæ permutari potest cum jure decimarum alterius Ecclesiæ. n. 432.

Permissa est permutatio Ecclesiarum & possessionum, & ita quidem, ut si possessiones unius minùs valeant, quàm alterius, defectus illarum pretio compensari possit. 432.

Permutatio rei spiritualiis cum spirituali licita est, non item temporalis cum spirituali. 432.

Nec licitè nec validè Permutatur jus decimandi re temporali. 490.

Ex rebus Permutatione comparatis, mobilibus, vel immobilibus, & si sint fructus, iam decimatis, non debetur decima. 521.

Pia Causa.

Piæ Causæ concessum Privilegium est latè interpretandum, quamvis deroget Jurí communi. n. 168.

Quando de Piæ causæ favore agitur, fructus accipiuntur naturaliter. 532.

Pignus.

Oppignerari possunt Decimæ justè possessæ etiam Laico. n. 508.

Pœna.

Pœna æterna manet defraudatores decimarum, nisi resipiscant, & Deo ac Ecclesiæ cui eas negârunt, satisfaciant, quantùm possunt. puniuntur etiam à Deo varijs pœnis temporalibus. n. 707. 708. perdunt abundantiam frugum, sanitatem corporis & animæ, & affliguntur fame ac penuria. ib.

*Pœna non solventium decimas jure Ecclesiastico statuta est excommunicatio ferendæ sententiæ, à qua Confessarij absolvere non debent, usque dum facta sit solutio. 709 non est ferenda excommunicatio, nisi præmissa monitione Canonica competenti, trina, cum aliquot dierum intervallo, nisi necessitas aliud exigat. est tamen recipienda priùs informatio, quòd is, contra quem agitur, in Parochia decimas exigente fundum habeat, vel facienda monitio conditionalis; si fundum ibi habet, solvat præteritas & futuras, aut si gravatum se sentiat, de gravamine doceat &c. secùs, excommunicatum iri. 710. excommunicatus ob contumaciam in negandis decimis absolvi non debet, nisi plena restitutione secuta, & facta promissione de solvendis deinceps fideliter decimis, vel facta promissione & juramento de solvendis, cum potuerit, si nunc non potest. 611. excommunicationem ipso facto incurrunt Laici, qui exigunt, usurpant, occupant, sequestrant decimas, reditus & proventus beneficiorum, vel ad id auxilium præstant. 712. Excommunicationem incurrunt Religiosi non habentes beneficium aut administrationem, si absque justo titulo decimas aut primitias Ecclesiis debitas

tas acceperint, & usurpaverint; si familiaribus aut pastoribus suis vel aliorum prohibuerint decimas solvere ex gregibus & rebus suis; si ex rebus emptis & de quibus debentur decimæ, Ecclesiis non solverint; si prohibuerint aut non permiserint servis & colonis solvere decimas ex terris, quas eis colendas tradunt. Si ista fecerint Religiosi habentes beneficium vel administrationem, ipso jure sunt suspensi. has censuras solùm incurrunt, si post monitionem unam factam ab Ecclesia, cui decimæ debentur, intra mensem non desiterint, vel intra duos menses male usurpata non restituerint, quæ procedunt, si decimæ etiam debeantur particularibus personis. 713.

Excommunicationem ipso facto incurrunt Religiosi cujuscunque ordinis præsummentes in concionibus vel aliàs quid proferre, quo audientes à decimis Ecclesiæ debitis solvendis retrahantur, si talis sermo sit pravo animo, & in præsentia obligatorum ad decimas solvendas 714 si à Rectoribus Ecclesiarum &c. requisiti, certis diebus scientes neglexerint conscientiam confitentibus facere de decimis solvendis, ipso facto ab officio prædicationis suspensi sunt, donec habita occasione commoda confitentibus conscientiam fecerint, excommunicationem ipso facto incursuri, si prædicare præsumpserint prædicta negligentia non purgata. ista non extenduntur ad Religiosos Monasteriorum, vel Rectores Ecclesiarum decimas percipientium. 714. Sepultura Ecclesiastica privandus, qui debitas decimas non solvit, cùm potuisset solvere. 716. alijs quoque pœnis compellendus est ad solvendum pro arbitrio Judicis: & potest debitoris malitia esse tanta, ut etiam criminaliter puniri queat; rarò tamen in hac materia devenitur ad processus severiores. 716.

Pontifex.

Pontifex Summus neque ad solvendas decimas personales neque ad prædiales obligatione personali tenetur. n. 94. Tenetur tamen onere reali ad reales exprædijs, quæ titulo temporali possidet, v. g. ex hæreditate paterna, emptione 95. Non item ex bonis, quæ habet ut Pontifex. 97.

Pontifex Summus præceptum de decimis totum ac respectu omnium Fidelium, valide tollere potest: dummodo Ministri Ecclesiæ aliunde habeant congruam sustentationem. 155. Non tamen licitè 156.

Potest & validè & licitè quibusdam, tametsi laici sint, dare immunitatem à decimis. 158. 312. Dummodo Clericis aliunde provisum sit de congrua sustentatione. 159

Potest consuetudinem non solvendi decimas tollere & illâ nixos ad solvendum cogere. 266. 268.

SS. Pontifici tenentur omnes Clerici, etiam Episcopi, solvere decimas

mas de omnibus bonis Ecclesiasticis, si eas exigat. 333.

Sicut Princeps secularis tributa imponere potest ad bonum publicum necessaria, ita Papa non solùm ab Ecclesiasticis personis, sed etiam ab omnibus Christianis eam contributionem exigere potest, quæ necessaria est ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum. 333.

Hac tamen potestate neque in Ecclesiasticos utitur. 334.

Loco decimæ quotannis solvendæ ex majoribus Beneficijs Annatas exigit. 334.

SS. Pontifex non est dominus decimarum & redituum Ecclesiasticorum, sed dispensator. Unde eos non potest alijs applicare, quàm Beneficiatis, nisi his aliunde provisum sit de honesta sustentatione. 347.

Potest jus decimandi concedere non solùm Ecclesiis & Clericis, sed etiam laicis. 436. 463.

Potest Laicis Decimas in feudum perpetuum concedere. 465.

An SS. Pontificis tolerantia sufficiat, ut Judices seculares ad se trahant vi consuetudinis vel præscriptionis validæ causas decimarum in feudum concessarum, & agitatarum inter seculares? 592.

Possessio.

Si possessio est vitiosa seu malâ fide cœpta fuit, nunquam præscribitur, neque prodest, quantumcunque diuturna fuerit, si constat fuisse vitiosam. n. 449. 450.

Possessio 100. annorum non est immemorialis, si constat de ejus initio. 452.

Possessio immemorialis non est, si constet, quòd aliquando cœpta fuerit, tametsi cœpta fuerit ante annos 150. aut ultrà. 452.

Possessio immemorialis satis probatur, si testes deponunt, quòd nunquam viderint aut audiverint aliter contigisse &c. tametsi deponere determinatè nequeant, quòd intra centum plurésve annos contrarium non contigerit; modò de contrario nec ipsis nec aliunde constet. 453.

Vt possessio immemorialis legitimè probetur, testes de ponere debent. 1. quòd sit communis opinio, de contrario non extare memoriam. 2. quòd ita semper viderint & audiverint à suis Majoribus. 3. quod nunquam fuerit visum contrarium 454.

Ad probandam cœptæ possessionis memoriam sufficit scriptura, seu Instrumentum. 454.

In possessione immemoriali decimarum Laici relinquendi sunt ob præsumptionem tituli Legalis, si insuper adsit fama privilegij vel investituræ. 447. 478. dicta possessessio non prodest, si constat titulum legitimum defuisse, aut decimas concessas fuisse post Concilium Lateranense, nisi pateat, id factum esse à SS. Pontifice, aut si præsumptioni ex tempore immemoriali obstat alia præsumptio. 479. 480. 481.

Post possessionem temporis etiam imme-

immemorialis restituendæ sunt à Laicis decimæ ante omnem sententiam, si constat legitimo titulo ad Laicum non pervenisse. 482.

Possessio ad usucapiendum est necessaria. 485. ad 2. sine possessione non proceditur ad præscriptionem. 485. ad 2.

Possessione temporis immemorialis tali, quæ Juridica est, & cui lex non resistit, acquiri potest, quidquid Privilegio acquiri potest. 485. ad 6.

Possessio supponitur à præscriptione, & ipsa supponit capacitatem possidendi, quam dat privilegium 485. ad 6.

Quasi Possessio acquiri non potest ex actibus merè voluntarijs. 549.

Possessio etsi plurimum facti habet, consistit tamen in jure. 588.

Possessio & proprietas causam communem habent, quoad cognitionem & continentiam, quæ dividi non debet, non verò quoad acquisitionem & amissionem &c. 588.

In possessione adipiscenda necessaria est cognitio causæ & tituli veri, & non merè colorati, uti in retinenda & recuperanda. 612.

Possessor.

Etsi fructuum dominium reipsâ sit penes dominum fundi, habet tamen possessor bonæ fidei dominium præsumptum, ita ut exclusâ actione in factum consumere eos possit, quamdiu bona fides durat, & consumptos non teneatur restituere. 304.

Regula, quòd possessor bonæ fidei fructus lucretur, locum non habet in decimis. 305.

Qui bona fide in quasi possessione immunitatis à solvendis decimis fuit per vicennium aut triennium, si postea ad earum solutionem condemnetur non solùm futuras, sed etiam præteritas solvere tenetur. 304.

Possessor novus fundi, nisi sit hæres, non tenetur solvere decimas ab antecessore non solutas, si unà cum fundo fructus ad ipsum non transierunt. 132.

Possessorem quemcunque, sive justum sive injustum sequitur onus decimarum. 526.

Possessor fundi obligatus ad decimas similis est Colono partiario. 532.

Possessoris bona, propria auctoritate Creditoris invadi non possunt ad obtinendum Creditori debitum. 544.

Possessor legitimus omnium fructuum, antequam pro decimis aliqui separentur, est ipse subditus. 544.

Prælati.

Prælati Ecclesiæ V. Episcopi.

Præscriptio.

Contra Ecclesiarum & Religiosorum privilegia non nisi 40. annis præscribitur. 249. 250. Tempore or-

dinario contra privilegia privatorum. 250.

Præscriptio & Consuetudo in multis differunt. 253.

Præscribere decimis possunt non solùm Clerici, sed etiam Laici, & ita quidem, ut ad nihil omnino solvendum teneantur. 291. & seqq. At solùm, quando Clericis, quibus illæ debentur, aliunde provisum est de decenti sustentatione. 291.

Præscriptio supponit capacitatem possidendi, non dat. 294.

Ad præscribendum non sufficit tempus ordinarium, quando possidenti jus resistit. 295. 297.

Ad præscribendam immunitatem contra Parochiam, cui Jure communi debentur decimæ, requiruntur cum titulo 40. anni, sine illo tempus immemoriale. 297.

Adversùs eum decimatorem, cui Jure communi decimæ non debentur, præscribitur immunitas solvendi cum titulo tempore ordinario. sine titulo 40. annis, si præscribitur contra Ecclesiam. 299. 301. 302. Si contra Laicum, vel Clericum privatum, cui Jure communi non competunt, sufficiunt absque titulo 30. anni. 300.

Tempus 40. annorum, quando à Jure Canonico ad præscribendum exigitur, non duplicatur. 303.

Per præscriptionem haberi potest, quod per privilegium, modò adsit capacitas possidendi 444.

Res etiam mobiles non præscribuntur adversùs Ecclesiam, nisi 40. annis cum titulo, & sine hoc tempore immemoriali, si Jus præscribenti resistit. 305.

Præscriptio sine possessione non procedit, & tantum quis præscribit, quantum possidet. 386.

Non extenditur ad futura, quantumvis similia, nec locum habet, nisi in illo actu, quem quis in re exercuit. 386.

Est odiosa & strictè interpretanda. 386

Si quis tamen præscrisit decimas alicujus fundi, censetur eas præscripsisse quoad totum fundum: unde si pars hactenus inculta postea colatur, decimas jure exiget, qui hactenus ex parte fundi culta percepit, saltem si fundus majore sui parte cultus antea fuit. 387.

Præscribere decimas potest Ecclesia & Clericus etiam privatus contra propriam Ecclesiam, seu illam, cui Jure communi debentur. 442. Tamesi non præscribatur ipsa Parochia, & licèt præscribens nullum habeat Beneficium. 444.

Ut contra propriam Ecclesiam, seu illam, cui Jure communi debentur decimæ, istæ præscribantur, opus est 40. annis cum titulo, sine titulo tempore immemoriali. 446.

Tempore 40. annorum cum titulo, & sine titulo tempore immemoriali, opus habet etiam Ecclesia Sacramentalis ad præscribendum contra Prædialem. 447.

Dictum tempus 40. annor. vel immemoriale requiritur ad præscriben-

scribendas decimas etiam contra Monasterium, vel Academiam, cui Parochia, quæ decimas percipit, pleno iure incorporata est. 448.

Præscriptio decimarum locum non habet, quando per eam Parocho aliisque Ecclesiæ Ministris subtraheretur congrua sustentatio. 449.

Vim quoque non habet Præscriptio etiam immemorialis, si ex instrumento aliquo vel aliunde constaret possessionem fuisse vitiosam seu titulo injusto cœptam. 449. 450.

Ad præscriptionem vi possessionis immemorialis non sufficit possessio 100. annorum, si de initio centenariæ possessionis constat. 452.

Ut præscriptio immemorialis legitimè probetur, testes deponere debent 1. quòd sit communis opinio, de contrario usu non extare memoriam. 2. quod ita semper viderint & audiverint à suis Majoribus. 3. quòd nunquam fuerit observatum contrarium. 454.

Testes hujusmodi sufficit esse 48. aut 50. annorum. 454.

Si testes aliqui deponant, se nunquam vidisse contrarium, alij verò asserant se vidisse & sic memoriæ cœptæ præscriptionis extare, magis his creditur, quàm illis. 454.

Quando dubium est, ad cujus Parochiæ limites prædium pertineat, potest una earum, inter quas dubitatur, contra alteram decimas ex illo præscribere tempore ordinario. 455.

Ad præscribendas decimas contra Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel præscriptione competunt, sufficiunt 40. anni, vel 60. aut 100. si qua sexagenariæ, aut centenariæ præscriptionis privilegio munita sit. 456.

Ad præscribendas decimas contra privatum Clericum, cui illæ jure communi, seu ratione Beneficij non debentur, sufficit tempus ordinarium cum titulo. 457.

Præscribere Decimas contra Ecclesiam Laici nequeunt, etiam tempore immemoriali & cum bona fide. 476. Præscriptæ sint decimæ, an solùm præsummantur legitimè concessæ, multùm interest. 483.

Præscribere potest Laicus contra Laicum decimas, tempore ordinario cum titulo, absque hoc 30. annis, & ad illud tempus, ad quod alteri sunt concessæ. 488.

Præscriptio supponit possessionem, possessio capacitatem possidendi, privilegium verò supponit hanc capacitatem. 485. ad 6.

Sub Præscriptionis exclusione generali non reprobatur immemorialis. 475. in VII.

Per Præscriptionem decimæ nunquam transeunt in allodium. 505.

Præscribere potest Ecclesia contra debitorem colonum, ut certo modo debitas solvat, colonus contra Ecclesiam, ut non debeat solvere nisi hoc certo modo: illa sic præscribet

tempore ordinario præscribendi contra Laicos, iste tempore ordinario ad præscribendum contra Ecclesiam, jus præscribenti non resistit. 549 ad præscribendum non sufficit, cum, contra quem præscribitur, liberè solùm permisisse certum solvendi modum, sed requiritur hunc observatum esse non obstante ejus contradictione. 549. præscriptio actus voluntarios non potest reddere necessarios, quando constat fuisse ultroneè & non tanquam ex debito positos. 565.

Præscriptio inducere potest, ut non detur obligatio solvendi decimas in natura, sed tantùm in pretio, si hactenus solùm pretium solutum est, & non constat, id solutum esse vi contractûs, aut si de hoc constat, sed pretium diu solutum est decimatori acquiescenti à colonis renuentibus eas solvere in natura. 566.

Præscriptio quid faciat respectu Judicis competentis in causa decimarum. 592. &c. VV. Causa Decimarum. Judex.

Præsumptio.

Præsumptio cedit veritati. Unde licèt longissimo tempore purgetur mala fides, & tempus immemoriale loco tituli habeatur, si tamen constat, malâ fide cœptam fuisse, nunquam locum habet præscriptio, quia bona fides ex diuturnitate temporis solùm præsumitur. 449. 450.

Ob præsumptionem tituli Legalis relinquendi sunt Laici in possessione immemoriali decimarum, si adsit fama privilegij vel investituræ, neque obstet alia præsumptio &c. 477. &c.

Præsumuntur decimæ legitimè concessæ, & postea de contrario constet, sunt illæ restituendæ non obstante quasi possessione immemoriali. 483.

Præsumptio ex tempore immemoriali non est Juris & de Jure. 484.

Præsumi non potest Decimarum gratuita remissio ex eo, quòd tempore ordinario non fuerint petitæ. 542.

Pretium.

Absque Simonia intervenire potest pretium in transactione super decimis non solvendis. 324 & seqq.

Non tamen in transactione super jure spirituali decimandi. 430.

Pretij pro re vendita accepti decimæ non debentur, nisi ex lucrosa venditione. 519.

Primitiæ.

Sunt primi fructus, & immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ. Decimæ verò immediatè solvuntur Clero ad ejus sustentationem, & ut stipendium ministerij sacri. 8.

Princeps.

Imperatores varij ac Reges integras Provincias donârunt Sedi Apostо-

postolicæ. 97. Imperatores aliique Principes Seculares, æquè ac reliqui Fideles, obligantur ad solvendas decimas. 101. 102. Personales decimæ præcipuè quoad Principes sublatæ sunt. 102. Omnes Principes Fideles sunt subjecti Ecclesiasticæ Jurisdictioni. 101. Non possunt quemquam ab onere decimarum eximere 101. 166. 312. 323.

Statutum Principum Secularium prohibens Clericis, ne à laicis exigant decimas, quæ vi consuetudinis solvi non solent, est invalidum, nisi SS. Pontificis auctoritate firmetur. 313.

Decimæ Novalium non debentur Principi seculari. 381.

Privilegium.

Privilegium, motu proprio & ex certa scientia concessum, latè explicandum est, quamvis sit contra jus commune. 167.

Latæ quoque interpretationis privilegium cedens in favorem Religionis aut Piæ Causæ, tametsi deroget Juri communi. 168.

Illud pariter, quod Juri communi insertum est. 169.

Privilegium etiam odiosum ita interpretandum est, ut retineat sensum proprium verborum. 172.

Si est contra jus tertij, odiosum est & strictæ interpretationis, tametsi concessum motu proprio Principis aut ex certa scientia. 173. 414. Et licèt Juri communi insertum sit. 174. Nisi aliàs à proprietate verborum rescripti recedendum foret. 196.

Concessum etiam in favorem Religionis non obest juri tertij, nisi huic in rescripto Principis, quo privilegium conceditur, vel apertè derogetur, vel cùm illo jure tertij privilegium consistere nequeat. 175. 251. 392. 414.

Privilegium exemptionis à solvendis decimis est reale, si immediatè procedat de fundis. Et tunc neque conductores prædiorum ad decimas ex ijsdem tenentur. 125. 126.

Tale privilegium habet Societas JESU 125.

Privilegium de non solvendis Novalium decimis solùm procedit de fundo recens culto, ex quo antè nulli vel modici tantùm fructus decimis subjecti percipiebantur. 180.

Privilegium colligendi aut non solvendi decimas est odiosum, & ita interpretandum, ut quàm minimùm noceat Ecclesiæ, cui illæ de Jure communi debentur. 181.

Privilegium exemptionis à decimis solvendis, etsi Religiosis concessum & Juri comuni insertum, odiosum est & strictæ interpretationis. 177.

Privilegium non solvendi decimas prædiales procedit de prædijs tempore privilegij possessis, ex quibus illæ antè solvebantur. 187. Nisi alicui debeantur decimæ ex titulo particulari, videl. præscriptionis aut privilegio: hujus enim juri per privilegium non solvendi non præjudica-

dicatur, nisi ipsi in rescripto derogatum fuerit. 192.

Extenditur hoc privilegium sine limitatione concessum etiam ad decimas novalium. 105.

Extenditur quoque ad decimas prædiorum post ejus concessionem acquirendorum. 204.

Privilegium immunitatis à decimis ex proprijs prædijs non extenditur ad conducta. 210.

Neque ad conducta vel emphyteutica, si concessum est de bonis, quæ quis habet aut possidet. 212. aut si concessum est de laboribus suis vel proprijs. 217.

Si hoc privilegium est personale, non prodest colono, cui privilegiatus fundum locavit. 220. Prodest verò, si est reale. 221.

Reale privilegium est, quo tam ipsi quàm ipsorum prædia eximuntur. Et quo eximuntur, sive per se sive per colonos prædia colant. Item, quo eximuntur â decimis ex suis prædijs. Denique illud, quo dicitur: Non solvant decimas de fructibus prædiorum suorum. 222.

Privilegium non solvendi ex certis fundis & rebus decimas vi Juris communis habent omnes Religiosi. 225. & seqq. Quidam omnino exempti sunt specialibus privilegijs. 229. & seqq.

Non procedit hoc privilegium adversùs eos, quibus decimæ debentur titulo particulari, videlicet præscriptionis aut concessionis Apostolicæ. 234.

De eo participant illi Religiosi, qui cum privilegiatis habent privilegiorum communicationem, si hæc sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia, saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet, mentem Pontificis se extendere etiam ad reliqua non expressa. 236.

Privilegium etiam reale semper personam respicit. Hinc si ij, qui immunes sunt â decimis solvendis, sua prædia immunia alienant in non privilegiatos, cessat privilegium quamvis reale. 240.

Si tamen privilegiatus prædium alio permutat aut vendit, ut pretio inde redacto aliud emat, illud priori substitutum ac privilegiato acquisitum, exemptum est: tametsi privilegium non sit datum pro bonis post ejus concessionem acquirendis, sed solùm pro illis, quæ privilegiatus tempore concessi favoris possidebat. 240.

Privilegium non solvendi decimas cessat, si inde enormis læsio ac gravamen nascatur Ecclesiis vel alijs, quibus jus decimandi competit vel Jure communi vel titulo speciali. 241. 251.

Læsio ista datur, quando Ecclesiarum Rectores, quibus aliàs decimæ deberentur, non possunt sine illis congruè se sustentare. 243.

Si manifesta est læsio ex privilegio non solvendi decimas, & de ea constet privilegiato, non potest absque

que injustitia suo privilegio uti. 244.

Non tamen poterit decimator etiam in casu manifestæ læsionis exemptum cogere ad decimas solvendas, sed opus est auctoritate Judicis. 244.

Si enormitas læsionis manifesta non est, ac idcirco necessarium arbitrium, adeundus est SS. Pontifex, ut decernat, an privilegium eo casu locum habeat. 244.

In dubio, utrùm læsio sit enormis, potest exemptus compositionem cum decimatore inire. 244.

Imò fieri compositio potest, tametsi læsio sit manifesta. 244.

Privilegium, quod in aliorum gravumen cedit, & tractum successivum habet, eò quòd datum sit ad plures actus, non amittitur etiam pluribus actibus contrarijs, nisi ex parte illorum, qui gravantur, detur præscriptio. 246.

Immunis à solvendis decimis, gabellis &c. non perdit privilegium semel aut iterum solvendo, si postea intra tempus ad præscriptionem requisitum suo privilegio usus est non solvendo. 247. 248.

Ad præscribendum privilegio Ecclesiarum ac Religiosorum requiruntur anni quadraginta. 249. 250 Ad præscribendum contra privatas personas, sufficit tempus ordinarium. 250.

Privilegium non solvendi decimas cessat contrariâ partium conventione & pacto, 251. 152.

Si in petendo privilegio facta non est mentio pacti contrarij cum aliquo initi, concessio ob subreptionis vitium est nulla. 251.

Privilegium ita semper interpretandum est, ut aliquid de novo conferat illi, cui conceditur. 251.

Privilegium decimandi etiam Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ Personæ concessum non extenditur ad decimas novalium. 391.

Vi privilegij decimas novalium percipiendi, non percipiuntur decimæ ex novalibus ante concessum privilegium factis, sed solùm ex ijs, quæ fiunt postea. 399.

Qui decimas antiquas possidet vel integras vel ultra medietatem, ac postea impetrat privilegium percipiendi etiam novas, vi hujus concessionis (nisi plus exprimatur) dundaxat dimidias percipere valet. Nec privilegium percipiendi novas intelligi debet concessum ultra quantitatem, quam impetrans priùs percipiebant ex antiquis. 400.

Sub concessione juris alicujus simpliciter facta non venit jus, quod postea de novo oritur, licèt sit simile priori. 410.

Privilegio SS. Pontificis jus decimandi competere potest non tantùm Ecclesiis & Clericis, sed etiam laicis. 436. 463. Non tamen privilegio Prælatorum SS. Pontifice inferiorum. 439. Potest tamen Episcopus Laicis concedere ex justa causa ad vitam vel tempus brevius decimarum fructus. 464.

Pri-

Privilegium non rarò cum onere conceditur, ex natura tamen sua, non exigit onus, feudum verò exigit. n. 462.

Quidquid Privilegio acquiri potest, acquiri etiam potest possessione temporis immemorialis tali, quæ Juridica est, & cui lex non resistit. 485. ad 6.

Privilegium dat capacitatem possidendi, quam supponit possessio, & præscriptio, quæ ipsam possessionem supponit. 485. ad 6.

Privilegium Principis latè interpretandum est, strictè tamen, quando derogat Juri communi. 590.

Dum Privilegium unum Princeps concedit, non eo ipso concedit etiam aliud diversum. 590.

Privilegium quid faciat respectu Judicis competentis in causâ decimarum? n. 592. & VV. Causa decimarum. Judex

Privilegij interpretatio pertinet ad concedentem. 593.

Probatio in causa decimarum.

Parochus agens ad decimas solùm tenetur probare, se esse Parochum loci, etsi alius sit in quasi possessione juris decimandi. 690. alius Clericus probare debet privilegium, vel investituram, vel præscriptionem &c. &c. 691. Laicus privilegium, saltem per possessionem immemorialem. 692. ad hanc probandam sufficiunt testes singulares. 693. qui probat de certa specie fructuum, non hoc ipso probat de reliquis. 694. prætendens immunitatem, probare debet privilegium, vel consuetudinem, vel præscriptionem. 695. qui est in quasi possessione immunitatis aut juris decimandi conventus in petitorio ostendere debet titulum, nisi vel hoc vel illa ipsi debeatur Jure communi. 696. aut quasi possessio sit immemorialis, vel tanta, ut inducat præscriptionem. 697. Probationes plenæ, certæ & concludentes requiruntur contra Parochum. 691.

Propositio.

Propositio indefinita æquivalet universali, si diversorum casuum & rerum eadem est ratio: maximè si negativè concepta sit. 205. 209.

Proventus.

Ex omnibus Proventibus rerum mobilium & immobilium debentur decimæ. 511.

Proventus varij referuntur, ex quibus debentur decimæ 511.

Proventus sunt redditus vel fructus, quorum neutrum sunt legata & dona. 523.

Quarta decimalis.

Quarta pars decimarum omnium Diœcesis debetur Episcopo de Jure communi. 339.

Contra eam non præscribitur, nisi quadragenariâ præscriptione. 339.

Consuetudine vel præscriptione in plurimis Diœcesibus sublata est hæc Quarta 339.

Recto-

Rectores Ecclesiæ V. Ecclesiæ.

Religio.

Religionis intuitu concessum Privilegium latè interpretandum est, tametsi deroget Juri communi. 168. Non obest juri tertij, nisi huic in rescripto Principis, quo privilegium conceditur, vel apertè derogetur, vel cum illo jure tertij privilegium consistere nequeat. 175.

Religiosi.

Religiosi olim fere erant laici, & Parochis subjecti 103. Ad decimas tam personales quàm reales de Jure communi instar laicorum tenentur. 104. Etiam exempti à Jurisdictione Episcopi tenentur ad solvendas decimas reales, nisi speciali privilegio sint immunes. 105.

Religiosis concessa immunitas à solvendis decimis, odiosa est & strictæ interpretationis, quamvis Juri communi inserta 107 171. Extenditur tamen ad decimas novalium. 195.

Non extenditur ad agros conductos & receptos ad firmam seu pensionem. 213.

Nec ad fundos, quos alijs locant, si ipsorum immunitas est solùm personalis, uti ea est, quæ Jure communi ipsis est concessa. 220. Secùs, si privilegium est reale. 221.

Tenentur Religiosi solvere decimas de fructibus, quos à colonis percipiunt, nisi privilegio reali sint muniti. 220.

Vi Juris communis solvere decimas tenentur ex prædijs antiquis, sive ipsi ea colant sive elocent. Non tamen solvunt de novalibus, quæ suis sumptibus colunt seu per operas suas & famulos. Nec solvunt de fœtibus animalium, quæ ipsi nutriunt & non locant. Neque ex hortis, sive olera ibi serunt sive frumentum: nisi eos elocent. Non denique ex agris & vineis, quas pro fundatione & ad necessariam sustentationem habent: nisi fundi antea fuerint subjecti oneri decimarum & per translationem in Monasterium non fuerint liberati. 225. & seqq.

Religiosi quidam Ordines, præsertim Mendicantes, ex speciali privilegio nullas vel prædiales vel personales decimas solvere tenentur 229. & seqq.

Hoc privilegium non habet locum adversùs eos, quibus decimæ debentur titulo particulari, videlicet præscriptionis aut indulti Pontificij. 234.

De eo participant etiam alij Religiosi, qui cum privilegiatis communicationem privilegiorum habent, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia, saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut appareat, mentem Pontificis se extendere etiam ad reliqua non expressa. 236.

Si Religiosi aliique privilegiati, sua prædia immunia alienant in non privilegiatos, cessat immuni-

tas à decimis, quamvis realis. 240.

Si tamen prædium prædio permutant, aut vendunt, ut pretio inde redacto aliud emant, illud, quod priori substituitur, exemptum pariter est: tametsi privilegium non fuerit datum pro bonis post ejus concessionem acquirendis, sed solùm pro illis, quæ tempore concessionis possidebant. 240.

Religiosis de Jure communi & vi sui Statûs decimæ non debentur. 349 Debentur tamen, si Beneficium vel unitur Monasterio vel particulari Religioso confertur. 348.

Privilegium decimandi etiam Religiosis concessum est strictæ interpretationis, nec ad decimas novalium extendendum. 392.

Regulares ob varia delicta circa decimas quam censuram incurrant? V. Pœna.

Res Ecclesiæ. V. Ecclesia.

Res minutæ.

Ex rebus minutis etiam solvendæ decimæ, non tamen ex minutissimis oleribus, quæ in privatis hortis colliguntur non ad lucrum, sed solùm ad familiæ commodum & voluptatem. 514.

Restitutio.

Restitutio spoliati decimis an & quando facienda? V. Spoliatus.

Restitutio an requiratur, ut, qui est excommunicatus ob decimas non solutas, absolvatur? V. Pœna.

Sabaudia.

IN Sabaudiæ Senatu decisum ait Ant. Faber, quòd decimæ hoc anno non solutæ, sequenti repeti & sic duplices peti non possint. 541.

Sacramenta.

Sacramenta denegari non Possunt à Parocho, ut ad decimas solvendas compellat non solventem: neganda tamem illi essent, ut indisposito, si manifesta foret ejus iniquitas, decimas solvere renuentis. 545.

Sacrilegi.

Sacrilegij damnantur ij detentores, qui usurpant id, quod Ecclesiæ jam proprium est: nec omnes sacrilegi sunt excommunicati, sed solùm violatores Ecclesiarum.

Sepultura Sacra.

Sepultura sacra privandus est, qui in notorio & publico peccato decedit, uti notorius usurarius &c.

Sepultura sacra negari non potest ob jus sepulturæ non solutum. 715.

Sepultura an neganda non solventi decimas. V. Pœna.

Servitus.

Ad amittendam Servitutem discontinuam requiritur, ut tempus non usûs sit duplicatum. 303.

Servitutes Personales, quæ à re personæ vel à persona personæ debentur, non sunt discontinuæ. 303.

Servituti obnoxius fundus non

potest

potest mutari in præjudicium ejus, cui servitus debetur. 421.

Servitus immediatè fundo inhæret. 424.

Simonia.

Non committitur per transactionem super decimis non solvendis, etiamsi pretium interveniat. 324. & seqq.

Committitur, si pro acquirendo iure spirituali decimandi pretium intercedit. 430.

Item si res spiritualis permutatur temporali. 432.

Aut si emitur vel conducitur jus decimarum formaliter sumptum & fundatum in titulo spirituali, seu Officio & obligatione ministrandi spiritualia. 433. Secùs, si emitur aut conducitur materialiter sumptum & præcisum à titulo spirituali, sive solùm quoad utilitatem percipiendorum fructuum. 434.

Societas JESU.

Societas JESU habet privilegium reale exemptionis à solutione decimarum. Unde nec coloni, qui ejus fundos conducunt, ad illas tenentur. 125. 231.

Non tenetur solvere ullas decimas, etiam Papales; nec subsidia charitativa, vel alia onera, etiam pro expeditione contra Infideles, defensione patriæ, aut aliàs quomodolibet, etiam ad instantiam Imperatorum ac Principum imposita. 231. Non obstante Jure quæsito decimatoris ejùsque præjudicio. 233. Pro hac immunitate non semel judicatum fuit. 232. Nunquam contra illud. 233.

Non tamen ea procedit contra illos, quibus decimæ titulo speciali debentur, videlicet præscriptionis vel privilegij Apostolici. 234.

Spirituale.

Pro spirituali censetur temporale ratione connexionis, quando se habet ad spirituale tanquam ad suum antecedens, & à spirituali dependet. 590.

Spiritualia, vel quasi, nequeunt possideri sine titulo canonico, & ideo, qui eorum restitutionem petit, probare debet titulum saltem coloratum, quem si non ostendit, censetur nunquam possedisse, consequenter non est restituendus. 665. v. Spoliatus

Spoliatus.

Spoliatus decimis non est ante omnia restituendus, sed priùs ostendere debet legitimum possessionis titulum, si jus commune ipsi resistit, & assistit spolianti. 652.

Laicus spoliatus decimis à Parocho, non est restituendus, antequam titulum suæ quasi possessionis edat, vel quasi possessionem temporis immemorialis, quod procedit etiam, si spoliatus est lite vel appellatione pendente, & per viam attentatorum agit, ut in pristinum statum reponantur, & omnia penitus revocentur. 654. item, si Parochia

chia est incorporata Monasterio, Ecclesiæ, Academiæ 656. nec monasterium nec Clericus à loci Parocho spoliatus restituendus est, nisi fuerit in diuturna possessione, quæ quàm diuturna esse debeat, in casu particulari Judici determinandum: in jure verò tempus diuturnum est decennium. 657.

Spoliatus etiam Laicus contra eum, cui jure communi decimæ non debentur, neque assistit jus & titulus extraordinarius privilegij &c. est restituendus. 658. multò magis Monasterium aut Clericus. 659.

Laicus spoliatus à Laico semper est restituendus, licèt spoliatus contendat jus decimandi ad se pertinere ex privilegio Pontificis. 660.

Parochus contra Parochianos est manutenendus, & restituendus, si negant decimas prætendendo præscriptionem &c. donec probent plenè titulum, quem allegant. 661. nisi sint in diuturna quasi possessione immunitatis. 662. qui tamen rarò legitimè reclamant. 663. Non sufficit eos obtendere actus aliquos possessorios, nisi clarè constet, per hos sublatam esse priorem Parochi possessionem.

Si Spoliatum esse injustum possessorem, notorium est verè vel præsumptivè, & contrà etiam notorium est spoliatorem esse dominum rei, in spiritualibus vel quasi, impeditur restitutio. 665.

Statutum.

Statui à SS. Pontifice potest, ut alicubi Ecclesiæ etiam à Laicis non exigant decimas. 312.

Statutum Secularium Principum prohibens Clericis, ut à laicis exigant, quæ vi consuetudinis solvi non solent, invalidum est, nisi SS. Pontificis auctoritate firmetur. 313.

Statuta Bavariæ. V. Bavaria.

Stramen V. Palea.

Successor.

Successor universalis tenetur ad solvendas decimas tam personales quam reales à testatore non solutas. 131.

Successor particularis, qui. v. g. emptione aut permutatione, accepit fundum, non tenetur solvere decimas præteritas ab antecessore non solutas. 132.

Successor in dignitate vel officio regulariter non tenetur stare pacto antecessoris, si hoc habeat causam continuam, & successorem obligaret ad aliquid faciendum vel patiendum: nisi cum consensu Superioris & debitis solemnitatibus pactum fuerit initum. 310.

Successor in fundo, nisi sit universalis, non tenetur solvere decimas ab antecessore non solutas, si unà cum fundo fructus ad ipsum non transierunt. 132.

Ad Successores etiam Laicos transeunt à Laico Decimæ, in feudum perpetuum validè concessæ. 501.

Tem-

Temporale.

Temporale quando se habet ad spirituale tanquam ad suum antecedens, & à spirituali dependet, censetur spirituale ratione connexionis. n. 590.

Tempus.

Temporis etiam immemorialis possessio non prodest ad præscribendum, si constat vitiosè & malâ fide cæptam esse. 449. 450.

Tempus 100. annorum, aut infrà, non est immemoriale, si de ejus initio constat. 452.

Tempus immemoriale satis probatur, quando testes deponunt, quòd nunquam viderint aut audiverint aliter contigisse &c. tametsi deponere nequeant, quòd intra 100. plurésve annos contrarium non contigerit: modò de contrario nec ipsis nec aliunde constet. 453.

Ex tempore immemoriali præsumptio non est Juris & de Jure. 484.

Tempus immemoriale facit, ut retrò civiliter possedisse censeatur, qui detinet, si possessionis capax est; secùs, si incapax. 485. ad 1.

Tempus immemoriale exigit possessionem. 485. ad 2.

Tempus immemoriale verum titulum & jus tribuit capaci possessionis & usucapionis, non item incapaci 485. ad 4.

Tempus decennij sufficit ad stabiliendam legem de re, quæ legibus non est prohibita. 556.

Ex Tempore immemoriali præsumi & allegari potest titulus constituti vel privilegij, vel alius similis, v. g. si non constat, quo titulo hactenus solutum fuerit pretium pro fructibus decimalibus. 566.

Sylva cædua.

Ex Sylvæ cæduæ lignis solvenda decima Parocho loci, ubi ligna crescunt, nimirum ex fasciculis decem decimus. 511. hæc decima est prædialis. 512.

Testamentum Vetus.

In veteri Testamento solùm datæ fuerunt decimæ de frugibus & pomis arborum, ac animalibus, quæ sub virga pastoris transeunt. n. 510.

In Lege Mosaïca debebantur prædiales decimæ non deductis expensis. 532.

Testis.

Ut tempus & possessio immemorialis probetur, testes deponere debent 1. quòd sit communis opinio, de contrario usu non extare memoriam. 2. quòd ita semper viderint & audiverint à suis Majoribus. 3. quòd nunquam fuerit observatum contrarium. 454.

Ut probent immemorialitatem, sufficit ipsos esse 48. aut 50. annorum. 454.

Si testes aliqui deponant, se nunquam vidisse contrarium; alij ve-

rò asserant, se vidisse, & sic memoriam cœptæ possessionis extare, magis his creditur, quàm illis. 454.

Magis creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus, nisi, qui negant, probent, se scire, non esse verum, quod adversarij affirmant. 454.

Titulus.

Ex rebus comparatis Titulo oneroso, mobilibus vel immobilibus, jam decimatis, si sint fructus, non debetur decima. 521. neque ex bonis comparatis Titulo Lucrativo. 522.

Transactio.

Transactio est rei dubiæ aut litigiosæ aliquo dato vel retento vel promisso conventa decisio. 306.

Fieri potest cum consensu Episcopi super decimis etiam futuris. 317. 321. Et super modo, loco, ac tempore eas solvendi 319.

Fieri cum ejus consensu potest transactio inter Clericos, ut pars minor, quàm decima, solvatur, vel ut ex certis fructibus nihil solvatur. 321.

Ad transactionem super decimis faciendam, sive cum alia Ecclesia, sive cum Laico, præter consensum Episcopi requiritur universim ea solemnitas, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ intervenire debet. 322.

Potest super decimis non solvendis transactio fieri pro pretio. 324. & seqq.

Si perit, quod Ecclesia vel alius decimator vi transactionis super decimis non solvendis accepit, ipsi perit, nec potest ab eo, qui dedit, decimas postea exigere. 331.

Vi transactionis acquiri jus decimandi potest 429.

Pretium in hac transactione intervenire non debet, quo jus spirituale decimarum acquiratur. 430.

Ut transactio super decimandi jure sit perpetua, & Successores liget, accedere consensus Superioris debet cum causæ cognitione. 430.

Transactionis super jure decimandi indefinitè facta procedit non solùm de decimis præsentibus, sed etiam futuris. 430.

Si Ecclesia per transactionem graviter læsa est, poterit tam ipse Rector, qui transegit, quàm Successor, agere ad rescissionem. 430.

Transactioni super decimis non derogatur per privilegium exemptionis, nisi de illa fiat mentio. 430.

Tributum.

Tributum est pensio vi jurisdictionis à Principe imposita in agnitionem potestatis ejusdem, & ad sustinenda communia onera. 129.

Ob non soluta ab antecessore tributa Fiscus novum fundi possessorem convenit. 129.

Ante tributa solvenda sunt decimæ. 129. 142.

Tributi solvendi onus est fundis annexum transitque ad novos eorum possessores. 140.

Tributa inter & decimas multiplex est discrimen. 143. 146.

Tributum de fructibus solvendum non est, nisi deductis expensis. 531.

In Tributis, solvendis homini, non datur obligatio deligendi meliora, 536.

Venditio. V. Emptio.

Vicarius.

VIcarijs Parochiarum & Beneficiorum Canonicatibus, Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, Monasterijs, aut Academijs annexorum, debetur honesta sustentatio ab ijs, quorum Ecclesiis, Beneficijs, aut Dignitatibus annexæ sunt Parochiæ. Nec populus, qui dat decimas, tenetur ad hanc sustentationem contribuere. 347.

Vicarius Generalis consensum & auctoritatem transactioni super decimis præstare potest. 321. 430.


Unio Ecclesiarum.

Si una Ecclesia alteri Ecclesiæ, v. g. Monasterio unitur, huic decima illius pleno jure acquiruntur. 439.

Potest Episcopus per unionem Beneficiorum decimas unius Ecclesiæ concedere alteri. 438.

Uxor.

Uxori tacitè obligata sunt bona mariti pro dote, & cum suo onere ad quemcunque possessorem transeunt. 131.



Th
4755